BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit. .....
Pl. .....

TRACTATUS

DE LOCIS THEOLOGICIS

THEOLOGIÆ FUNDAMENTALIS LIBER SECUNDUS

TRACTATUS

DE LOCIS THEOLOGICIS

SEU

DE S. SCRIPTURA ET TRADITIONE

quem in usum suorum auditorum conscripsit

ILLUSTRISSIMUS AC REVERENDISSIMUS DOMINUS

HENRICUS-CAROLUS LAMBRECHT,

EPISCOPUS GANDAVENSIS, S. THEOLOGIÆ DOCTOR,
OLIM IN SEMIN. GANDAV. PROFESSOR, ETC.

Acc665

GANDAVI,
EXCUDEBAT C. POELMAN, TYPOGRAPHUS ILL^mi EPISCOPI.
1890.

Imprimatur

—

Gandæ, 29 Octobris 1889.

L. J. VANDENHENDE, *Vic. Cap.*

THEOLOGIÆ FUNDAMENTALIS LIBER SECUNDUS

DE LOCIS THEOLOGICIS

seu

DE DIVINÆ REVELATIONIS FONTIBUS

PROOEMIUM

I. Explicatio nominis hujus tractatus. Vox *loci* hic significat fontes, thesauros, promptuaria; et per vocem *theologici,* exprimitur quales sint isti fontes sub respectu materiæ in ipsis contentæ. Hæc autem materia est revelata de Deo doctrina, seu divina revelatio. Ergo *loci theologici* sunt fontes, thesauri, promptuaria, in quibus divina revelatio continetur, ac proinde e quibus divina revelatio est a nobis haurienda.

II. Quinam juxta doctrinam catholicam existunt fontes doctrinæ divinitus revelatæ? Juxta doctrinam catholicam tota supernaturalis revelatio continetur in S. Scriptura et in Traditione. « *Hæc supernaturalis*

» *revelatio,* ait Concilium Vaticanum, *secundum uni-*
» *versalis Ecclesiæ fidem, a sancta Tridentina Synodo*
» *declaratam, continetur in libris scriptis* (in S. Scrip-
» tura) *et sine scripto traditionibus* (in Traditione),
» *quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab*
» *ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per*
» *manus traditæ, ad nos usque pervenerunt.* (Const.
» *Dei Filius,* c. II). » — Per S. Scripturam intelligitur complexus librorum, quorum Deus est auctor per inspirationem; per Traditionem vero intelligitur constans et perpetua illa prædicatio a legitimis Apostolorum successoribus facta, per quam a tempore Apostolorum ad nostros usque dies, divina revelatio fuit conservata atque de generatione in generationem transmissa. — S. Scriptura et Traditio haud raro etiam dicuntur : *Verbum scriptum* et *Verbum non scriptum. Verbum scriptum,* h. e. verbum Dei seu divina revelatio divinitus conscripta seu conservata in libris, qui Deum ut auctorem habent; et *Verbum non scriptum,* h. e. verbum Dei seu divina revelatio non divinitus conscripta, sed per legitimos Apostolorum successores prædicata atque ita de generatione in generationem transmissa.

III. Quemnam locum occupat Tractatus de Locis Theologicis in Theologia fundamentali? Theologia fundamentalis pro munere habet veritatem demonstrare revelationis, e qua Theologia specialis scientiam suam haurire debet, revelationis nimirum a Christo factæ, in S. Scriptura et in Traditione contentæ, et ab

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Ecclesia Romano-Catholica infallibiliter propositæ. Hac autem Theologiæ fundamentalis definitione præ oculis habita, liquet, post demonstrationem veritatis revelationis christianæ, tractandum esse de fontibus seu de thesauris in quibus hæc Christi revelatio est contenta et conservata. Postquam enim invenimus Christi doctrinam vere esse divinam seu veram esse Dei revelationem, statim occurrit quæstio, quomodo et ubinam conservetur et inveniatur hæc Christi doctrina. Dein, cognitis supernaturalis revelationis fontibus, tractetur oportet de Ecclesia, quæ juxta doctrinam catholicam, vivum est organum a Christo institutum ad divinam revelationem in prædictis fontibus contentam, nobis infallibiliter proponendam. Postquam enim novimus in quibusnam fontibus supernaturalis revelatio contineatur, investigetur dein oportet, utrum singuli fideles per semetipsos divinam revelationem ex istis fontibus debeant haurire, an vero detur auctoritas viva, a Christo instituta, cujus munus sit nobis doctrinam in istis fontibus contentam proponere. Liquet igitur Tractatum *de Locis Theologicis* recte poni post *Demonstrationem Christianam* et ante *Tractatum de Ecclesia* (Cfr. *Dem. Christ.* p. 11).

Notetur quod Christus Dominus, absolute loquendo, alio modo ac S. Scriptura et Traditione conservationi doctrinæ a se revelatæ providere potuisset. Ita, ut inter plura alia media unum alterumve citemus, potuisset certe eam conservare mittendo identidem prophetas, h. e. doctores divinitus ablegatos et inspiratos,

vel declarando Ecclesiæ rectoribus per frequentes inspirationes, quænam sit vera sua doctrina. Verum, præ infinita sapientia sua instituit Christus ad doctrinam suam conservandam, hosce duos thesauros, quos diximus, S. Scripturam et Traditionem.

Notetur etiam hosce duos thesauros, S. Scripturam et Traditionem, respectu habito ad Ecclesiam, quæ vivum est organum ad fidem proponendam, vocari *regulam* (normam) *fidei remotam,* dum Ecclesia dicitur *regula fidei proxima.* Per *regulam* intelligitur criterium seu medium, quo vera fides Christi ab omni adulterina seu falsa, certo distinguitur; et regula dicitur *remota,* si est minus perfecta et minus facilis, *proxima* autem dicitur si perfectior et facilior est. S. Scriptura autem et Traditio dicuntur regula fidei *remota,* quia sunt doctrina *mortua,* doctrina *inanimata;* dum contra Ecclesia dicitur regula fidei *proxima,* quia ipsa viva voce infallibiliter definit, quid in S. Scriptura et in Traditione contineatur.

IV. Quinam sunt præcipui errores in hoc tractatu confutandi? Primus error hic memorandus est doctrina communis Protestantium, quæ dicit, solam S. Scripturam et fontem esse, e quo dogmata haurienda sínt, et normam seu regulam proximam, quæ ad omnem quæstionem de fide solvendam sufficiat seu secundum quam solam de vera fidei doctrina judicandum sit. « *Credimus,* ait Formula Concord. P. I. n. 1. » *unicam regulam et normam, secundum quam omnia* » *dogmata omnesque doctores æstimari et judicari*

» *oporteat, nullam omnino aliam esse quam prophe-* » *tica et apostolica scripta tum Veteris tum Novi* » *Testamenti;* » et ibidem n. 7 : « *sola S. Scriptura* » *judex, norma et regula agnoscitur, ad quam omnia* » *dogmata exigenda sunt et judicanda, an vera, an* » *vero falsa sint.* » In hac Protestantium sententia, negatur, uti liquet, Traditionem esse divinæ revelationis thesaurum seu fontem divinitus institutum, et Ecclesiam esse vivum organum a Christo institutum ad doctrinam, quæ in revelationis fontibus continetur, infallibiliter proponendam.

Secundus error est doctrina plurimorum Protestantium hodiernæ ætatis atque Neo-Protestantium (Vieux Catholiques), secundum quam S. Scriptura et Traditio non sunt thesauri revelationis divinitus instituti ac proinde auctoritate divina fruentes, sed mera documenta *humana,* omnino iis similia quibus ad nostros usque dies conservata est doctrina Platonis, Aristotelis, Ciceronis aliorumque doctorum antiquitatis; atque insuper nulla in mundo existit viva auctoritas ad infallibiliter definiendum, quid in fidei fontibus contineatur. Juxta istos igitur, tota S. Scriptura et omnia Traditionis monumenta habenda sunt, ut res mere humanæ, ut mere humana historiæ documenta, e quibus unusquisque, adhibendo historicæ et litterariæ crisis regulas, veram Christi doctrinam debet haurire, haud secus ac e monumentis historicæ conamur doctrinam antiquorum philosophorum depromere.

Tertius error est doctrina omnium Naturalistarum,

qui omnem revelationem totumque supernaturalem ordinem negant. Sicuti Christum ut merum hominem et ejus doctrinam ut merum philosophicum systema habent, ita etiam fontes, quos Catholici credunt, a Christo divinitus esse institutos ad ipsius doctrinam conservandam, mera esse documenta humana ducunt. Pari modo rejiciunt Ecclesiam ut organum vivum ad fidem definiendam, a Christo esse institutum.

V. Quali methodo tractanda est præsens materia de Locis Theologicis? In præsenti tractatu, in quo demonstrandum est, S. Scripturam et Traditionem duos esse thesauros a Christo ad suam doctrinam conservandam institutos, ac proinde divina auctoritate fruentes, innitendum necessario est ipsis verbis et factis Christi, horum thesaurorum institutoris. Jam vero hæc Christi verba et facta nobis per ipsam S. Scripturam et Traditionem innotescunt; ac proinde ex ipsis testimoniis in S. Scriptura et in Traditione contentis auctoritas istorum thesaurorum est demonstranda. Atvero sedulo hac in re attendendum est, quod in præsenti demonstratione istis thesauris utimur non ut fidei fontibus divinam habentibus auctoritatem, sed *ut meris humanæ auctoritatis documentis* : secus enim versaremur in circulo vitioso, cum rem demonstrandam ut medium demonstrationis assumeremus. — Attamen, divina auctoritate unius thesauri demonstrata, in demonstratione auctoritatis alterius, priori thesauro tamquam divinam auctoritatem habente, jam licet uti, quemadmodum per se liquet.

Verum huic demonstrationi et alia est addenda, quæ ex ipso verbo Dei, h. e. ex ipsa Christi doctrina in S. Scriptura et in Traditione contenta et ab Ecclesia Romano-Catholica infallibiliter proposita, est depromenda; et quæ proinde una eademque est ac illa quæ fit in theologia speciali. Quam ob causam et qua ratione instituenda sit hæc demonstratio, declaratum fuit in *Dem. Christ.* pp. 16 et 29.

VI. Divisio hujus tractatus. Per se liquet hunc tractatum in duas distribuendum esse partes, quarum una tractabit de S. Scriptura, altera vero de Traditione. At prius agemus de Traditione, tum quia ejus existentia et indoles facilius deducuntur ex revelatione Christi in monumentis historicis consignata; tum quia traditionis auctoritate semel stabilita, doctrina de S. Scriptura passim tutius demonstrari et plenius explicari valet.

PARS PRIOR

De Traditione

PRÆNOTANDA

I. Definitio Traditionis. Per *Traditionem* intelligimus, uti pag. 2 dictum fuit, *verbum Dei seu divinam revelationem non divinitus conscriptam, sed per legitimos Apostolorum successores conservatam atque hac ratione de ætate in ætatem transmissam.*

Dicitur *verbum Dei* seu *divina revelatio;* ad declarandum objectum hujus fontis. Hoc objectum specifice idem est ac objectum S. Scripturæ; est nempe divina revelatio.

Dicitur *non divinitus conscripta*, ad proponendum quid Traditio non sit atque ad facilius eam hoc modo a Scriptura distinguendam : ipsa non consistit in libris ex divina inspiratione conscriptis. Sedulo attendatur, hic non dici *non conscriptam* sed *non divinitus conscriptam;* nam nihil obstat quominus Traditio sit scripta, modo scriptio non fuerit divina.

Dicitur *per legitimos Apostolorum successores conservatam atque hac ratione de ætate in ætatem transmissam*, ad declarandum in quo Traditio vere consistat : consistit in prædicatione constanti, qua revelatio de ætate in ætatem transmittitur; verum non consistit in prædicatione cujusvis hominis, sed in prædicatione apostolicæ successionis h. e., ut in trac-

tatu de Ecclesia demonstratur, Romanorum Pontificum qui succedunt S. Petro, et Episcoporum in communione cum Romana Sede existentium, qui successores sunt Apostolorum.

II. Varii modi quibus Traditio considerari potest. Ex supradictis liquet Traditionem sumi posse vel *objective tantum*, vel *active* seu *subjective tantum*, vel *objective et subjective simul*.

Traditio *objective tantum* considerata, potest sumi vel *late* vel *stricte;* si *late* sumatur, complectitur totam Dei revelationem Apostolis commissam; si *stricte*, complectitur tantummodo illa revelationis puncta, quæ in S. Scriptura non habentur et sola Ecclesiæ prædicatione sunt conservata, uti v. g. septem esse sacramenta nec plura, nec pauciora; Deiparam semper mansisse virginem; infantes esse baptizandos etc.

Traditio *active* seu *subjective tantum* sumpta, complectitur media varia, sicuti libros (sed non inspiratos), prædicationem oralem, praxes et instituta, quibus Apostolorum successores divinam revelationem conservarunt et propagarunt.

Traditio *complexe* sumpta est vel tota revelatio divina, vel illa revelationis pars, quæ in Scriptura non continetur, dictis mediis Traditioni propriis, a successione apostolica conservata et propagata.

III. De nominibus Traditionis. Fons ille fidei, de quo hic agimus, ordinarie vocatur vel simpliciter *Traditio*, vel *Traditio divina* (a parte primi auctoris), vel *Traditio apostolica* (a parte primorum præconum). — Attamen haud raro *Traditio apostolica* etiam dicitur de illis, quæ ab Apostolis, ut Ecclesiæ pastoribus, sunt instituta : qualis est observatio diei dominicæ. — Traditio quandoque etiam dicitur *Traditio ecclesiastica*, sed ordinarie per hoc nomen intelligi debent illa, quæ ab Ecclesiæ prælatis vel consuetudine sunt introducta, uti sunt observatio festorum, abstinentia ab ovis et a lacticiniis certis diebus, etc.

IV. Distributio materiæ. Ut catholicam de Traditione

doctrinam plene proponamus, sequentia sunt præstanda : *a)* debemus inprimis inquirere, *an* præter S. Scripturam alius sit fidei fons, Traditio scilicet, a Christo institutus; — *b)* cognita Traditionis existentia, tractandum est de ejus *essentia*, seu dicendum est quænam sint hæc media, a S. Scriptura distincta, quibus doctrina revelata ab Apostolorum successoribus conservatur et propagatur; et *c)* tertio loco, ut materia Traditionis fiat nota, exponi debet an Christi revelatio ita sit completa ut amplius augenda non sit, et a quo tempore sit completa.

CAPUT PRIMUM

De Existentia Traditionis

Q. An præter S. Scripturam alius existit divinæ revelationis fons, Traditio scilicet, seu apostolicæ successionis prædicatio?

R. *Nulla ratione S. Scriptura, sicuti Protestantes volunt, est unicus divinæ revelationis fons; nam præter eam admittenda etiam certe est prædicatio successionis apostolicæ seu Traditio.*

—

I. Gradus certitudinis. Id *de fide* est; in Vaticano enim Concilio, Const. *Dei Filius*, c. II legitur : « Hæc supernaturalis » revelatio, secundum universalis Ecclesiæ fidem, a Sancta » Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis » (in S. Scriptura) et in sine scripto traditionibus, quæ ipsius » Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu » Sancto dictante quasi per manus traditæ, ad nos usque » pervenerunt. »

II. Demonstratur propositio : 1° *E S. Scriptura; a) ex*

disertis verbis Christi. Christus, ubi Apostolis suis munus doctrinam suam docendi atque propagandi contulit, eis imposuit ut quæ audiverant ab ipso et viderant, *docerent prædicarentque* et *ipsius testes essent;* dixit nempe : « *Euntes ergo* » *docete omnes gentes* (Matth. XXVIII, 19); *euntes in mun-* » *dum universum prædicate Evangelium omni creaturæ* » (Marc. XVI, 15); *eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni* » *Judæa et Samaria et usque ad ultimum terræ* (Act. I, 8); *et* » *ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consum-* » *mationem sæculi* (Matth. XXVIII, 20) » : quæ verba clare indicant Christum voluisse ut Apostoli prædicationis munus obirent, et hoc munus eorum morte non cessaret sed in perpetuum, ad finem mundi usque duraret; atque eis eorumque successoribus pro hoc prædicationis munere assistentiam suam supernaturalem promisisse. Jamvero hæc prædicatio a Christo Apostolis suis eorumque successoribus imposita, nihil aliud est ac Traditio. Ergo Christus instituit Traditionem uti fidei fontem.

b) ex praxi et ex doctrina Apostolorum. In historia Novi Testamenti videmus Apostolos Ecclesias fundantes, Evangelium identidem quidem scriptis inspiratis, sed ordinarie *oretenus* prædicantes aliosque instituentes qui ipsorum loco alios iterum instituant. « *Quæ audisti a me,* scribit Paulus dilecto suo » Timotheo II *Ep.* II, 2, *per multos testes, hæc commenda* » *fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* » Imo S. Paulus expresse docet Thessalonicenses, quod eodem modo accipere debent apostolicam prædicationem ac Scripturam : « *Itaque fratres,* ait II *Thess.* II, 14, *state et tenete traditio-* » *nes, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam* » *nostram.* » Ergo ex Apostolorum praxi et doctrina constat, eos Traditionem habuisse ut verum fidei fontem.

2° *E Patribus.* Existentiam Traditionis uti fontis fidei in antiquitate agnitam fuisse, luculenter patet tum ex Patrum effatis, tum ex eorum in controversiis circa fidem ortis, agendi ratione.

a) S. Irenæus præclarissime in rem nostram scribens, explicite docet, Scripturas non esse necessarias, quapropter et multas gentes barbarorum in Christum credere sine charta et atramento, custodientes veterem Traditionem, *quam Apostoli tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesiam. (Adv. Hær.* L. 3. c. 3). Ergo, ex ejus mente, datur præter S. Scripturam, aliud depositum in Ecclesia, Traditio scilicet, omnem Christi doctrinam complectens. — Clemens Alexandrinus de magistris suis loquens ait, *eos Traditionem, quæ est a sanctis Apostolis, servasse, et Deo ita agente in se deposuisse illa a majoribus data et apostolica semina. (Strom.* L. I, c. I). — Origenes testatur Ecclesiam ab Apostolis Traditionem suscepisse, et ex Traditione parvulis Baptismum dare; atque ait, multa in Ecclesia observari debere, quorum ratio omnibus pateat, quia a Christo et ejus discipulis, quamvis non litteris consignata, tamen tradita et commendata sunt; et varias ejusmodi Traditiones non scriptas enumerat. *(Hom.* V *in Num.* n. 1).

b) Verum non tantum verbis, sed et factis pia antiquitas suam communem fidem de Traditione tamquam fidei fonte, patefecit. Nam hæc fuit perpetua et constans Patrum in conciliis praxis, ut priusquam sua decreta, ad fidem catholicam stabiliendam et hæreses proscribendas ederent, Traditionem super materia definienda semper diligentissime exquirerent, eamque in omnibus religiose sequerentur.

3° *Ex ratione theologica. a)* Plene probatur saltem alicujus Traditionis existentia ex eo quod, omni Traditione rejecta, jam cognosci non possit, quinam sint S. Scripturæ libri; quod tamen juxta ipsos Protestantes, qui S. Scripturam ut unicum fidei fontem habent, necessario debet posse cognosci. Si enim alius non existeret fidei fons ac S. Scriptura, atque proinde id omne, quod est credendum, e S. Scriptura esset depromendum, edoceri deberemus ex ipsa S. Scriptura, quinam libri ad eam pertineant. Jamvero primus Scripturæ liber, de quo inquiritur,

omnino non potest ut inspiratus agnosci ex ipso ejus testimonio, ut inspirato verbo Dei considerato, quin habeatur circulus vitiosus, seu quin assumatur ut demonstrationis medium id ipsum, quod demonstrari debet; nam ab una parte inquireretur an talis liber sit inspiratus, dum ab altera ad hujus libri inspirationem demonstrandam jam supponeretur eum certe inspiratum esse. Ergo, rejecta omni Traditione, rejici etiam deberet S. Scriptura, quippe quæ sine Traditione cognosci non valeat.

b) Si quædam Traditio non esset fidei fons, tota Christi revelatio in sola S. Scriptura contineretur, ac proinde hoc ipsum fundamentale punctum, quod nempe Scriptura unicus est fidei fons, deberet in ea doceri. Atqui id neque explicite neque implicite in S. Scriptura declaratur; ergo.

c) Quod ex divina ordinatione a mundi initio fuit medium non solummodo *aptum*, sed usque ad Moysen *unicum*, quo per universum orbem diffunderentur et transmitterentur veritates omnes sive revelatæ sive etiam non revelatæ, sed evidentia intrinseca destitutæ; illud ad finem mundi usque permanet medium aptum ad eumdem finem assequendum, nisi divinæ huic ordinationi fuerit diserte derogatum. Atqui traditio ab ipsis mundi exordiis fuit medium universale a Deo ad veritates transmittendas institutum, neque huic institutioni unquam fuit derogatum. Ergo.

Major per se patet; *minor* autem facile demonstratur. Etenim 1° ante Moysen nullum erat scriptum inspiratum; ergo vel dicendum est usque ad Moysen nullum fuisse a Deo constitutum medium ad veritates transmittendas, vel dicendum traditionem toto illo tempore medium fuisse transmissionis veritatum, et quidem universale et unicum. Sed debuit necessario medium existere conservandi et transmittendi veritates. Ergo. — 2° Huic primitivæ ordinationi nunquam fuit derogatum. Hæc enim derogatio vel explicite vel implicite commemoraretur in Scriptura, cum Scriptura, Traditione rejecta, unicus esset

fidei fons. Atqui ejusmodi derogationis neque implicite meminit Scriptura.

III. Objectiones. 1° Ex Patribus objiciunt adversarii, hos passim docere, *in Scripturis inveniri illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi* (Aug. De Doctr. Christ. L. 2); *illas esse perfectas et per se sufficientes* (Tertull. adv. Hermog. c. 22); *soli S. Scripturæ fidem esse adhibendam, ex ea una doctrinam Christi esse hauriendam* (S. Cyr. contra Jul. L. 7); et *Traditionem eam tantum observandam esse, quæ scripta sit* (Cypr. Epist. 74).

R. Ut objectio valeret, deberent adversarii demonstrare phrases istas nobis objectas, certe, expresse et determinate docere, quod Traditio non sit verus fidei fons. Atvero id probare nequeunt, nam nulla est ex istis sententiis, quæ in orthodoxo sensu explicari non valeat. Possunt nempe intelligi vel de Scriptura cum Traditionis doctrina conjuncta; vel de uno alterove fidei dogmate, quod clare in Scripturis continetur; vel de Scriptura in oppositione cum opinionibus et traditionibus ab hominibus excogitatis, quæ sunt extra auctoritatem Scripturæ, id est divinæ doctrinæ diserte repugnant, considerata; vel de veritatibus fidelibus omnibus simpliciter ad fidem et bonos mores scitu necessariis, et in SS. Litteris non immediate sed mediate contentis. Solus Cyprianus verbis vere obscuris de Traditione loquitur; sed scripsit illud, cum errorem suum contra Pontificem tueri vellet; unde, ut observat Bellarminus, non mirum, si more errantium tunc ratiocinaretur.

Obj. 2. Deus non facit opera inutilia. Jamvero si Traditio est fidei fons divinitus institutus, S. Scriptura inde redditur prorsus superflua; ergo.

R. Per Traditionem tam parum Scriptura superflua redditur, quam per Scripturam Traditio : contra, duo illi fontes se invicem complent perficiuntque. Etenim prædicatio successionis apostolicæ maxime juvatur per libros inspiratos, quorum testi-

monia ut indubitata principia constanter adhibentur et tutum prædicationis centrum constituunt : si enim S. Scriptura non existeret, certe Christianæ doctrinæ conservatio per apostolicæ successionis prædicationem multo difficilior evaderet. S. Scriptura autem sine Traditione, uti supra ostendimus, neque cognosci neque conservari potest. Ergo proposita objectio omni destituta est fundamento.

IV. Quæstio subsidiaria. *Quomodo integra conservatur doctrina revelata, per apostolicam successionem, et qualis habetur securitas de hac conservatione?*

R. Christus Dominus infallibilitatem concessit cœtui apostolicæ successionis ad transmittendam et conservandam fidei et morum doctrinam : dedit nempe infallibilitatem S. Pontifici e cathedra loquenti atque etiam toti cœtui apostolicæ successionis simul sumpto, sive ille in œcumenico concilio sit congregatus sive per orbem dispersus; quemadmodum in Tractatu *de Ecclesia* late probabimus. — Unde doctrina tradita per S. Pontificem e cathedra loquentem, aut per totum cœtum apostolicæ successionis sive in concilio œcumenico congregatum sive per orbem dispersum, est infallibiliter Dei verbum.

Verumtamen si apostolicæ successionis prædicatio historice tantum spectetur, præcisione nimirum facta ab illo infallibilitatis charismate a Christo concesso, ipsa adeo apte suo muneri conservandæ doctrinæ respondet, ut per se sufficiat ad omnem corruptionis suspicionem excludendam. Verissime de Ecclesiæ patribus et pastoribus scribit Augustinus, L. 2, *contra Julianum* n. 34 : « Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod » didicerunt, docuerunt; quod a patribus acceperunt, hoc filiis » tradiderunt. » Hinc nihil adeo exosum semper in Ecclesia fuit quam novitas, uti clare patet ex historia hæresium, conciliorum, omnium controversiarum, et ex veteri isto Ecclesiæ axiomate : *nihil novi nisi quod traditum est.* Unde scribit Vincentius Lirinensis in *Commonitorio* n. 6 : « Mos iste semper in

» Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promptius » novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena » sunt omnia. » Quæ omnia sunt tam manifesta, ut Protestantes et increduli nulla ratione ostendere possint, corruptionem Traditionis aliquatenus fuisse possibilem in Ecclesia. — Unde e testimonio Traditionis, potest nobis cum plena certitudine constare, aliquod doctrinæ punctum certe a Deo esse revelatum; et hoc quidem obtinet non tantum quando ad infallibilitatem apostolicæ successioni a Christo concessam attenditur, sed etiam quando hæc infallibilitas seponitur.

CAPUT SECUNDUM

De essentia Traditionis seu de mediis quibus revelata doctrina per Apostolorum successores conservatur et transmittitur.

Q. QUÆNAM SUNT MEDIA, QUIBUS REVELATA DOCTRINA PER APOSTOLICAM SUCCESSIONEM CONSERVATUR ET TRANSMITTITUR; ET QUÆNAM SUNT PROINDE PROMPTUARIA, UNDE DOCTRINAM TRADITAM HAURIRE DEBEMUS?

R. *Illa media et promptuaria sunt omnia et singula documenta, quibus continetur doctrina per Apostolorum successores variis Ecclesiæ ætatibus prædicata; quorum præcipua sunt :* a) *symbola et professiones fidei vel singillatim vel in actis Conciliorum vel in scriptis Patrum conservata;* b) *acta definitionesque Conciliorum præsertim œcumenicorum atque S. Pontificum;* c) *scripta Patrum;* d) *libri liturgici et totus sacer cultus;* e) *martyrum acta;* f) *catechismi et litteræ episcopales;* g) *doctrina Scholasticorum, seminariorum et uni-*

versitatum; h) *historia ecclesiastica*; i) *et catholicus consensus de aliquo fidei dogmate.*

—

Prænotandum. Si Traditio, uti vidimus, nihil aliud est ac revelata doctrina per Apostolorum successores de ætate in ætatem prædicata, omnia et singula documenta, quibus hæc apostolicæ successionis prædicatio continetur, sunt necessario media et promptuaria Traditionis. Plurima et varia habentur ejusmodi documenta; verum præcipua sunt illa, quæ in responso proposuimus.

A. *Symbola et Professiones fidei*

Ab initio necesse fuit ut doctrina viva voce prædicata ad aliquam formulam fixam reduceretur, ac præcipua fidei capita brevi aliquo exprimerentur compendio, quod veluti symbolum seu tessera fidei omnibus fidelibus proponeretur. Inde ab initio exstitit *symbolum* quod dicitur *Apostolorum*, utpote ab Apostolis, uti certo dicendum videtur, compositum; et postea alia longiora et magis explicita exorta sunt symbola et professiones fidei, secundum rerum et temporum necessitatem.

Hæc symbola et has professiones optima esse media atque infallibilia promptuaria Traditionis per se liquet, cum ipsa sint expressa fidei doctrina, ab apostolica successione toti fidelium cœtui proposita.

B. *Acta definitionesque Conciliorum, præcipue œcumenicorum, atque S. Pontificum*

Quævis concilia, sive œcumenica in quibus moraliter totus cœtus successionis apostolicæ adest, sive particularia in quibus adsunt plures episcopi vel etiam unus tantum cum clero, e sua natura sunt quoad partem suam doctrinalem, media et monumenta Traditionis. — Definitiones conciliorum œcumenicorum

sunt infallibiles, utpote a toto apostolicæ successionis cœtu, qui semper in materia fidei et morum infallibilis est, editæ; illæ autem, quæ ab aliis conciliis emanant, per se infallibiles non sunt, sed testimonium dant de fide determinatæ partis Ecclesiæ.

Definitiones S. Pontificum sunt etiam de se media et promptuaria Traditionis, utpote emanantes e capite totius cœtus apostolicæ successionis. — Ubi S. Pontifex ut caput Ecclesiæ, de rebus fidei vel morum cum voluntate omnes fideles ad fidem obligandi loquitur, ejus definitiones sunt infallibiles.

C. *Scripta S. Patrum*

Ad cognoscenda Patrum scripta, quatenus sunt media et promptuaria Traditionis, inquirere debemus : *a)* quid intelligatur per *Patres Ecclesiæ; b)* quinam scriptores sint ipsis affines, et quomodo Patres ab istis distinguantur; *c)* quænam sit Patrum auctoritas.

I. Quid intelligitur per Patres Ecclesiæ? Patrum nomine veniunt illi scriptores ecclesiastici, qui doctrina pura et sublimi, vitæ sanctitate et quadam antiquitate fulgent; quosque ipsa Ecclesia aut expressa declaratione, aut praxi ut tales suscipit et veneratur. — Debent fulgere *pura et splendida doctrina*, quia Ecclesia reponitur in fide ac proinde filii ejus h. e. fideles, generandi, nutriendi, sustentandi sunt per orthodoxam fidei prædicationem : unde nemo potest censeri *pater* Ecclesiæ, si non genuit, nutrivit Ecclesiæ fideles per splendidam, sanam, puramque doctrinam. — Debent etiam splendescere *sanctitate vitæ;* quia fideles sunt generandi et nutriendi non tantum doctrina orali sed etiam exemplis : unde imperfecte gignit et nutrit, atque incompletus est pater fidelium, qui eos doctrina quidem, sed non exemplis docet. Præterea pura, completa et eminens fidei cognitio raro existit a sanctitate vitæ separata. — Dein præstare quoque debent *antiquitate,* quia *pater Ecclesiæ* dicit fundatorem, primum parentem, primum propagatorem Eccle-

siæ : unde series Patrum ibi clauditur ubi Ecclesia censetur plene stabilita evolutaque. S. Bernardus, qui defunctus est anno 1153, habetur ut ultimus Ecclesiæ pater. — Tandem debent etiam ab *Ecclesia vel explicite vel praxi ut Patres suscipi.* Et ratio est, quod juxta judicium apostolicæ successionis judicandum est de orthodoxa eminentique doctrina atque de sanctitate alicujus scriptoris, cum Apostolorum successores soli munus acceperint, ut mundo toti doctrinam revelatam prædicarent, atque fidelium informarent mores.

II. Quinam scriptores Patribus sunt affines; et quomodo Patres ab istis distinguuntur? Eis affines sunt *Ecclesiæ Doctores* et *Scriptores Ecclesiastici.*

Doctores Ecclesiæ sunt scriptores ecclesiastici sive antiqui, sive recentiores, qui sanctitate vitæ et (inter omnes Patres et scriptores) mira sublimitate doctrinæ fulgent, atque ut tales ab Ecclesia approbati sunt. Differunt a Patribus ex eo quod quadam antiquitate non debent sicut Patres fulgere, sed quod ab altera parte multo magis quam reliqui Patres doctrina sua debent excellere.

Scriptores Ecclesiastici autem sunt illi scriptores antiqui, qui fulgent quidem sua doctrina, sed sanctitate non claruerunt. — Isti igitur non sunt Patres, quia sanctitas in eis deficit.

Titulo doctoris condecorantur : *a) ex græcis*, SS. Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus et Joannes Chrysostomus, quibus annumeratur ordinarie S. Gregorius Nyssenus; — *b) ex latinis*, a Bonifacio VIII declarati, SS. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus et Gregorius Magnus; quibus adjuncti sunt a Pio V, S. Thomas, Doctor Angelicus; a Sixto V, S. Bonaventura, Doctor Seraphicus; a Benedicto XIV, S. Leo Magnus; a Pio VIII, S. Bernardus; a Gregorio XVI, S. Petrus Damianus, et a Pio IX, SS. Hilarius, Alphonsus de Ligorio et Franciscus Salesius. Eodem titulo insignes in officio ecclesiastico vel in conciliis particularibus perhibentur SS. Petrus Chrysologus, Isidorus, Beda, Ildephonsus, Anselmus etc.

Præcipui antiqui scriptores ecclesiastici, qui ob sanctitatis defectum, nomen *Patris Ecclesiæ* non obtinent, sunt : Papias, Tertullianus, Origenes, Clemens Alexandrinus, Eusebius cæsariensis, Rufinus, Lactantius.

III. Qualis est auctoritas Patrum?

Prænotetur Patres considerari posse vel ut *Doctores* vel ut *Testes* fidei : ut *Doctores,* quatenus veritates catholicas explicant et scientifice probant aut vindicant; — ut *Testes*, quatenus testificantur quid Ecclesia credat aut credendum proponat. — Eos autem ut testes loqui, patet, si v. g. id vel diserte vel æquivalenter affirmant, si ad majorum traditionem provocant, si quod proponunt doctrinam esse fidei asserunt, si doctrinam contrariam tamquam hæreticam rejiciunt, etc. — Ut doctores censendi sunt locuti, si sententiam magis argumentis internis, quam ex fide majorum atque Ecclesiæ probare satagunt; si, cum propriam sententiam tuentur, cæteris relinquunt proprium sectari placitum, aut alio modo simili se gerunt.

Prænotari etiam debet Patres, qui episcopali charactere fuerunt insigniti, majori frui auctoritate quam meros sacerdotes, cum Episcopus, ex ipsa Christi institutione, ad docendum sit institutus et in hunc finem speciali gaudeat charismate Spiritus Sancti.

Præ oculis quoque semper tenendum, Patrum doctrinam nonnisi in materia fidei et morum Traditionis medium et promptuarium esse, uti ex subjecta materia intelligitur.

Respondetur : 1° *Consensus moraliter unanimis Patrum alicujus ætatis in rebus fidei et morum certissimum exhibet Traditionis testimonium.* Id enim per se liquet : et re quidem vera, consensus unanimis Patrum indubie repræsentat doctrinam totius apostolicæ successionis fidemque totius Ecclesiæ, quæ credere tenetur id quod docetur ab Apostolorum successoribus. Sed apostolica successio est infallibilis, et Ecclesia tota non potest a fide deficere, uti infra in Tractatu *de Ecclesia* de-

monstrabimus; ergo. — Præterea, etiam sepositis infallibilitate et indefectibilitate Ecclesiæ, unanimis Patrum consensus adhuc manet certissimum Traditionis testimonium; nam, attenta summa illa cura, qua in Ecclesia catholica ab ejus exordiis et in omni ætate, quævis innovatio doctrinæ fuerit omni modo impedita, nulla potest adesse ratio aliquatenus solida ad suspicandum, quod omnes particulares Ecclesiæ unanimi sententia in aliquo fidei puncto, a veritate unquam defecerint. Hujusmodi enim suspicio omni fundamento caret, ac insuper directe cum Ecclesiæ vita pugnat. — Quod fieri non potuit, ut omnes Patres unanimi sententia unquam a vera fidei doctrina recesserint, ex multis factis historicis luculentissime demonstratur. Ita 1° semper observatum est institutum apostolicum (S. Paulus *Tit.* I, 9), ut episcopus non eligeretur, nisi prius ejus fides aliis probata esset, « ne quis ad sacerdotalem locum indignus obreperet, » uti ait *S. Cyprianus Ep.* 68. — 2° Per litteras communicatorias invicem missas, nominatim per communicatorias cum S. Pontifice, omnes de fidei communione cum orbe universo securi erant : cui vero communio negabatur, is quisquis esset, christianus non erat, quia in Ecclesia non erat. (Cfr. *Cypr.* Ep. 51). — 3° Huc etiam spectat descripta in dyptichis series orthodoxorum episcoporum; et inde etiam est profecta diligentia scriptorum ecclesiasticorum in conservandis catalogis singularum ecclesiarum. — 4° Si quando in aliqua ecclesia novitas doctrinæ contra fidem traditam erumperet, officium erat Episcopi non modo eam comprimendi sed etiam continuo cæteros episcopos et inprimis romanum Pontificem certiores reddendi, ut communi sententia ubique damnaretur novitas et ab Ecclesia arceretur (Cfr. *Stapleton*, Controv. L. 7. c. 7). — 5° Clericis et laicis ad alias ecclesias transeuntibus solebant ab Episcopis dari litteræ communicatoriæ eorum orthodoxæ fidei, ut hac cautela, homines a fide alieni nunquam in communionem fidelium irrepere possent.

Observetur ad unanimem Patrum alicujus ætatis consensum demonstrandum, haud requiri ut omnium ad unum Patrum testimonia referantur : ex permagno numero testimoniorum, v. g. ex explorato omnium occidentalium suffragio licet certe consensum unanimem inferre, propter unitatem fidei, quæ semper in Ecclesia viguit.

2° *Consensus Patrum numero plurium doctrina et pietate insignium, qui diversis ætatibus et locis inclaruerunt, et quorum doctrina non fuit per ecclesiasticos viros ut falsa impugnata, pariter irrefragabile præbet testimonium Traditionis.* Ratio hujus assertionis est, quod, ubi multi Patres doctrina et pietate insignes, variis ætatibus et diversis locis in eamdem fidei doctrinam conspirarunt, quin ullus homo doctus et de bono Ecclesiæ sollicitus reclamaverit, inde concludi necessario debet, totam apostolicam successionem totamque Ecclesiam hanc doctrinam unanimi sententia admisisse et credidisse. Sed tota successio apostolica vel tota Ecclesia nequit a vera fide deficere, tum propter infallibilitatem a Christo concessam, tum propter Ecclesiæ indefectibilitatem ejusque mores. Ergo.

3° *Testificatio Patrum numero pauciorum, vel etiam unius Patris, si iidem non tantum citra aliorum oppositionem sed cum Ecclesiæ plausu quædam fidei dogmata defendunt, etiam indubium præbet Traditionis testimonium.* Cujus asserti ratio est, quod hæc paucorum Patrum vel etiam unius Patris doctrina fidem exhibet totius Ecclesiæ docentis et credentis, quæ uti supra vidimus, infallibilis est et a fide deficere nequit. Ita auctoritas S. Augustini in materia de prædestinatione et de gratia; S. Hilarii et S. Athanasii in mysterio SS. Trinitatis; et S. Leonis Magni et S. Cyrilli Alexandrini in mysterio Incarnationis permagnam habent auctoritatem, cum isti Patres, Ecclesia plaudente, fidem catholicam in prædictis materiis propugnaverint.

4° *Testificatio paucorum Patrum vel unius Patris tan-*

tum, per se solam et nude spectata, non præbet indubium Traditionis testimonium; nam nullus Ecclesiæ Pater (excepto S. Pontifice, ubi e cathedra loquitur) neque est infallibilis, neque, ubi communi approbatione non gaudet, fidem totius Ecclesiæ certe repræsentat. — Auctoritas autem singulorum Patrum, ubi seorsim spectatur, est inæqualis pro uniuscujusque ætate et doctrina, atque pro substrata materia.

IV. Nota. Diffiteri non possumus, Patres hinc inde inter se etiam circa doctrinæ revelatæ capita dissentire. Sæpe tamen hic dissensus est vel *apparens* tantum, vel *rei substantiam non attingit*, sed tantum quæstiones accidentales aut modum loquendi respicit. — 1° Ex infallibilitate et indefectibilitate Ecclesiæ, necnon ex ejus constitutione certo constat, fieri nunquam posse, ut Patres omnes unius ætatis contradicant omnibus Patribus alterius ætatis in re ad fidem spectante; neque ullum hujus dissensus afferri potest exemplum. — 2° Progrediente ætate multæ locutiones et verborum significationes mutantur; unde necessario factum est, ut Patres antiquiores sæpe non cum iisdem formulis, ac illi qui ætate posteriores sunt, de dogmatibus locuti sint, atque etiam haud raro quid falsi docere videantur, cum locutiones et verba, quibus ipsi utuntur, nunc pristinum suum sensum amiserint. — 3° Etiam multæ locutiones et verba Patrum specialem obtinuerunt sensum ex rerum circumstantiis, aut ex controversiis quæ tunc movebantur : unde nisi quis bene cognoscat, quibusnam in circumstantiis, quanam occasione, et ob quem finem Patres scripserint, facile errabit in eorum interpretatione et falsum tribuet eorum sententiis sensum. — 4° Ubi aliquod fidei dogma nondum ab hæreticis est impugnatum neque per Ecclesiam expresse definitum, liberius et cum minori circa verborum delectum cura per catholicos de eo scribitur, cum formulæ ad hoc dogma exprimendum nondum existant, et multa accidentalia hujus dogmatis tunc minus sint determinata : unde etiam facile intelligitur plures differentias inter modum loquendi

et doctrinam de accidentalibus fidei punctis debere existere inter Patres primitivæ Ecclesiæ et illos qui posterioris ætatis sunt.

Fieri tamen potest ut paucorum Patrum testimonia nullo modo conciliari possint cum sana doctrina; et in hoc casu seponenda sunt. Neque enim mirum videri debet aliquos Patres in nonnullis punctis errasse propter defectum et monumentorum et definitionis ecclesiasticæ in controversiis subortis; unde non semper sat clare videre poterant, sententiam aliquam revelatione divina contineri. De hisce erroribus bene dicit Facundus Hermianensis (L. 6. n. 5) : « Hæc autem scandala, vel quælibet » merito nos offendunt in Patribus, quos tamquam luminaria » Deus in Ecclesia sua constituit, ut eorum desuper illuminemur » excellenti doctrina et scientia, sic habenda mihi videntur sicut » ipsorum quoque luminarium cœli defectus : quæ licet nonnum- » quam splendoris sui detrimenta sustineant, non tamen amit- » tunt luminaria esse quod sunt. Et crebro quidem accidit, ut » ista quoque Ecclesiæ luminaria, quoniam multa a nobis » celsitudine separantur, pro quodam ignorantiæ nostræ nubilo, » cum in se splendentia maneant, nobis obscura videantur. »

D. *S. Liturgia et totus cultus divinus*

Liturgia et totus cultus divinus sunt practica et realis expressio fidei internæ Episcoporum, presbyterorum et totius plebis; quod tam manifestum est, ut in Ecclesia tamquam axioma acceptum sit : *lex supplicandi statuit legem credendi*, atque ut Patres libenter ad Ecclesiæ preces et ritus pro confirmandis dogmatibus semper provocaverint.

Inde, si quid omnium Liturgiarum consensu sit comprobatum, illud tamquam publicum, universale et constans Traditionis testimonium haberi debet; et generatim omnes regulæ, quas de auctoritate Patrum proposuimus, Liturgiæ et toti cultui divino applicari possunt.

E. *Acta Martyrum*

Ex actis Martyrum patet, quid crediderint martyres, seu quæ fuerint veritates ab Ecclesia prædicatæ, pro quarum confirmatione ipsi sanguinem suum fuderint. — Quapropter, maxime ubi inter plura martyrum acta habetur consensus, valida et indubia Traditionis testimonia ex istis promptuariis desumi possunt.

F. *Catechismi et Litteræ Episcopales*

Catechismus nihil aliud est ac compendiosa totius fidei doctrina ab Episcopo, qui ex divina institutione munus habet subditos suos fidem docendi, clero et plebi imposita; clero ut eam plebi explicet et tamquam fidei compendium in populo docendo sequatur, et plebi ut eam addiscat et amplectatur. Ergo Catechismi optimum sunt medium transmissionis doctrinæ divinæ et ditissimum hujus doctrinæ promptuarium.

Litteræ episcopales similem habent valorem, cum et ipsæ proveniant a fidei custodibus ab ipso Christo institutis.

Ad auctoritatem autem testimonii e Catechismis et e Litteris episcopalibus desumpti cognoscendam, regulæ supra de Patribus traditæ hic etiam applicari debent.

G. *Doctrina Scholasticorum, Seminariorum et Universitatum*

Scholastici medii ævi docuerunt, et Seminaria Universitatesque docent sub immediata vigilantia Episcoporum, qui immediati sunt fidei custodes; atque ideo eorum doctrina circa fidem jure et merito debet censeri doctrina Episcoporum, sub quorum vivunt custodia.

Inde manifeste liquet, quod Scholæ medii ævi, Seminaria et Universitates vera sunt media prædicationis fidei et optima traditionis promptuaria.

Ubi autem agitur de testimonio ex isto promptuario circa fidei doctrinam desumendo, eædem illæ regulæ, quas propo-

suimus pro usu scriptorum SS. Patrum, hic etiam valent. Certe unanimis et constans conspiratio scholarum per tempus diuturnum et quidem in doctrinam non qualemcumque, sed quam statuunt revelatam atque fide tenendam, tamquam irrefragabile Traditionis testimonium haberi debet; nam ista doctrina nihil aliud est ac fides totius successionis apostolicæ totiusque Ecclesiæ.

Inter Patrum tamen consensum et theologorum conspirationem sequens existit discrimen : 1° Patres fere omnes *vi muneris sui* (episcopalis scilicet) successores sunt Apostolorum, et inde testes authentici (utpote a Christo ad hoc instituti) divinæ revelationis; — 2° Singuli Patres ab Ecclesia diserte vel æquivalenter sunt approbati, non vero singuli theologi, si paucos excipias.

H. *Historia Ecclesiastica*

Historia Ecclesiastica, sicut et alia quæ ad Ecclesiam pertinent narrat, ita etiam refert, quid Ecclesia quavis ætate docuerit, prædicaverit et tradiderit, cum fidei doctrina inter præcipua facta ecclesiastica sit numeranda.

Ad pristinam Ecclesiæ fidem facile et tuto cognoscendam maxime juvat *hæresium historia*. Etenim 1° si aliqui propter novum dogma ab Ecclesia defecerunt, jam inde liquet doctrinam oppositam in Ecclesia fuisse traditam; et si Ecclesia aliquos propter hæresis crimen anathematis pœnæ subjecit, manifeste inde colligitur, doctrinam aliam ab ipsa prædicatam esse, quæ scilicet huic hæresi immediate et directe adversatur. — 2° Puncta, in quibus hæretici cum catholicis consentiunt, clare ostendunt, quid de istis senserit Ecclesia catholica eo tempore, quo illi hæretici a vera fide recesserunt; nam hæc puncta mutuati sunt hæretici ab Ecclesia catholica, certe non post suum a vera fide discessum, cum tunc Ecclesiam catholicam summo prosequerentur odio, sed tempore suæ unionis.

I. *Catholicus consensus de aliquo fidei dogmate*

Inter media quibus conservatur successorum Apostolorum prædicatio et inter promptuaria e quibus hæc hauritur, recenseri etiam debet consensus populi christiani in aliquam veritatem ut revelatam tenendam. Et re quidem vera, hæc unanimis fides est vox repercussa (écho) prædicationis successionis apostolicæ, atque ita doctrinam Traditionis continet et manifestat. Præterea doctrina, in quam omnes consentiunt fideles, nequit esse falsa; nam Ecclesia, quando a vera deficeret fide, periret; quod est contra ejus indefectibilitatem.

CAPUT TERTIUM

De plenitudine revelationis christianæ et de tempore, a quo revelatio christiana fuit completa

Q. An revelatio Christi ita est completa ut omne augmentum depositi fidei excludat, et a quo tempore hanc perfectionem obtinuit?

R. *Revelatio christiana per Christum et per Spiritum Sanctum Apostolis facta ita completa censeri debet, ut non tantum omnem novam perfectioris ordinis et amplioris extensionis œconomiam, sed etiam omne qualecumque augmentum depositi fidei per novam aliquam revelationem obtinendum excludat; et hanc perfectionem obtinuit ab ultimi ex Apostolis morte.*

—

I. Explicatio. In hoc responso duo continentur puncta : 1° revelationem christianam omnino esse completam, et quidem non tantum ita completam esse, ut alia œconomia ei succedere non debeat, sed etiam ut absolute omne augmentum depositi

fidei per alicujus novæ veritatis revelationem excludatur; — 2° revelationem hac ratione consummatam fuisse a tempore mortis ultimi Apostoli; ac proinde ad materiam Traditionis nihil aliud pertinere ac revelationem a Christo et a Spiritu Sancto Apostolis factam.

II. Errores. Præcipue memoria hic est facienda de falsis istis opinionibus in pristina Ecclesiæ ætate et nunc etiam in recentioribus temporibus propugnatis, secundum quas, post œconomiam a Christo institutam alia succederet quæ esset a Spiritu Sancto, et abundantiorem Spiritus S. effusionem complecteretur.

III. Gradus certitudinis. Hæc doctrina est *de fide* : in Conc. enim Tridentino et in Vaticano legitur doctrinam fidei nostræ « contineri in libris scriptis et in sine scripto tradi-» tionibus quæ *ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ aut ab* » *ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus* » *traditæ* ad nos usque pervenerunt. »

IV. Demonstratur novam non esse exspectandam œconomiam, quæ christianæ revelationi succederet. 1° *E S. Scriptura.* Id aperte constat ex eo quod, quemadmodum vetus Testamentum novo comparatur uti imperfectum perfecto, cui locum cedere debet, ita novum Testamentum comparatur visioni in patria, quæ illi succedet. Ita S. Paulus (1 *Cor.* XIII, 9 et seqq.) dicit : « *ex parte enim cognoscimus et ex parte* » *prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est,* » *evacuabitur quod ex parte est.... Videmus autem nunc* » *per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* » *Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut et* » *cognitus sum;* et *(Hebr.* X, 1) : « *umbram habens lex* » *futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* » Jamvero si novum Testamentum comparatur visioni in patria, quæ illi succedet, in terra jam non datur locus novæ œconomiæ, quæ christianæ succedat.

Id quoque demonstratur ex eo quod œconomia a Christo

instituta exhibetur in Scripturis uti *plenitudo temporis (Gal.* IV, 4; *Eph.* I, 10), et revelatio Christi uti facta *in novissimis diebus (Hebr.* I, 1; *Act.* II, 17; I *Petr.* I, 20). Jamvero locutiones istæ *plenitudo temporis, novissimæ dies* indubie significant ultimam ætatem mundi, ultimam divinam œconomiam cui succedere debet finis mundi.

2° *E Patribus.* Ubi Patres de divina circa salutem œconomia loquuntur, tres distinguunt gradus : vetus Testamentum vocant *umbram,* novum vero *imaginem,* et visionem beatam seu cœlum *ipsam rem* seu *ipsum bonum salutis;* sed nullum gradum aut statum agnoscunt medium inter novum Testamentum et visionem beatam seu cœlum. Docent nempe ita se habere veterem legem ad Christi Ecclesiam in terris, sicut Ecclesia in terris se habet ad Ecclesiam cœlestem. Ita S. Ambrosius (in Ps. 38. n. 25) : « Primum igitur umbra præcessit, » secuta est imago, erit veritas. Umbra in lege, imago vero in » Evangelio, veritas in cœlestibus. »

Notetur eamdem veritatem confirmari iis omnibus, quibus suo loco ostendetur Ecclesiam Christi esse indefectibilem.

V. Demonstratur revelationis christianæ depositum post Apostolorum tempora nulla veritate nova esse augendum. 1° *e S. Scriptura.* In SS. Litteris *Apostoli* exhibentur uti primi promulgatores totius revelationis; dum ab alia parte successores Apostolorum dicuntur esse testes et doctores dumtaxat eorum, quæ acceperunt ab Apostolis usque ad consummationem sæculorum. Ita Apostoli a Christo jubentur *docere omnes gentes omnia quæcumque mandavit ipsis,* seu *Evangelium* (το ευαγγελιον) *(Matth.* XXVIII, 19, 20; *Marc.* XVI, 15), et testimonium perhibere seu *testes esse in Jerusalem, in omni Judæa et Samaria et usque ad ultimum terræ,* sub charismate *Spiritus Sancti suggerentis omnia et docentis omnem veritatem. (Act.* I, 8. *Joan.* XIV, 26; XVI, 13). Successores autem Apostolorum usque ad consummationem sæculi

pro munere et officio habere dicuntur, *ut permaneant in iis quæ didicerant et credita sunt illis* (ab Apostolis) *scientes a quibus didicerint* (II *Tim.* III, 14); ut eadem, quæ ab Apostolis *audierunt per multos testes, commendent fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* (II *Tim.* II, 2); *ut habeant formam sanorum verborum* (doctrinam puram) *quam ab Apostolis audierunt in fide, et bonum depositum custodiant per Spiritum Sanctum* (II *Tim.* I, 13 et 14). — Jamvero hæc omnia falsa forent, si post Apostolorum tempora novæ revelarentur veritates, quæ ab omnibus essent credendæ. — Ergo.

Idem demonstratur ex sequentibus textibus, in quibus declaratur quod fideles nihil aliud quam doctrinam ab Apostolis traditam debent sequi. « *Rogo vos, fratres*, ait S. Paulus » *(Rom.* XVI, 17), *ut observetis eos, qui dissensiones et offen-* » *dicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et* » *declinate ab illis.* » — S. Judas pariter dicit v. 3 : « *Necesse* » *habui scribere vobis, deprecans supercertari semel traditæ* » *sanctis fidei.* » Vox ista *semel* significat *semel pro semper*, ita ut nihil in hac doctrina sit mutandum. — In Epist. *ad Eph.* II, 20 simili ratione fideles dicuntur : « *superædificati* » *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum,* » h. e. fundati, innixi in doctrina Prophetarum veteris legis et Apostolorum.

2° *E Patribus.* Ipsi expresse docent successores Apostolorum esse custodes doctrinæ Apostolicæ, *cui nihil addi,* et a qua nihil detrahi possit. Ita S. Barnabas *(Ep.* n. 19) dicit : « Regula » lucis est : custodire quæ accepisti, neque addens quidquam » neque detrahens. » — Passim etiam asserunt Patres, quidquid novum est non ad fidem sed ad hæresim pertinere, si cum fidei deposito confundatur. — Tandem, ut historia sacra testatur, quoties de aliquo fidei puncto in conciliis inquisitio fuit instituta, quæstio semper ad hoc unum punctum reducebatur,

utrum ista doctrina contineretur in Scripturis vel in Apostolica Traditione.

VI. Quæstiones subsidiariæ.

Q. I. *Quomodo edocti sunt Apostoli a Spiritu Sancto, et quando : utrum Apostoli plenam cognitionem veritatum fidei acceperunt in ipso die Pentecostes per missionem Spiritus Sancti; an vero progrediente tempore aliquid ab Eo didicerunt, quod antea nesciebant?*

R. Variis modis eos docuit Spiritus Sanctus, nimirum *a)* eis in memoriam revocando quæ audierant a Christo, sed obliti erant; — *b)* explicando quædam, quæ audierant sed non intellexerant; — *c)* quædam revelando, quæ a Christo non audierant; — *d)* aperiendo sensum Scripturæ veteris Testamenti.

Videtur autem certo dicendum, quamvis aliqui dissentiant, quod Spiritus S. docuit Apostolos omnem veritatem non in sola die Pentecostes, sed successive, prout necessitas Ecclesiæ exigebat. Ita S. Petrus *(Act. Ap.* X, 11) per visionem postea sibi oblatam didicit gentiles ad fidem vocatos esse; et multa continentur in Apocalypsi, quæ non videntur fuisse antea revelata.

Q. II. *An igitur a morte Apostolorum nulla nova fit revelatio?*

R. Ab hoc tempore nulla nova revelatio, qua aliquid ab universa Ecclesia credendum revelaretur, amplius fit; verum nihil obstat quominus fiant revelationes privatæ, et tales revera haud raro fiunt. — Per revelationes privatas intelligimus eas revelationes, quæ non sunt directæ ad universam Ecclesiam, ut ab ea credantur, sed ad homines privatos, i. e. ad homines, qui non sunt Dei legati, ut olim Prophetæ et Apostoli, sed revelationem accipiunt ad suam propriam vel etiam ad aliorum privatam utilitatem. Fieri tamen potest, ut notat Ben. XIV *(De can. Sanct.* L. 3. c. *ult.* n. 2) ut revelatio privata etiam in bonum totius Ecclesiæ cedat; v. g. quod sit occasio instituendi aliquam festivitatem vel specialem quemdam cultum.

Si quæratur, an revelationes privatæ fide sint amplectendæ, respondendum est : *a)* revelationem privatam, ubi de ejus existentia satis constat, sufficere ad assensum fidei; sed *b)* ordinarie neminem, præter personam cui revelatio facta est, ad eam credendam teneri, ob sufficientis propositionis defectum.

Sed quid censendum est de privatis revelationibus, quæ ab Ecclesia quandoque approbantur? Communis responsio est : *a)* judicium illud non eo spectare, ut revelationes proponantur fidelibus fide divina credendæ sed ut declaretur nihil in eis contineri, quod fidei aut moribus adversetur; — *b)* hanc approbationem sufficiens esse veritatis indicium, ut hujusmodi revelationes pie et prudenter credi possint; — *c)* post hujusmodi Ecclesiæ approbationem vel etiam ubi aliæ adsunt graves rationes, fas non esse tales revelationes contemnere.

Q. III. *Si depositum fidei semper idem manet, an ideo omnes fidei veritates semper eodem modo in successionis apostolicæ prædicatione continentur?*

R. Cum non oporteat, ut *omnes* fidei veritates *æqualiter* ab omnibus fidelibus *explicite* credantur, necesse etiam non est, neque exspectari potest, ut omnes fidei veritates eodem claro et explicito modo in ecclesiastica prædicatione cujusvis ætatis contineantur. Quæ ab omnibus fidelibus explicite sunt credenda, sine dubio in Ecclesiæ prædicatione semper continentur *explicite*, *clare* et *diserte*. Contra vero in iis, quæ ad explicatiorem fidei intelligentiam pertinent, possunt esse puncta, quæ prius implicite et obscure tantum in Ecclesiæ prædicatione continentur, donec controversiarum adjuncta postulent explicationem impliciti, declarationem et expositionem obscuri, disertam prædicationem minus expressi. Inde in dogmatum historia triplex stadium quoad plura doctrinæ puncta potest distingui. *Primum* est stadium, quando nulla adhuc urgente controversia, et quæstione nondum diligenter discussa, caput aliquod doctrinæ non diserte proponitur, sed tenetur vel *implicite*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

in professione propositionis universalioris, vel magis *in usu et in praxi* quam in theoretica professione. — *Alterum* stadium est, quando hujusmodi doctrinæ caput non ita diserte et explicite per Ecclesiæ prædicationem propositum, incipit vocari in controversiam, et ideo diligentius examinari et investigari. Orta autem et durante controversia, fluctuatio aliqua inducitur et major apud quosdam obscuritas, quam fuerat antea; verum hæc controversia efficit ut, sub assistentia Spiritus Sancti, res ad liquidum deducatur. — *Tertium* stadium est, quando, eliquata quæstione, per solemne Ecclesiæ docentis judicium aut per unanimem invalescentem consensum, diserte et explicite proponitur, quid circa controversam quæstionem sit tenendum.

Hujus triplicis stadii plurima in dogmatum historia habentur exempla : ita, ut unum citemus, ab initio Ecclesiæ non explicite et diserte, sed implicite in alio dogmate, creditum est duas esse in Christo voluntates, divinam nimirum et humanam. In dogmate enim de duplici in Christo natura, certe continetur hoc aliud dogma de duplici in Christo voluntate, cum voluntas sit facultas tam ad divinam quam ad humanam naturam essentialiter pertinens. — Sæculo autem VII, quidam docti viri falsis rationibus innixi inceperunt controversiam hac de re movere, contenderuntque unicam tantum in Christo agnoscendam esse voluntatem; unde dubium aliquod apud quosdam fideles surrexit. — Verum, postquam per aliquot annos disputatum erat, solemni Ecclesiæ judicio definitum est duas in Christo confitendas esse voluntates : quod finem controversiæ imposuit, et effecit ut fidei dogma antea implicite in altero creditum, nunc explicite crederetur (1).

(1) Ex dictis liquet qua ratione intelligenda sit fidei regula a Vincentio Lirinensi (*Commonit.* c. 2) proposita : « In ipsa Catholica Ecclesia magno-» pere curandum est, ut id teneamus, quod *ubique*, quod *semper*, quod *ab* » *omnibus* creditum est. Hoc est etenim vere et proprie catholicum. » Hæc regula, quæ *universitatem*, *antiquitatem* et *consensionem* tamquam catho-

Q. IV. *Quibus modis potest id, quod antea implicite tantum in Traditione continebatur, postea per Ecclesiæ prædicationem explicite proponi?*

R. Id potest sequentibus fieri modis : *a)* successive damnari possunt varii errores decursu sæculorum succrescentes, qui cum uno eodemque dogmate pugnant : credito aliquo dogmate, implicite rejiciuntur omnes errores oppositi, verum explicite non rejiciuntur, antequam exorti sunt. Ita plurimi errores, in initio ignoti, postea ubi exorti sunt, explicite ut falsæ doctrinæ per Ecclesiam sunt damnati. — *b)* Per partes proponi potest, quod antea complexe credebatur : ita in Vaticano concilio plura particulatim declarata sunt S. Pontificis jura, quæ antea implicite tantum, in plenitudine scilicet Primatus per Ecclesiam semper agnita, credebantur. — *c)* Per propositiones particulares enuntiari potest, quod antea in propositione universali continebatur. Ita Ecclesia, postquam explicite jam docebat gratiam omnino requiri ad omnem actum salutarem, postea diserte contra Semipelagianos decrevit, eam etiam omnino necessariam esse ad perseverantiam; quod certe in generaliori propositione de gratiæ ad omnem actum salutarem necessitate jam erat contentum. — *d)* Distinctius et articulatius proponi potest, quod nonnisi confuse a fidelibus intelligebatur. Ita in perfectissima B. M. V. sanctitate, quam Ecclesia semper

licæ doctrinæ characteres proponit, verissima est sensu *affirmante*, in quo significat id omne, quod ab omnibus, ubique et semper creditum est, certe ad fidem catholicam pertinere; nam quod ab omnibus, ubique et semper creditum est, indubie est fidei dogma. Verum hæc regula non potest admitti in sensu *excludente*, in eo scilicet sensu, ut quod ab omnibus, ubique et semper non fuisset creditum, ad fidem non pertineret, nam hoc est falsum, uti e præcedentibus patet. — Præterea Vincentius regulam istam sensu *excludente* non proposuit. Ipse enim supponit fieri posse, ut consensus præsens turbetur et controversiæ oriantur; qua in hypothesi censet, consensionem antiquitatis existentem scilicet ante controversiam, notam esse *apostolicitatis* alicujus puncti doctrinæ. Cfr. Franzelin. *De Scriptura et Traditione.*

confessa est, certe jam continetur ejus ab originali labe immaculata conceptio; attamen Ecclesia hanc immaculatam conceptionem postea expresse proposuit. — *e)* Diserte etiam potest affirmari, quod ipsa jam praxi significabatur. Ita ab initio, Ecclesia practice tenebat baptismum ab hæreticis collatum, esse validum; verum, exorto S. Cypriani dissensu, hanc veritatem theoretice seu diserte prædicavit.

PARS POSTERIOR

De S. Scriptura

PRÆNOTANDA

Tota hæc materia apte distribui potest in sequentia capita : Primo inquirendum est, *an revera existat* thesaurus ille divinæ revelationis, qui S. Scriptura vocatur; h. e. an existant libri divinitus conscripti, seu libri quorum Deus est auctor per inspirationem, in quibus divina revelatio est consignata; nam ante omnia cognoscendum est, an res, de qua tractatur, existat. Secundo, scrutandum est, *quid sit illa inspiratio divina,* seu quid sit Scriptura Sacra; postquam enim novimus rei *existentiam (an sit)* inquirendum est de ejus *essentia (quid sit).* — Tertio, cognita existentia et essentia S. Scripturæ, investigandum est *quinam libri in individuo, partes sint S. Scripturæ,* seu aliis verbis tractandum est de catalogo seu de canone librorum sacrorum. Quarto, cognitis libris, quibus S. Scriptura constat, exponatur oportet, *quomodo isti libri sint interpretandi :* nam post adeptam de auctoritate alicujus libri notitiam, sua sponte occurrit quæstio de investigando ejus vero sensu, seu de ejus interpretatione. — Quinto agendum *est de Scripturæ usu :* cognitis enim S. Scripturæ auctoritate et recto modo eam interpretandi, declarandum remanet, quid circa S. Scripturæ usum sit observandum.

CAPUT PRIMUM

De S. Scripturæ existentia

§.

Q. An certo constat de existentia S. Scripturæ, hoc est de existentia librorum divinorum, quorum Deus est auctor per inspirationem?

R. *Ex plurimis sacris et profanis testimoniis clare constat de existentia, penes synagogam sub tempore Christi, collectionis librorum sacrorum, qui* Scriptura, Sacra Scriptura et SS. Litteræ *vocabantur; a Judaica natione, a Christo Domino et ab Apostolis habebantur* ut libri divini; *et quidem ideo ab eis ut* divini *habebantur, quia sunt* libri Dei *seu* libri quorum Deus est auctor, *per actionem supernaturalem, quæ usu ecclesiastico ex ipsa Scriptura derivato, dicitur* inspiratio.

—

I. Explicatio. Notetur *a)* : De Scripturæ existentia inquirentes, per *Scripturam*, juxta definitionem quæ a fide catholica traditur et universim admittitur, intelligimus *libros divinos quorum Deus est auctor per inspirationem.* — Hæc definitio non dat quidem notitiam completam de S. Scriptura; verum talis notitiæ nullatenus opus est, ubi de existentia rei inquiritur. Ad inquirendum nempe de rei existentia satis est, ut res ista sit cognita sub una alterave nota, quæ ipsam ab omni alia re distinguat.

Notetur *b)* : In definitione ista « *libri divini, quorum Deus* » *est auctor per inspirationem,* » verbis « *quorum Deus est* » *auctor* » determinatur, *quomodo* libri illi sint *divini.* » — Liber potest esse divinus A) ratione *materiæ,* quia nimirum doctrinam continet divinitus revelatam sive ipsi scriptori sive

aliis, quamvis scriptio istius doctrinæ ex humana solum opera et industria sit profecta; B) ratione *modi scribendi*, quia scriptus est sub assistentia supernaturali Dei, ab errore in scribendo præcavente, quamvis scriptio libri sit tota ex intentione et opera hominis; C) ratione *scriptionis*, quæ efficienter fit a Deo, per divinam scilicet inspirationem. — Tertius hic modus requiritur ut habeatur liber S. Scripturæ, quemadmodum ex data definitione liquet.

Notetur *c)* : In responso duæ dantur partes : in priori parte asseritur existentia collectionis librorum divinorum; et in posteriori asseritur illos libros esse divinos, eo quod Deus eorum auctor est per inspirationem.

Notetur *d)* : Testimonia Christi et Apostolorum in præsenti quæstione jam consideranda sunt, ut habentia auctoritatem divinam, cum divinitas doctrinæ Christianæ in primo libro Theologiæ fundamentalis jam fuerit demonstrata. — Auctoritas humana Scripturæ pariter in hoc primo libro jam fuit probata. Demum, ut constat ex priori parte hujus tractatus, universalis consensus Traditionis christianæ, tanquam font authenticus revelationis divinæ tuto potest adhiberi.

II. Gradus certitudinis. Existentia S. Scripturæ est *fidei dogma*, cum clare in doctrina Christi contineatur; atque insuper expresse ab Ecclesia ut fidei dogma sit proposita. In Vaticano enim Concilio Const. *Dei Filius* II, 4 legitur : « *Si* » *quis Sacræ Scripturæ libros integros cum omnibus suis* » *partibus, prout illos Sancta Tridentina Synodus recensuit,* » *pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus* » *inspiratos esse negaverit, anathema sit.* »

III. Demonstratur prima pars responsi. *a)* Tempore Christi penes synagogam collectionem quamdam librorum fuisse, quos totus populus S. Scripturam vocabat atque ut libros divinos habebat, nobis plurima profanorum scriptorum et Scripturæ testimonia expresse declarant. Ita Flavius Josephus

ad *Appionem*, L. I. n. 8 scribit : « Apud nos nequaquam est » innumerabilis librorum multitudo dissidentium et inter se » pugnantium, sed duo dumtaxat et viginti sunt totius temporis » descriptionem continentes, qui merito creduntur divini. » Quibus recensitis ita pergit : « Ab Artaxerxe autem usque ad » nostram memoriam sunt quidem singula litteris mandata, » sed non in æquali auctoritate habiti sunt cum præcedentibus, » quia non accurate perspecta erat successio prophetarum. » Porro re ipsa manifestum est, quanta nos veneratione libros » nostros prosequamur. Cum enim tot jam secula effluxerint, » nemo nec adjicere quidquam, nec ab eis demere aut mutare » ausus est. Sed omnibus Judæis statim a prima nativitate con- » genitum est, ut hæc scripta credant Dei dogmata, et in eis » inhæreant, ac pro eis, si opus sit, libenter mortem subeant. » Idem colligitur ex libro II *Esdræ*, VIII, 8 : « *Et legerunt in Li-* » *bro legis Dei;* » ex I *Mach.* I, 59; II *Mach.* II, 13; *Luc.* IV, 16, *Act. Ap.* XIII, 15, 27 et XV, 21. — Hi vero libri nunc seorsim, nunc conjunctim, ac si essent unus liber (Cfr. *Joan.* VII, 42; I *Petr.* II, 6), imo singuli librorum textus (Cfr. *Marc.* XII, 10; *Luc.* IV, 11; *Joan.* XIX, 36; *Act. Ap.* I, 16) nomine *Scripturæ, Scripturæ Sacræ* et formula citationis *Scriptum est*, ita designantur, ut appareat nomen illud esse proprium unius notissimæ librorum collectionis et esse nomen excellentiæ, quo specialis et par omnibus illis libris et librorum textibus auctoritas significatur. Nam si etiam pauca verba tamquam S. Scriptura vel formula *Scriptum est* inducuntur, liquet rem in eis enuntiatam, habitam fuisse irrefragabilis auctoritatis. (Cfr. Hürter *Theol. fundam.* p. 141.)

b) Tantum abest, ut Christus hanc fidem populi Judaici reprobaverit, ut eam potius multiplici modo comprobaverit; nam provocavit ad Scripturas, tamquam ad testificationem parem testimonio miraculorum : « *Scrutamini*, ait Christus, » *Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam ha-*

» *bere; et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me* » *(Joan.* V, 29); eas æquiparavit voluntati paternæ, nam sæpius dixit *oportet impleri Scripturas,* h. e. oportet eas impleri, quia ipsa sunt effata divina (*Luc.* XXII, 37; XXIV, 26); et inculcavit eas firmitate et auctoritate præcellere leges naturæ, nam dixit : « *facilius est cœlum et terram præterire, quam* » *de lege unum apicem cadere.* » (*Luc.* XVI, 17; *Matth.* V. 18.)

c) Simili ratione et Apostoli hanc populi judaici fidem comprobarunt, cum res gravissimi momenti demonstraverint ex textibus S. Scripturæ, formula « *scriptura dicit, scriptum est* » adductis. Quod certe facere non potuissent, nisi de divina auctoritate librorum, quibus utebantur, fuissent convicti. (Cfr. *Marc.* VII, 10 et 13; *Rom.* III, 2; *Act. Ap.* I, 16 etc.)

IV. Demonstratur altera pars responsi. S. Scripturam, quam hucusque ostendimus esse certo divinam seu divina frui auctoritate, nunc demonstrabimus eo divinam esse, quod *Deus est ejus auctor per inspirationem;* et hoc præstabimus quatuor argumentis, quorum primum erit ex communi Judæorum fide, secundum ex modo quo Christus et Apostoli Scripturam citarunt, tertium ex aperta S. Pauli declaratione, et quartum ex doctrina Patrum, qui custodes et propagatores doctrinæ Apostolorum fuerunt.

a) Quod Judæi libros Scripturæ eo divinos crediderunt, quod Deus eorum auctor erat per inspirationem, clare constat ex eorum profanis scriptoribus, ex Flavio Josepho scilicet et ex Philone. Ipsi enim pluries expresse declarant, libros sacros esse *scriptos a prophetis per inspirationem,* et horum librorum sententias vocant *oracula prophetico ore edita.* Jamvero notio *prophetæ* apud Judæos, erat hominis non suo nomine suisque naturalibus viribus, sed in persona Dei et per supernaturalem divinum impulsum agentis, loquentis aut scribentis. « Pro- » phetæ, ait Philo, *De Monarch.* I. p. 820, sunt interpretes » Dei, qui illis utitur tamquam organis ad manifestationem

» eorum, quæ vult; » et idem auctor *De Pœn. et Præm.* p. 918 etiam declarat : « Propheta est interpres, intus suggerente » Deo, quæ dicenda sunt. » Ergo eorum sententia manifeste fuit, S. Scripturam Deo suggerente esse scriptam seu Deum habere ut auctorem per inspirationem.

b) Christus et Apostoli ipso modo, quo Scripturas citant, clare docent textus a se allatos, *quatenus scripti sunt, Deum habere auctorem per inspirationem.* Etenim 1° Deus in citationibus istis ponitur ut *primarius auctor* Scripturæ et homo ut *merum instrumentum* in scribendo. Ita *Act. Ap.* 1, 16 legitur : « Oportet impleri *Scripturam* (την γραφην ταυτην), quam *præ-* » *dixit Spiritus Sanctus per os David;* » *Act. Ap.* IV, 25 : « Domine, qui *Spiritu Sancto per os patris* nostri David pueri » tui *dixisti* : quare fremuerunt gentes etc. »; et *Rom.* I, 2 : « *Deus* ante *promiserat* (Evangelium) *per prophetas* suos in » Scripturis Sanctis. » — 2° Ordine inverso sed eodem sensu in citationibus istis exprimitur *scriptorem humanum in Spiritu Sancto* dixisse ipsos textus scriptos. Ita Christus dixit ad Pharisæos *Matth.* XXII, 43 : « Quomodo ergo *David in spiritu* » vocat eum (Messiam) Dominum, dicens : Dixit Dominus Do- » mino meo etc. » Qua locutione rursus clare exprimitur non Davidem esse istius psalmi primum auctorem, sed Spiritum S. per quem seu in quo David loquebatur. — 3° In citationibus istis Scriptura etiam simpliciter ponitur pro ipso Deo loquente; quod fieri sane non posset, si Deus non esset Scripturæ auctor et non loqueretur per Scripturam. Ita legitur *Gal.* III, 8 : » *Providens Scriptura.... prænuntiavit Abrahæ* etc. » (προϊ- δουσα δε ἡ γραφη); quo in textu Scriptura a Deo inspirata ponitur pro ipso Deo futura prævidente.

c) Diserta S. Pauli doctrina expresse declarat quod *Deus est Scripturæ auctor per inspirationem.* Dicit nempe 2 *Tim.* III, 16 : « *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum* (πασα γραφη θεοπνευστος, και ὠφελιμος προς διδασ-

καλίαν), » h. e. omnis Scriptura est divinitus inspirata et utilis ad docendum. Jamvero vox ista θεοπνευστος,, *divinitus inspirata* exprimit Deum seu Spiritum Sanctum Scripturæ esse auctorem per inspirationem; quod ita demonstramus. Vox ista θεοπνευστος in nullo alio loco occurrit, ac proinde ex aliis locis, in quibus adhiberetur, sensus ejus determinari nequit; verum pluribus in locis res per hanc vocem expressa, actio scilicet Dei in Prophetas, describitur; atque exinde plene constat, quomodo hæc vox sit interpretanda. Ita *Osee.* IX, 7, Propheta dicitur *vir spiritualis*, ανθρωπος πνευματοφορος, h. e. vir quem agit et in quem agit Spiritus Dei; et finis istius actionis S. Spiritus in Prophetas, pluries declaratur esse, ut loquantur *in Spiritu Dei* h. e. per Spiritum Dei tamquam per causam efficientem, atque ut ita loquendo annuntient *verbum Domini*. Eos nempe loqui in Spiritu Dei seu ex inspiratione Dei, docemur a S. Petro II *Epist.* I, 21 : « *Non voluntate humana* allata (ηνεχθη, aan- » gebracht) est aliquando prophetia, sed *Spiritu Sancto in-* » *spirati* (υπο πνευματος αγιου φερομενοι) locuti sunt sancti » Dei homines; » atque eorum doctrinam esse verbum Domini, in pluribus locis expresse declaratur uti *Mich.* III, 8; *Zach.* VII, 12; II *Esdr.* IX, 40. — Quibus omnibus sedulo attentis, extra dubium est, voce θεοπνευστος *(divinitus inspirata)* certo significari Scripturam vere Deum habere ut auctorem per inspirationem.

d) Hæc fides, quod nempe Deus est Scripturæ auctor per inspirationem, multipliciter proposita et declarata etiam in scriptis S. Patrum invenitur. Ita S. Chrysostomus in *Gen. hom.* 21ª, dicit : « Nihil refert, quis homo singulos psalmos » scripserit, cum manifestum sit, omnes esse scriptos per opera- » tionem divini spiritus; » et *hom.* 2ª : « Deus velut longe » absentibus litteras misit, quas quidem litteras dedit Deus, » attulit Moyses. » Hipp. *contra Noët.* n. 11 et 12 : « Cum

» Spiritum sanctum auctorem tenemus; qui scriptorem (horum » sacrorum librorum) quærimus, quid aliud agimus, quam » legentes litteras de calamo percontamur. »

Observetur demonstrationes quæ valent de divinitate singularum partium Scripturæ, etiam valere de singulis libris atque de singulis partibus, quibus Scriptura constat; nam, uti supra vidimus, omnibus et singulis libris et partibus Scripturæ par est dignitas et excellentia.

V. Nota de præstantia S. Scripturæ. Summæ præstantiæ esse S. Scripturam negari nequit sive ea *philosophice* seu *historice,* sive etiam *theologice* consideretur. — Si enim *philosophice* seu *historice* consideretur, ejus præstantia colligitur tum *a)* ex ejus summa antiquitate, qua cætera antiquitatis monumenta superat; tum *b)* ex objecto suo seu ex doctrinæ sublimitate; tum *c)* ex ipsa forma, quæ verborum fucum et pompam negligens, styli candore, simplicitate et idearum copia quamdam præ se fert majestatem, quam humana assequi nequit eloquentia.

Si vero S. Scriptura *theologice* spectetur, patet ejus præcellentia ex mira analogia inter *Verbum seu Filium Dei incarnatum* et hoc *verbum Dei Scriptum.* Sicut *a)* illud carne indutum opera Sancti Spiritus prodiit ex Maria Virgine; ita a Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines (2 *Petr.* I, 21) et pepererunt hoc verbum Dei scriptum. Sicut *b)* in illo elementum divinum et humanum, quo divinum velabatur, distingui debet; ita sub cortice litteræ, sub externa specie libri humani latent sensa divina, et sicut ad illud cognoscendum non sufficiebant caro et sanguis (h. e. naturales hominis vires), sed requirebatur revelatio paterna *(Matth.* XVI, 17); ita ad hæc penetranda, necessaria est illuminatio superna. Sicut *c)* in humanitate assumpta inhabitabat plenitudo divinitatis *(Coloss.* II, 9) et omnes thesauri sapientiæ et scientiæ erant absconditi *(Coloss.* II, 4); ita et SS. Litteræ cœlesti abundant

sapientia. Quemadmodum *d)* non obstante humana natura, in Christo translucebat divinitatis splendor; ita etiam cœlestis sapientia translucet sub cortice litteræ. *e)* Hinc non mirum quod, sicut Christus inter homines eminet tamquam *filius hominis seu homo* per excellentiam, ita hic liber divinitus inspiratus emineat inter scripta omnia tamquam *Scriptura, Sciptura Sacra* per excellentiam. (Cfr. Hurter. *Theol. Fund.* p. 138.)

Præclara habetur S. Scripturæ descriptio apud Gregorium Magnum, *Mor.* L. 20, c. 1, n. 1 : « Quamvis omnem scientiam » atque doctrinam Scriptura Sacra sine aliqua comparatione » transcendat, ut taceam quod vera prædicat, quod ad cœlestem » patriam vocat, quod a terrenis desideriis ad superna amplec- » tenda cor legentis immutat, quod dictis obscurioribus exercet » fortes, et parvulos humili sermone blanditur, quod nec sic » clausa est ut pavesci debeat, nec sic patet ut vilescat, quod » usu fastidium tollit et tanto amplius diligitur, quanto amplius » meditatur; quod legentis animum humilibus verbis adjuvat, » sublimibus sensibus levat, quod aliquo modo cum legentibus » crescit, quod a rudibus lectoribus quasi recognoscitur, et » tamen doctis semper nova reperitur : ut ergo de rerum » pondere taceam, scientias tamen omnes atque doctrinas ipso » etiam locutionis suæ more transcendit, quia uno eodemque » sermone dum narrat textum, prodit mysterium et sic scit » præterita dicere, ut eo ipso noverit futura prædicare, et non » immutato dicendi genere, eisdem ipsis sermonibus novit » et anteacta describere et agenda nuntiare. — S. Joan. Chrys. » *Gen. hom.* 21 pariter dicit : « Neque enim vel syllaba vel » apiculus est in sacris litteris, in cujus profundo non sit » grandis quisquam thesaurus; » et S. August. *Lib.* II, *de doctr. Christ.* cap. ult : « Quidquid homo extra didicerit, si » noxium est, ibi (in Scriptura) damnatur; si utile est, ibi » invenitur. Et cum ibi quisque invenerit omnia quæ utiliter

» alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea quæ nusquam » omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum » altitudine et mirabili humilitate discuntur. »

CAPUT SECUNDUM

De essentia S. Scripturæ, seu de essentia divinæ inspirationis

Prænotandum. Ecclesia expresse definivit S. Scripturam esse librum cujus *Deus est auctor per inspirationem*, seu *Deum ita S. Scripturam inspirasse, ut sit ejus auctor;* nam declarando S. Scripturæ existentiam, simul significavit se per S. Scripturam librum intelligere, quorum Deus est auctor per inspirationem. Ultra vero essentiam S. Scripturæ seu essentiam inspirationis, qua liber aliquis est S. Scriptura, non definivit; rejecit quidem unam alteramve falsam hac de re sententiam, sed rem ipsam non expresse proposuit. Quapropter hæc quæstio relicta est theologorum studio, qui analysim instituendo eorum, quæ fides circa istam rem tradit, eam solvere debent.

Pro rei autem claritate et pleniori intelligentia præsentem materiam in duos distribuemus paragraphos; in priori declarabimus eam de inspirationis essentia sententiam quam veram esse censemus, et in posteriori proponemus omnes sententias, quæ a veritatis tramite certo recedunt vel saltem recedere videntur, easque refellemus.

§ I.

Q. Quid intelligitur per inspirationem illam, qua Deus est Scripturæ auctor?

R. *Hæc inspiratio consistit in dono gratis dato, quod*

sequentibus elementis constat : illustratione *intellectus, vi cujus scriptor ea omnia et sola in ordine ad scribendum concipit quæ Deus vult scribi;* motione *voluntatis, qua scriptor ita efficaciter impellitur et fertur ad ea omnia et sola, quæ Deus vult scribi, scripto consignanda, ut nihil omittat ex iis, quæ Deus litteris consignanda vult et nihil eis addat;* et assistentia *in scribendo, qua scriptor ea seligit verba et formam, quæ apte et infallibiliter exprimunt sensa divinitus concepta.*

—

I. Gradus certitudinis. Hanc sententiam, si dici non possit *theologice* certa, quia omnes theologi unanimi consensu ipsam non amplectuntur, saltem *simpliciter certam* seu *certam* dicendam esse censemus, cum firmis argumentis e fide ope rationis deductis nitatur, et multorum magni nominis theologorum assensu gaudeat. — Indubie plurimi nostræ ætatis celebres theologi eam expresse amplectuntur : ita Card. Franzelin *(De Script.* Thes. 2) inspirationem sequenti modo definit : « est charisma, ait, gratis » datum illustrationis et motionis, quo veritates, quas mens » divina Scripturam Ecclesiæ proponendas comprehendit, eas- » dem mens hominum inspiratorum concipiebat ad scribendum » et voluntas ad eas omnes et solas scripto consignandas fere- » batur, sicque elevatus homo, tamquam causa instrumentalis » sub actione causæ principis, consilium Dei exsequebatur » infallibili veracitate » — Schrader *(Theses. Theol.)* eodem modo dicit : « Ut Deus Scripturarum auctor censeatur, necesse » est illas *ab homine divinitus evecto* ita proficisci, ut eædem » et sint et id contineant, quod præferunt, Deo veluti principe » causa *voluntatem* causæ secundæ ad scribendum *movente* ac » *confirmante*, ejusdemque mentem pro rebus scribendis » *lumine superno collustrante.* — Patrizi *(Comment. de div. Script.* § IV), dicit : « Inspiratio est Dei actus hominem » excitans ad ipsius sensa scripto excipienda. » Tandem Mar-

chini *(De divinit. et Can. S. Script. Part.* I, *art.* 5) hæc habet : « Inspiratio est singularis ea Spiritus Sancti moventis ad scri- » bendum impulsio, directio ac præsentia, mentem animumque » scriptoris gubernans, quæ eum errare non sinit, efficitque ut » scribat quæ velit Deus. »

Explicatio responsi. *a)* Inprimis bene præ oculis est habendum, quid directe exprimatur per locutionem ad fidem pertinentem : *Deus est Scripturæ auctor per inspirationem*, nam ex ejus analysi depromenda a nobis est definitio de essentia inspirationis, de qua hic inquirimus. — Quid autem intelligitur per *auctorem?* Generatim auctor alicujus operis dicitur ille, a quo res procedit *efficienter,* seu a quo res procedit tamquam a causa efficiente. — Quomodo autem potest Deus auctor dici alicujus operis et qua ratione dicitur hic auctor Scripturæ? Deus potest alicujus rei causa efficiens seu auctor dici : — 1° ut *causa universalis* seu ut *causa prima,* cujus concursus necessarius est ad conservationem et ad operationem cujuslibet causæ secundæ seu creatæ. Verum hac ratione non dicitur Deus auctor Scripturæ; nam si hoc esset, ipse non magis foret auctor Scripturæ, quam cæterorum omnium librorum, qui unquam in mundo sunt scripti; cum nullus liber ab homine scribi possit, quin Deus concursu suo universali, quem constanter omnibus entibus tribuit, ipsum juvet; — 2° ut causa *particularis quæ sine concursu alterius causæ effectum producit.* Tali modo fuit Deus auctor tabularum quas Moyses in monte Sinai accepit, cum illæ Dei digito scriptæ fuerint *(Exod.* XXIV, 12); verum neque hac ratione Deus dicitur auctor Scripturæ, nam si esset causa particularis et unica librorum Sacrorum, nulla amplius appareret proprie dicta inspiratio : hæc enim manifeste supponit subjectum, quod ipsam recipiens, sub ipsa scribat, quæ Deus suggerit et vult. — 3° ut causa *particularis non unica, sed principalis, quæ alia causa subordinata ut instrumento utitur;* atque hac ratione Deus dicitur Scripturæ auctor : dicitur

enim ejus *auctor per inspirationem;* ergo est ejus causa particularis, non quidem unica, sed principalis quæ homine inspirato ut causa instrumentali in libro scribendo est usa. — De hac autem Scripturæ inspiratione, qua Deus est ejus causa particularis, et homo, qui Scripturam conscribit est mera causa instrumentalis in manu Dei, hic inquirimus.

b) In data definitione inspiratio dicitur *donum gratis datum*, h. e. donum indebitum et supernaturale, quod immediate concessum est non ad personalem accipientis sanctificationem, sed ad sanctificationem ac supernaturalem fructum aliorum et totius Ecclesiæ. Distinguuntur *dona gratis data* a *donis gratum facientibus* (gratia sanctificans et gratia actualis), quæ immediate conceduntur ad accipientis sanctificationem.

c) Primum elementum, quo *inspiratio* constat, est *illustratio intellectus, vi cujus scriptor ea omnia et sola in ordine ad scribendum concipit quæ Deus vult scribi. — Illustratio intellectus* h. e. supernaturalis operatio Dei in intellectu scriptoris humani. — *Vi cujus scriptor ea omnia et sola in ordine ad scribendum concipit quæ Deus vult scribi;* h. e. per quam Dei operationem, ille scriptor in mente habet omnia illa et sola (scilicet sive sententias, sive verba sive etiam dicendi modum) quæ Deus vult scribi, et quidem tali modo illa omnia et sola mente concipit ut ea possit scribere. — Sedulo observetur, per hanc mentis illustrationem, id ipsum sed hoc solum, quod Deus vult scribi, debere a scriptore mente concipi; unde sequitur, quod si Deus tantum velit ut scribatur sententia quædam et non velit ut hæc sententia exprimatur potius per hæc quam per illa verba, potius sub hac quam sub illa forma, scriptor sacer per divinam illustrationem tantum sententiam illam, non vero verba et formam sub quibus ipsa est exprimenda, mente concipere debet. Si vero Deus vellet, ut adhiberetur talis vox et non alia, vel in exponenda et ordinanda materia scribenda, talis methodus et talis ordo adhibeantur et non alia; ista verba, ista methodus et

iste ordo a Deo præconcepta etiam deberent per divinam illustra tionem a scriptore concipi.

An illustratio illa est vera revelatio? Si nomine *revelationis* intelligatur *supernaturalis manifestatio rei occultæ, a Deo facta*, liquet illustrationem illam non semper esse veram revelationem; nam mens scriptoris potest certe ex divina illustratione res scribendas concipere, quæ nullo modo sunt occultæ, sed humana ratione facile possunt cognosci. Ita innumeræ habentur in Scriptura veritates ad historiam, philosophiam aut naturales scientias pertinentes, quæ naturalem nostram cognoscendi facultatem nullatenus transcendunt. — Si autem per revelationem sensu minus quidem stricto sed frequentatissimo acceptam, intelligitur *veritatis propositio ab ipso Deo supernaturali modo facta,* sane quævis inspiratio ad scribendos libros est revelatio : est nempe revelatio, quæ primum fit interne in mente hominis inspirati, ut deinde per scriptionem tamquam verbum Dei proponatur etiam aliis et objectum fidei constituat tam pro ipso homine inspirato quam pro aliis, quando tamquam veritas inspirata satis proposita fuerit.

d) Secundum elementum divinæ inspirationis est : *motio voluntatis, qua scriptor ita efficaciter impellitur et fertur ad ea omnia et sola, quæ Deus vult scribi, scripto consignanda, ut nihil omittat ex iis, quæ Deus litteris consignanda vult et nihil eis adat.* — Motio *voluntatis* h. e. actio supernaturalis in voluntate, qua voluntas ad aliquid impellitur et fertur. — Effectus vero hujus motionis voluntatis est, ut scriptor revera velit scribere et scribat, ea omnia et sola, quæ divina mentis illustratione concepit, nihil addendo nihilque demendo. — An motio ista voluntatem impellit *intrinseca et antecedente necessitate*, h. e. an obtinet consensum ex ipsa sua intrinseca virtute, qua voluntatem, antequam hæc seipsam determinet, insuperabili virtute ad actum movet? Quamvis homines inspirati donum illustrationis et motionis sine libera sua cooperatione accipiant, hæc motio

tamen non necessario hujusmodi est, ut voluntatem *intrinseca et antecedente necessitate* moveat, sed satis est ut eam moveat *infallibiliter* ad obsequendum : quæ infallibilis connexio inter motionem et consensum habetur ex præscientia Dei, qui prævidet hominem inspiratum sub tali vel tali motionis gradu certo consensum esse daturum.

e) Tertium elementum divinæ inspirationis est : *assistentia in scribendo, qua scriptor ea seligit verba et formam, quæ apte et infallibiliter exprimunt sensa divinitus concepta. — Assistentia in scribendo* h. e. adjutorium in scribendo, non vero subministratio omnium verborum atque totius formæ et methodi. — Effectus vero hujus assistentiæ est, non ut scriptor humanus meliori quo fieri potest modo sensa Dei exprimat, sed tantum ut hæc verba et hanc formam adhibeat, quibus sat clare et absque errore sensa Dei scripto consignet. Aliis verbis, hæc assistentia scriptores humanos non efficit eloquentissimos seu sub respectu styli et methodi perfectissimos, verum eos in conceptibus inspiratis vere et sincere exprimendis efficit infallibiles. — Observetur hanc assistentiam solummodo locum obtinere, ubi Deus tantum sententias, non vero ipsa verba et ipsum stylum præconcepit scribenda; nam si Deus vellet ipsa verba ipsumque stylum a se concepta scribi, hæc verba et hic stylus deberent illustratione mentis a scriptore concipi. Verum Deus fere semper solas sententias vult ab humano scriptore exprimi; ac proinde fere semper dicta assistentia in inspiratione locum obtinet.

III. Demonstratio : *e ratione theologica.* Totam nostram demonstrationem haurire debemus ex hac fidei doctrina : *Deus est Scripturæ auctor per inspirationem.* Quod ut præstemus, oportet ut investigemus quænam requirantur, ut quis sit libri auctor *simpliciter;* et quænam, ut quis sit libi auctor *per inspirationem;* atque hoc peracto, scrutandum erit, an inventa definitio concors existat cum definitione inspirationis hic a nobis traditæ.

Inprimis, quænam requiruntur ut quis sit libri auctor *simpliciter?* Scriptum in genere seu liber (seponimus hic quæstionem de forma et de extensione quæ in scripto requiruntur, ut *liber* vocari possit) consistit in sensis mente conceptis quæ litteris sunt expressa. Unde in quovis scripto seu libro duo elementa sunt distinguenda : *a)* complexus sensorum quæ in libro seu scripto exprimuntur; et *b)* istorum sensorum litteris consignatio. Proinde ut quis verus sit auctor scripti seu libri debet esse auctor tum sensorum illorum, quæ in scripto seu libro exprimuntur, tum eorum scriptionis seu litteris consignationis ; seu, aliis verbis, debet mente concipere sensa scribenda, efficaciter velle ea scripto consignare et sedulo attendere, ut sensa mente concepta exacte scribantur. Si unum vel alterum deesset, non foret scripti vel libri *completus* sed tantum *partialis* auctor.

Quænam requiruntur ut quis sit libri auctor *per inspirationem?* Ut quis sit libri auctor per inspirationem, oportet ut ipse per inspirationem in hominem, quo tamquam instrumento utitur, actiones illas transferat, quas per se solum deberet ponere, si ipse solus librum scriberet; seu oportet ut alterum inspirando ea omnia faciat, quæ secus solus facere deberet. Jamvero ut quis librum scribat, debet sensa in eo exprimenda mente concipere, ea efficaciter velle scripto consignare et sedulo curare ne error committatur in sensorum suorum expressione. Ergo ut quis librum, mediante inspiratione, per alium scribat debet huic homini sensa, quæ ipse ut scribenda concepit, inspirare seu communicare, eum quoque efficaciter movere seu efficaciter voluntatem ejus determinare ut hæc omnia et sola sensa scribat; eique in scribendo assistere, ne sensa false exprimat. — Per *sensa* seu *res scribendas* hic intelligimus, uti supra jam dictum est, id omne quod auctor ut scribendum concipit, vel vult ut scribatur : unde ad ea inprimis pertinent *sententiæ*, sed ad eam etiam pertinebunt verba, quibus ideæ sunt

exprimendæ, atque stylus et methodus in rei scriptione adhibenda, si auctor velit hæc verba et non alia, hunc stylum et hanc methodum et non alia in scriptione adhiberi. Si, verbi gratia, quis per alium scriberet Lexicon vel librum, qui specimen elegantiæ sermonis esse deberet, indubie verba plurima et dicendi ratio essent immediate communicanda.

Si nunc hanc definitionem conferimus cum illa, quam de Scripturæ inspiratione proposuimus, plenam invenimus inter ipsas concordiam; unde sequitur doctrinæ nostræ de essentia divinæ inspirationis veritas. Diximus nempe ad divinam inspirationem qua Deus est Scripturæ auctor, inprimis requiri *illustrationem intellectus*, qua scriptor humanus omnia et sola illa sensa, quæ Deus vult scribi, mente in ordine ad scribendum concipiat; *motionem voluntatis*, qua omnia et sola illa sensa efficaciter vult scribere nihil addendo et nihil demendo, et *assistentiam*, qua in sensis inspiratis vere et sincere exprimendis est infallibilis. — Notetur in inspiratione divina requiri *assistentiam infallibilem;* et ratio est, quod secus Scriptura non esset infallibiliter *terminative* inspirata, seu non infallibiliter contineret infallibilem Dei doctrinam; quam tamen infallibiliter continere debet, quia Deus ipsam instituit ut infallibilem fidei fontem. Scriptor enim humanus, qui infallibili assistentia in seligendis vocibus non frueretur, fallibilis in scribendo maneret, ac proinde corrumpere et adulterare Dei sensa posset : unde flueret, quod Scriptura infallibili sua auctoritate destitueretur.

IV. Confirmatur hæc demonstratio ex Patribus : Origines, *de Princ.* L. 4. n. 6 : « Christi conversatio in carne demon- » stravit, legem et prophetas scripta esse cœlesti gratia nec » hominum esse scriptiones quæ creduntur verbum Dei. » — S. Basil. *Proœm. in Psalm* : « Scriptura omnis divinitus » inspirata et utilis hac una ratione a Spiritu Sancto conscripta » asseritur. » — S. Greg. Nyss. *Or.* 6, *contra Eunom.* :

« Quæcumque Sacra Scriptura dixit, Spiritus Sancti sunt » effata... ergo numine afflati sancti vates virtute Spiritus Sancti » inspirantur, et ideo omnis Scriptura divinitus inspirata » dicitur. » — *S. Joan Damasc.* L. 4. *Orthod. fid.* : « Per » Spiritum sanctum et Lex et Prophetæ et Evangelistæ et » Apostoli et Pastores et Doctores verba fecerunt : ex quo fit, ut » tota divinitus inspirata Scriptura procul dubio utilis sit. » — Irenæus L. 2. *Cont. Hær.* c. 47 : « Scripturæ quidem perfectæ » sunt, quippe a verbo Dei et Spiritu ejus dictatæ. » Scriptor antiquus contra hæresin Artemonis apud *Euseb.* L. 5. *Hist. Eccles.* c. 28 ita loquitur : « Aut etiam Sacras Scripturas a Spiritu » sancto dictatas esse non credunt, ac proinde infideles sunt; » aut semetipsos Spiritu Sancto sapientiores esse existimant. »

V. Quæstiones subsidiariæ ad essentiam divinæ inspirationis magis illustrandam.

Q. I. *An inspirationi essentiale est, ut homo inspiratus cognoscat se a Deo vere inspiratum esse?* Nullatenus inspirationi essentiale videtur, ut homo inspiratus se a Deo vere inspiratum esse cognoscat; nam nihil videtur impedire, quominus homo vere ex divina illustratione ideas concipiat atque eas ex divina motione scribere velit, maxime ubi istæ ideæ talis sunt naturæ, ut naturalibus viribus cognosci valeant, quin noverit se a Deo illustratum et motum esse.

Nec dicatur hominem inspiratum de sua inspiratione conscium esse debere, quia secus non possemus Librorum Sacrorum inspirationem cognoscere; nam per se patet, de hac re non minus nobis posse constare per revelationem ab altero promulgatam, quam per testimonium ipsius scriptoris inspirati.

Verum quidem est, quod homini inspirato certitudine supernaturali constare debet de sua inspiratione, si ipse a Deo destinetur ad suum librum tamquam inspiratum promulgandum. Sed hæc ipsius hominis destinatio ac missio sane non pertinent ad essentiam inspirationis.

Attamen congruum videtur, ut Deus saltem ordinarie homines, quos inspirat, de sua inspiratione certiores reddat; ac proinde admitti nequit, quod scriptor sacer inspirationem suam ignoraverit, nisi id aliunde satis probetur. Nunc autem, nulla hujusmodi probatio reipsa suppetit; atque ideo ista ignoratio in nullo ex scriptoribus librorum sacrorum, quos in Ecclesiæ catalogo habemus, est asserenda.

Q. II. **Quotuplici modo fit mentis illustratio?** Triplex modus divinæ illustrationis potest distingui, juxta doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 174, a. 2; *primus modus*, qui est nobilissimus, *est manifestatio divinæ veritatis secundum intellectualem visionem, absque visis vel externis per sensus, vel imaginariis* uti S. Thomas ait; seu aliis verbis, *est inspiratio mere intellectualis circa res supernaturales*. Censetur autem inspiratio esse solum intellectualis, ait Sylvius *(Comment.* in cit. locum S. Thom.), quando nulla nova visio imaginaria procuratur ad revelationem prophetæ faciendam, sed ejus tantum intellectus divino lumine illustratur ac movetur, quamvis non sine ordinario subsidio imaginum in vi imaginatrice residentium et a sensibus antea abstractarum : quia connaturale est homini secundum statum præsentis vitæ, ut non intelligat sine phantasmate. — Secundum hunc modum scriptoribus sacris veteris legis indubie inspirata sunt multa mysteria, ut v. g. mysterium Incarnationis.

Secundus modus est, *inspiratio circa res supernaturales per visionem imaginariam*, h. e. per scenam quamdam in phantasia scriptoris inspirati a Deo depictam. — Hoc modo innumeræ S. Scripturæ partes inspiratæ fuerunt. Libri enim prophetarum Veteris Testamenti, Liber Psalmorum et Liber Apocalypsis impleti sunt rebus hac ratione inspiratis. Ita, ut exemplum quoddam citemus, certe per imaginariam visionem inspiratus est Ps. II : « *Quare fremuerunt gentes;* » vidit nempe psaltes in phantasia divinitus mota, gentes terræ bellum

contra Ecclesiam Christi gerentes, et Deum qui irridet has gentes propter inanes eorum conatus, atque audivit eum loquentem; et quæ in phantasia vidit et audivit in psalmo suo scripsit. Hic secundus inspirationis modus sedulo attendendus est in Scripturæ interpretatione; nam modo, quo res in Scriptura contenta fuit inspirata, non attento, recte non potest explicari textus.

Tertius modus est *inspiratio rerum naturalium, seu quæ humana ratione cognosci possunt, per lumen divinitus infusum facta.* Scriptores sacri qui historica facta narrant, ordinarie hac ratione fuerunt inspirati. « Qui hagiographa » conscripserunt, ait S. Thom. l. c., *eorum plures loquebantur* » *frequentius de his, quæ humana ratione cognosci possunt,* » non quasi ex persona Dei (h. e. non sicut prophetæ proprie » dicti res mysteriosas revelantes) sed ex persona propria *cum* » *adjutorio tamen divino.* » Hoc modo etiam accepit Salomon mirabilem suam de rebus naturalibus scientiam.

In tertio illo modo, uti patet ex ipsis verbis S. Thomæ, non excluditur personalis scientia et labor scriptoris humani ad veritates, quæ sunt scribendæ, detegendas. Deus enim, in donis suis supernaturalibus non multiplicat effectus supernaturales sine necessitate; ac proinde, ubi scriptor res scribendas jam naturaliter novit, aut eas per suas facultates cognoscere potest, non rejicit Deus hanc scriptoris scientiam neque negligit ejus naturalem cognoscendi facultatem, sed lumine suo supernaturali perficit illam naturalem scientiam; illam videlicet excita lumineque suo supernaturali elevat, ita ut scriptor sacer vere ex lumine supernaturali ea omnia et sola concipiat, quæ Deus vult ut scribantur. — Præterea et alia habetur ratio, ob quam Deus naturali scriptoris scientia atque ejus in veritatibus inquirendis studio est usus, ubi Scripturam inspiravit. Voluit nempe Scripturæ libris etiam humanam dare auctoritatem, cum isti libri, ut scripta humana considerati, fontes debeant esse, e qui-

bus argumenta desumantur ad eos, qui nondum credunt, convincendos. Sed si libri fuissent conscripti, quin ulla daretur in scriptoribus scientia humana, aut ullus labor fuissset ab eis impensus ad veritatem satis cognoscendam, nulla frui possent auctoritate humana.

Q. III. **Qua ratione fit voluntatis motio, quæ ad inspirationem pertinet?** Hæc motio supernaturalis fieri potest, quin cum ulla motione naturali sit conjuncta; attamen, cum Deus libris suis etiam humanam auctoritatem attribuere velit, opinandum videtur ejus motionem supernaturalem semper vel fere semper cum naturali excitatione, quæ tunc elevabatur, esse conjunctam. Ita S. Marcus et S. Joannes a fidelibus sui temporis excitati fuerunt ut Evangelium conscriberent; et S. Lucas ipse testatur *(Evang.* I. 1, 3) se exemplo aliorum excitatum fuisse ad Evangelium scribendum.

Q. IV. **Quomodo differt S. Scriptura a definitionibus infallibilibus Ecclesiæ?** S. Scriptura essentialiter ab infallibilibus Ecclesiæ definitionibus differt; nam in definitionibus istis habetur quidem assistentia divina ne Ecclesia in revelatione proponenda erret, sed non communicantur per mentis illustrationem quæ sunt definienda, neque habetur immediata motio voluntatis ad hanc vel illam divinæ revelationis veritatem definiendam.

VI. Objectiones. 1° Ipsi auctores sacri auctoritatem dictorum suorum repetunt vel a propria experientia, ut *Joannes* XIX, 35, vel a testimonio fide dignorum uti *Lucas* I, 2, vel ex suo labore uti auctor *Machab.* L. II, 24, 27, qui dicit : « *Et nos quidem* » *ipsi, qui hoc opus breviandi causa* (ex multitudine librorum, » de quibus v. 25 erat locutus) *suscepimus, non facilem* » *laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris* » *assumpsimus.* » Ergo non admittunt inspirationem per mentis illustrationem.

R. Objectio valeret, si cognitio naturalis non posset simul con-

sistere cum illustratione supernaturali, aut si auctores isti in citatis textibus negarent auctoritatem suam supernaturalem seu divinam; atvero neutrum hic obtinet, ac proinde ruit objectio.

Inprimis, uti supra jam diximus, cognitio naturalis optime potest simul consistere cum cognitione supernaturali, cum dona supernaturalia naturam non destruant, sed elevent et perficiant.

Præterea, Scriptores sacri auctoritatem suam divinam in textibus istis nullatenus rejiciunt. Etenim fieri potuit, quod inspirationem suam ignoraverint; sed hoc tamen non facile est supponendum. Verum insuper omnino naturale ipsis erat, ut auctoritatem suam humanam ante omnia stabilirent, cum hæc maximæ utilitatis sit tum pro illis qui nondum credunt, tum pro ipsis fidelibus; pro illis qui nondum credunt, ut ad fidem adducantur, et pro fidelibus, ut in fide confirmentur.

Obj. 2° In Scriptura, quædam scripta videntur juxta præconceptas et vulgares hominum opiniones; v. g. de motu solis, de stabilitate terræ plura dicuntur, quæ falsa videntur. Jamvero Deus, qui est infallibilis, non potest falsa inspirare. Ergo Scriptura non est a Deo ope illustrationis mentis inspirata.

R. De his loquitur Scriptura modo humano, præcisione facta a veritate rei; ac proinde in assertionibus istis non docet errorem. Simili modo, quando nos dicimus solem oriri et occidere, loquimur abstractione facta a quavis opinione astronomica, ac propterea non asserimus falsa.

Obj. 3° Habentur in Scripturis quædam minuta, quæ indigna videntur divina inspiratione juxta traditam definitionem intellecta. Sed Deus opus divina sua sapientia indignum facere non potest. Ergo.

R. Habentur in Scripturis quædam minuta, quæ indigna videntur divina inspiratione, *distinguo* : quæ indigna sunt divina inspiratione, si Deus voluit scribere librum, qui ex omni parte speciem divinam præ se ferret, *concedo*; quæ indigna sunt divina inspiratione, si Deus voluit scribere librum, qui speciem

libri humani præ se ferret, *nego*, cum ista minuta optime locum possint obtinere in libro humano. Jamvero noluit Deus Scripturæ speciem divinam dare, ne nimis multiplicaret miracula et veritatem fidei nimis clare demonstraret. Secundum præsentem enim salutis œconomiam, vult Deus ut homo humili voluntatis suæ obsequio fidem amplectatur; et ideo aliquam relinquit in fidei demonstratione obscuritatem. — Dato autem, quod Deus noluit speciem divinam Scripturæ dare, nullatenus ipso indignum est, ut minuta illa, in Libris sacris occurrant. Cum ipse non minus sit formicæ quam angelorum et cœli auctor, certe non minus illas res minutas quam altissima mysteria potuit inspirare, ubi id ex parte scopi intenti cum sapientia sua consonabat.

Obj. 4° Apostoli et scriptores sacri, aiunt increduli, nunquam sibi cognitionem divinam vindicant; ergo sine causa inspiratio dicto modo intellecta eis tribuitur.

R. Quanta temeritate id ab incredulis affirmetur, facile intelligi potest et probari. Etenim S. Paulus sibi, tamquam ministro Christi et dispensatori mysteriorum Dei, vindicat cognitionem supernaturalem per revelationem Spiritus Sancti obtentam : « *Loquimur*, ait, *Dei sapientiam in mysterio,* » *quæ abscondita est;* (1, *Cor.* II, 7)... *Nobis autem revelavit* » *Deus per Spiritum suum; Spiritus enim omnia scrutatur,* » *etiam profunda Dei* (v. 10). » — In Epist. ad *Galatas* pluries ostendit suam doctrinam non esse ab homine nec per hominem, sed ex Deo immediate per revelationem Jesu-Christi. — In Epist. ad *Ephesios* III, 2, 3, 4, 5, sibi et aliis apostolis adscribit peculiarem cognitionem mysteriorum Dei per revelationem *in Spiritu*. Præterea quem conceptum habuerint Apostoli de prophetia atque de Scriptura, manifeste colligitur ex *II. Petr.* I, 21 : « *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia,* » *sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei* » *homines;* » et ex S. Paulo, *II Tim.* III, 16 : « *Omnis*

» *Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum.* »
(Cfr. supra pag. 41).

Obj. 5. Ipsi scriptores sacri expresse negarunt se ex Dei inspiratione loqui, ac proinde inspiratio Scripturæ, sicuti supra fuit proposita, admitti nequit. Ita S. Paulus *I Cor.* VII, 10 dicit : « *Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed* » *Dominus, uxorem a viro non discedere;* » v. 12 : « *nam* » *cæteris ego dico, non Dominus : si quis frater uxorem* » *habet infidelem et hæc consentit habitare cum illo, non* » *dimittat illam.* » — Pariter *II Cor.* XI, 17 dicit : « *Quod* » *loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipien-* » *tia in hac substantia gloriæ.* »

R. In hisce textibus nulla ratione negatur scriptores sacros ex Dei inspiratione scripsisse. Ita quod ad priorem textum attinet, S. Paulus distinctionem in ipso ponit inter res, quæ quoad matrimonium per Christum expresse fuerunt definitæ, et illas quæ in hac materia per ipsum nunc proponuntur; sed nullatenus tractat de præceptis quæ divinitus essent inspirata et de aliis ab ipso statutis, quæ revelata non essent. Præterea ipse Paulus clare in hac epistola se inspiratum dicit; nam v. 40 ait : « *Puto quod et ego spiritum Dei habeam.* »

In altero autem textu Apostolus non indicat fontem suorum verborum, nec modum quo loquitur, an sit inspiratus vel non, sed objectum, scilicet ea omnia quæ dicebat in suam laudem. Quod incipio dicere, inquit, de meis laudibus, si res spectetur secundum se, non videbitur esse secundum Deum et divina actionum principia, sed spectata charitate et necessitate, manifestum erit, me recte agere et christiana virtutum principia sequi. Personam quasi insipientis assumpsit se ipsum commendando, sed revera sapientissime egit : ita enim egit, non suadente ambitione sed impellente charitate, ne Corinthii, Paulo contempto tamquam vili homine, seductoribus adhærerent.

Obj. 6° Multi inter rationalistas contendunt divinam inspira-

tionem in se et ontologice consideratam, adversari naturæ legibus; et suam opinionem inde confirmant : 1° quod inspiratio, utpote actio immediata Dei et præter ordinem causarum naturalium, naturalem abrumpat explicationem facultatis cognoscendi; 2° quod ipsa inferat necessitatem impediatque libertatem; 3° quod homo inspiratus non possit esse conscius divinæ inspirationis, ita ut eam a somniis et visionibus naturalibus tuto discernat.

R. Prima ratio ab adversariis allata, nullius est ponderis, cum nitatur fundamentali naturalismi et rationalismi principio in Demonstratione Christiana jam confutato, secundum quod totus ordo supernaturalis ut impossibilis est habendus. Ut fundamentale principium ponunt rationalistæ nihil fieri posse quod naturæ vires superet; ac proinde necessario debent inspirationem rejicere, quippe quæ omnino supernaturalis sit.

Secunda eorum ratio etiam omni valore destituitur; nam, uti supra exposuimus, inspiratio necessitatem non infert neque libertatem impedit; sed contra, voluntatem perficit et elevat. Dignius sane pro voluntate est moveri a Deo quam a seipsa tantum.

Tertia ratio est prorsus insulsa, cum supponat Deo omnipotenti, qui nobis facultatem cum proximo communicandi dedit, media non suppetere, ut homines, quos inspirat, de operatione, quam in eis peragit, certiores reddat. Insuper adversarii non attendunt, ad essentiam inspirationis non pertinere ut auctor inspiratus certo inspirationem suam cognoscat. Tamen uti diximus, haud leviter supponi potest, auctorem aliquem inspiratum de inspiratione sua notitiam non habuisse.

§ II.

Q. Quænam circa inspirationis essentiam existunt falsæ sententiæ?

R. *Falsæ circa hanc quæstionem sententiæ in duas classes*

dividi possunt : aliæ enim peccant defectu, aliæ vero excessu.

Defectu peccant illæ sententiæ, quæ docent : vel a) *ad rationem libri inspirati sufficere, ut Deus scriptorem ab erroribus præservet gravioribus, vel* b) *inspirationem idem esse ac infallibilitatem, vel* c) *ad librum inspiratum sufficere testimonium divinum de plena libri solum humana ope scripti veracitate, quæ inspiratio dicitur subsequens.*

Excessu peccant, qui contendunt, vel singula verba auctoribus humanis inspiratione fuisse dictata.

A. *De prima sententia.*

I. Hujus sententiæ declaratio. Ad hanc sententiam referuntur illi omnes qui ita inspirationem Scripturæ coërcent, ut affirment, eam se non extendere ad omnia, quæ divinis litteris continentur, sed tantum ad res majoris momenti; ac proinde in reliquis, scriptores sibi fuisse relictos, ac errare potuisse.

Holden (versus annum 1650) in libro suo « *Divinæ fidei analysis* » contendit tantum res dogmaticas et morales, non vero res historicas fuisse inspiratas; et hodierna nostra ætate in quibusdam scriptis periodicis proposita atque propugnata fuit opinio, quod in Libris sacris res minoris momenti, quæ ad substantiam dogmatis, doctrinæ moralis aut historiæ non pertinent, non sint inspiratæ. Similem sententiam propugnavit Hugo Grotius et Episcopius.

II. Confutatio hujus sententiæ. *a)* Huic sententiæ opponimus imprimis Vaticani Concilii, Const. *Dei Filius,* c. II, ubi legitur, *quod veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem Concilii* (Tridentini) *decreto recensentur et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt.*

b) Deinde refellitur hæc sententia, ex eo quod nomine S. Scripturæ designatur homogenea quædam uniformisque

dignitas singulis libris librorumque textibus inhærens, uti in primo capite ostendimus. Sed hæc auctoritas derivanda est ex inspiratione, uti in eodem capite diximus. Ergo inspiratio tam late patet ac ipsa Scriptura.

c) Refellitur tertio, ex doctrina Patrum, qui tam theoretice quam practice totam Scripturam singulasque ejus partes inspiratas crediderunt. Hoc patet tum ex indistincta citatione textuum omnis generis, tum ex eorum sollicitudine componendi vel minimas antilogias, quæ inter auctores inspiratos quandoque esse videntur, tum ex disertis effatis. Ita Hieronymus *Epist.* 27, respondens illis, qui propter Evangeliorum ad veterum codicum normam emendationem ipsi detrahebant, scribit : « Non adeo » me hebetis cordis et tam crassæ rusticitatis, ut aliquid de » dominicis verbis aut corrigendum putaverim aut non divinitus » inspiratum. » Augustinus *Epist.* 82 *ad Hieronymum* n. 3 : « Ego enim fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, » qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem hono- » remque deferre, ut nullum eorum auctorum scribendo » aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis » offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil » aliud quamvel mendosum esse codicem, vel interpretem » non assecutum esse, quod dictum est, vel me minime intel- » lexisse non ambigam.... De quorum (prophetarum vel aposto- » lorum) scriptis, *quod omni errore careant, dubitare* » *nefarium est.* »

d) Refellitur quarto hæc sententia, ex fine inspirationis, quæ, hac sententia semel admissa, plene incerta redditur et inutilis. Hinc S. Augustinus *ad Hieronymum Ep.* 28 n. 3 dicit : « Admisso semel in tantum auctoritatis fastigium officioso » aliquo mendacio *(idem dicatur de errore),* nulla illorum » librorum particula remanebit, quæ non ut cuique videbitur, » vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis eadem perni- » ciosissima regula ad mentientis auctoris consilium referatur. »

III. Objectio. Hujus sententiæ defensores ad suam opinionem propugnandam arguunt ex *vulgata* versione latina. Non officit, aiunt, inspirationi, auctoritati et valori Scripturæ, quod hæc vulgata versio tantum moraliter cum originali textu concordet, et in multis quæstionibus, quæ ad chronologiam, nomina locorum et alias hujusmodi minutas res pertinent, sit mendosa; unde concludunt, Scripturam etiam inspiratione, auctoritate et valore suo non destitui, ex eo quod in partibus suis, quæ minoris sunt momenti, inspirata non esset.

R. Errore allegant adversarii hoc factum vulgatæ ad thesim suam firmandam; nam inter Scripturam ipsam ut Scripturam et vulgatam versionem ut scriptum non habetur paritas. Etenim *a)* vulgata nulla ratione dicitur in omnibus suis minoris momenti partibus esse versio omnino correcta; ac proinde in omnibus suis minoris momenti partibus esse infallibile Dei verbum; dum contra S. Scriptura in originali et vero suo textu secundum fidei documenta in omnibus suis partibus, etiam in illis, quæ minimi sunt momenti, dicitur inspirata. Unde sequitur, quod mendas in vulgata versione admittendo ejus auctoritati non nocemus, cum contendi non possit eam in hujusmodi locis esse sine mendis; verum contra, maxime nocemus Scripturæ, dicendo errores in aliquibus ejus minoribus partibus posse occurrere, cum clare demonstretur eam in omnibus et singulis suis partibus, infallibile Dei esse verbum.

b) Vulgata versio ut versio non est a Deo inspirata, sed tantum est inspiratum Dei verbum in quantum cum originali concordat. Unde liquet in ipsa illam ab omni errore immunitatem, quæ in originali libro inspirato habetur, adesse non debere. Paritas daretur inter Scripturam originalem et vulgatam, si vulgata ut versio esset a Deo inspirata; verum a nemine hoc contenditur.

c) Primo aspectu videtur quidem quartum a nobis in demonstratione allatum argumentum per præsentem objectionem

omnino infirmari atque everti; atvero, re melius attenta, istud argumentum nullatenus suum inde amittit valorem. Etenim, solutio controversiarum, quæ de versionis rectitudine exsurgere possunt atque necessario exsurgunt, non a morali de majori vel minori rei momento æstimatione, quæ sæpe passionum, dispositionis et inclinationis uniuscujusque conditionem sequitur, est dependens, sed mediantibus claris, tutis et certis argumentis obtinetur. Quapropter opponi nobis nequit, versionem vulgatam, quæ ubique non est omnino correcta, nullius esse valoris ad nobis verbum Dei infallibiliter conservandum, si ad hunc finem utilis non esset Scriptura tantum quoad res majoris momenti inspirata; nam non argumentis certis, claris et tutis, sed tantum æstimatione morali, in qua homo facile errat, determinandum foret, quid majoris, quid vero minoris esset momenti. — Quod autem controversiæ, quæ versionis rectitudinem respiciunt, argumentis claris, tutis et certis solvuntur, per se liquet: ubi enim originalis textus supersit, solutio obtinetur per versionis cum hoc primævo textu collationem; si vero originalis textus amplius non subsistat sed certa habeantur de originali lectione testimonia, secundum hæc testimonia quæstio est solvenda; si autem et originalis textus et certa testimonia desint, res manet insolubilis, et in medio relinqui potest.

IV. Nota. Ceterum advertatur, quod etsi omnia in S. Scriptura ex divina inspiratione sint scripta, voluit tamen Deus ut scriptores inspirati referrent etiam subinde verba impiorum, stultorum etc.; uti infra latius exponemus in cap. III.

B. *De secunda sententia.*

I. Hujus sententiæ declaratio. Secunda falsa opinio inspirationem revocat ad meram assistentiam, qua Deus præservat scriptores ab errore eosque proinde reddit infallibiles. Hæc opinio propugnata fuit a Joanne Jahn (professore in Universitate Vindobonensi, m. 1817); et tribuitur etiam merito Bonfrerio

(professori Duacensi, m. 1643). Bonfrerius quidem non affirmat meram assistentiam pro omnibus libris et textibus S. Scripturæ, nam agnoscit divinam *inspirationem* (nostro sensu intellectam) semper paratam esse *in actu primo,* et transire *in actum secundum* ubi operatio divina scriptoribus sacris est necessaria ; verumtamen tenet plura Scripturæ loca sub mera Dei assistentia esse scripta, ac proinde solam assistentiam ad Scripturæ essentiam, saltem in certis casibus, sufficere. Bonfrerium secuti sunt Contenson et Janssens *(Hermeneutica Sacra);* nec ab ea multum dissentire videntur Rich. Simon, Du Pin et Calmet.

Falso tribuitur hæc opinio Bellarmino et Cornelio a Lapide : isti auctores quidem dixerunt *historias et morales exhortationes* non debuisse *inspirari;* verum, uti e contextu patet, dicunt *inspirari* pro *revelari* (in stricto sensu sumpto). Ita Cornelius a Lapide scribit in II *Tim.* III, 16 : « Nota secundo » Spiritum Sanctum non eodem modo dictasse omnes sacras » litteras. Historia vero et morales exhortationes, quas antea » vel visu, vel auditu, vel lectione, vel meditatione didicerant » ipsi scriptores agiographi non fuit necesse *inspirari* (revelari) » aut dictari... dicitur tamen etiam S. Spiritus ea quoque illis » dictasse, *a)* quia scribentibus adstitit, ne vel in puncto a » veritate aberrarent; *b)* quia eos excitavit, et suggessit ut hæc » potius scriberent quam illa; *c)* quia omnes eorum conceptus et » sententias ordinavit, digessit et direxit Spiritus S... hac enim » ratione proprie sacrorum librorum auctor dicitur esse » Spiritus Sanctus. »

II. Demonstratio. Variis argumentis refellitur hæc opinio : Etenim *a)* si Deus in Scripturæ scriptione nihil aliud fecisset, ac scriptorem ab errore præmunire eumque infallibilem reddere, Ipse non esset Scripturæ auctor, sed tantum ejus scriptionis adjutor : qui enim alterum in scribendo juvat atque ab errore præmunit est quidem in scribendo cooperator, sed a nemine dicitur verus libri auctor. Ut quis nempe sit verus libri auctor,

oportet, quemadmodum supra diximus, quod ipse et non alius ideas, quæ scriptæ sunt, mente conceperit atque earum scriptionis sit vera causa. — Jamvero juxta fidei doctrinam, Deus est Scripturæ auctor per inspirationem; ergo sententia illa, quæ in Scripturæ scriptione Deo tantum meram assistentiam tribuit, cum fidei doctrina componi nequit.

b) Si ad inspirationem, qua liber est *Scriptura Sacra*, satis esset Dei in scribendo assistentia, omnes Ecclesiæ definitiones etiam *Scriptura Sacra* essent, seu partes Scripturæ Sacræ constituerent. Jamvero id manifeste pugnat cum communi Catholicorum fide, nam nulla ratione a fidelibus creditur aut tenetur doctrinales Ecclesiæ constitutiones ad Scripturam pertinere, aut ejusdem esse naturæ ac Scripturam; sed contra ubique in Ecclesiæ definitionibus, in theologicis libris, in Catechismus sedulo distinguitur Scriptura ab iis, quæ Ecclesiæ auctoritate sunt definita et proposita.

c) Præterea, si inspiratio nihil aliud esset ac Dei assistentia ab errore præmuniens, Scriptura jam non constitueret revelationis fontem a Traditione distinctum; nam verbum Dei traditum est etiam per specialem Dei assistentiam, integre et intacte conservatum. Sed juxta expressam Ecclesiæ fidem, Scriptura est revelationis fons a Traditione omnino distinctus. Ergo.

III. Nota. Per se patet, inspirationis notionem secundum hanc secundam sententiam expositam, eadem ratione esse falsam, sive agatur de locis Scripturæ continentibus doctrinam extra inspirationis actum, scriptoribus ipsis vel aliis jam revelatam, sive sermo sit de libris et locis, quorum doctrina et sententiæ aliunde revelatæ non erant. Ex eo enim quod aliquis liber revelatam contineat doctrinam, nulla ratione dici potest inspiratus; secus enim omnes Catechismi et theologici libri qui veram Christi doctrinam continent, dicendi essent libri inspirati seu S. Scriptura.

C. *De tertia sententia.*

I. Declaratio hujus sententiæ. Juxta tertiam opinionem liber aliquis *sola approbatione divina* seu *insertione in canone librorum sacrorum* evadit S. Scriptura, eo modo quo sententia aliqua a Cicerone scripta fit verbum meum, si ea utar ad meum conceptum exprimendum.

Hæc autem approbatio divina dicitur *inspiratio subsequens* : dicitur *inspiratio*, quia hujus sententiæ propugnatores volunt ecclesiasticam vocem *inspiratio* servare ; et *subsequens*, quia ista Dei actio scriptionem libri sequitur.

Hanc sententiam ut *hypothesim possibilem* defenderunt Lessius, Hamel et Bonfrerius. « *Consequenter*, ait Bonfrerius, se » habere posset Spiritus Sanctus, si quid humano spiritu, absque » Spiritus Sancti ope, directione, assistentia a quopiam scriptore » esset conscriptum, postea tamen Spiritus S. testaretur, omnia » quæ in eo scripta essent, vera esse ; certum enim est, tunc » totum hoc scriptum fore Dei verbum, et eamdem infallibilem » veritatem habiturum, quam habent cætera, quæ inspiratione » vel directione ejusdem Spiritus Sancti concripta essent. » Sed addit : « Hoc tertio modo, etsi non existimen Spiritum » Sanctum aliquando usum in iis quos habemus S. Scripturæ » libris, absolute tamen nihil vetat uti, vel aliquando etiam » usum forte fuisse in iis libris nonnullis, quos diximus fuisse » Scripturam Sacram et postea tamen intercidisse. » — Eodem modo locutus est Lessius in Epistola sua ad Archiep. Mechlin. : « Si aliquando ait, aliquod opus pium et salutare humana » industria ex divino instinctu compositum, publico testimonio » Spiritus Sancti approbaretur, tamquam in omnibus suis » partibus verissimum ; tale opus habiturum esse *auctoritatem* » *æque infallibilem ac Scriptura Sacra et recte Scripturam* » *Sacram et verbum Dei appellatum iri.* Nam ejusdem est

» auctoritatis epistola a rege dictata et alia ab eo subscripta;
» qui modus, *etsi de facto putem eum non inveniri in aliquo*
» *Scripturæ canonicæ libro, non tamen est impossibilis.* »

Nostris autem diebus quidam auctores catholici, longius progressi quam theologi mox citati, censuerunt re ipsa plures seu libros seu librorum textus in S. Scriptura exstare, qui humana tantum ope scripti postmodum fuerunt nihilominus auctoritate et approbatione Ecclesiæ accensiti S. Scripturæ. « Fieri potest, ait » Cl. et Ill. Haneberg *(Hist. revelationis biblicæ edita a.* 1850), » ut scriptum aliquod primitus solis ordinariis humanis viribus » confectum, eo demum ad dignitatem verbi Dei elevatum esset » atque hoc ipso *inspiratum evasisset, quod canoni insertum* » est. In hac hypothesi scriptum aliquod factum esset verbum » Dei eo modo, quo locus aliquis a Cicerone scriptus fit verbum » meum, quando illum in aliqua oratione vel epistola usurpo ad » *meum* conceptum exprimendum : hæc est enim *inspiratio* » *subsequens*. Quænam ex hisce tribus speciebus inspirationis » ad hunc vel illum librum, ad hunc vel illum versum referenda » sit, vix potest singillatim definiri; dicere tantum possimus, » ea loca, in quibus expressum est : hæc dicit Dominus, vel » aliquid simile, probabilius, ad primam *(antecedentem)*; » *narrationes vero historicas, rerum quæ subsunt experi-* » *rientiæ, ad posteriorem (subsequentem)* pertinere posse. »

II. Demonstratio. Hæc sententia directe refellitur *a)* ex ipsa notione *inspirationis*. Inspiratio est supernaturalis actio Dei in hominem scribentem, ex qua liber ab homine inspirato conscribitur et appellatur *terminative* inspiratus. Atqui approbatio divina et infallibilis declaratio, quibus constat in libro aliquo humana solum ope scripto, omnia esse vera et nihil falsi occurrere, non est actio Dei in scriptorem; nec per hanc approbationem et declarationem fit, ut præteritus scriptionis actus desinat esse mere humanus, et liber jam scriptus ope mere humana incipiat esse ex divina operatione scriptus. Ergo

talis approbatio non est nec esse potest inspiratio, nec talis liber potest esse inspiratus (Cfr. Franzelin).

b) Refellitur etiam hæc sententia ex *falso fundamento*, quo ipsa nititur. Certe videtur hæc opinio orta ex eo, quod non satis distinguatur inter *verbum Dei* et *librum inspiratum*. Ubique enim in demonstrationibus suis nihil aliud probant adversarii, ac librum sola humana industria conscriptum ex divina approbatione fieri verbum Dei fide credendum; ac putant, hoc stabilito, totam suam sententiam plene esse probatam. — Atvero verbum Dei simpliciter sumptum omnino est distinctum a libro inspirato; ac proinde ruit eorum sententia.

Concedimus quidem librum aliquem sola industria humana conscriptum Dei approbatione fieri posse *verbum Dei*, h. e. librum continentem veritates a Deo revelatas et fide divina credendas; nam hac ipsa approbatione revelat Deus omnia, quæ in hoc libro continentur, esse vera; ac proinde omnes veritates illic contentæ ut Dei verbum credi possunt. Verum ideo iste liber non est liber inspiratus, qui omnino positivum Dei in suam scriptionem influxum exigit. Jamvero S. Scriptura non est *qualecumque verbum Dei* sed verbum Dei *speciale*, scilicet verbum Dei *inspiratum*.

III. Objectiones. 1° Ubi rex, aiunt, litteras a ministro suo, ipso non interveniente, scriptas signat sigilloque suo munit, eo ipso has litteras efficit suas, suamque auctoritatem eis tribuit. Jamvero libri humani a Deo approbati ejusdem sunt conditionis ac litteræ illæ a rege subsignatæ; ac proinde ex Dei approbatione liber humanus fit vere liber Dei.

R. In hac objectione eadem habetur confusio, quam mox memoravimus : confunduntur nempe verbum Dei simpliciter sumptum et liber ratione materiæ *divinus* dictus, cum libro inspirato.

Certe, ubi rex litteras a ministro suo, proprio marte scriptas, signat sigilloque suo munit, eis suam auctoritatem

tribuit, seu efficit ut eamdem auctoritatem habeant, ac si per ipsam regiam manum essent scriptæ; verum hac subsignatione et approbatione rex non fit auctor *scripti operis* seu illarum litterarum quatenus sunt scriptæ : solus earum auctor est et manet minister ille qui eas sua manu scripsit. Jamvero Scriptura est opus scriptum, cujus Deus est verus auctor per inspirationem; ac proinde objectio ruit.

Obj. 2° Conantur adversarii et hoc modo suam opinionem defendere : sententiæ quædam gentilium, aiunt, in Scriptura Sacra assumptæ, ex scriptoris inspirati approbatione factæ sunt S. Scriptura; et pari modo sententiæ ab aliis prolatæ, ubi a nobis in aliquo scripto assumuntur et approbantur, fiunt nostræ. Sed quod fieri potest circa specialem quamdam sententiam, potest etiam fieri circa librum integrum; ac proinde totus liber sola humana industria compositus, potest ex divina approbatione fieri liber Dei.

R. Falso asseritur sententiam aliquam ab alio scriptam fieri Scripturam Sacram aut scriptionem alterius scriptoris, ex eo quod vel a Scriptura Sacra vel ab isto scriptore est assumpta et approbata. Hæc sententiæ assumptio, insertio et approbatio ad Scripturam Sacram vel ad alium istum scriptorem quidem pertinent, sed ipsa sententia non fit inde sententia Scripturæ aut istius scriptoris. — Posset quidem fieri sententia Scripturæ aut istius scriptoris; verum ad hoc requireretur, ut non tantum assumatur, inseratur et approbetur, sed insuper ab auctore Scripturæ aut ab alio isto scriptore ut propria sententia concipiatur et scribatur.

D. *De quarta sententia.*

I. Hujus sententiæ declaratio. Secundum hanc quartam sententiam, quam plures theologi et interpretes catholici docuerunt, verba et stylus a Deo non tantum sunt inspiranda, ubi

ipse directe vult ut conceptus suus istis verbis istoque stylo et non aliis exprimatur, verum semper et ubique; seu aliis verbis, secundum hanc sententiam, inspiratio verborum et styli ad ipsam libri inspirati essentiam in quovis casu spectat.

Hæc sententia in scholis certe sæc. XVI prævaluit; sed paulatim ab ea recesserunt doctores, ita ut nunc communissime rejiciatur. — Minime tamen putandum est doctores omnes antiquiores, qui pro illa sententia referri solent, eam vere propugnasse: nam plures ex ipsis revera nihil aliud admiserunt ac divinam *assistentiam*, quam nos requirimus. Ita ex. gr. Suarez (*De Fide, Disp.* 5. S. 5) scribit : « Adverti debet duobus « modis posse intelligi singula verba Scripturæ esse a Spiritu « Sancto : per specialem motionem antecedentem, vel tantum « per assistentiam..... Non videtur autem necessarium, etsi « eruditi quidam recentiores id contendant, ut semper dicentur « verba hoc primo peculiari modo. Quando enim auctor canonicus scribit aliquid, quod secundum se humanum est et « subjacet sensibus, satis videtur quod Spiritus illi specialiter « assistat, et custodiat ab omni errore et falsitate et ab omnibus « verbis, quæ non expediunt vel decent talem Scripturam..... « **Satis ergo est, ut uno alterove modo juxta exigentiam « materiæ, verba sint a Spiritu Sancto.** »

Hujus sententiæ defensores præcipue sequentia proferunt argumenta. *a)* Perpetua, aiunt, atque constans Judæorum et Patrum Traditio est, singula Scripturæ verba a Deo dictata esse, neque vel minimam syllabam in Scriptura reperiri, quæ divinæ inspirationi non sit adscribenda : quod ut confirment, citant inter alia loca, textum S. Hieronymi *in S. Matth.* VI. : « Singuli « sermones, syllabæ, apices, puncta in divinis Scripturis plena « sunt sensibus et spirant cœlestia sacramenta; » atque provocant ad multiplicia illa Judæorum et Patrum testimonia, quibus dicitur, Deum principalem Scripturæ auctorem scriptoribus humanis tamquam calamo et instrumento esse usum, et nihil

non divinum in SS. Litteris occurere. — *b)* Conantur id etiam ex ipsa rei essentia demonstrare. Generaliter, aiunt, verbum quodpiam illius tantum esse proprie dicitur, qui illud dicit vel ejus ope mentem suam exprimit; atque simili modo verbum scriptum illi tantum proprie tribuendum est, qui scripto loquitur, seu qui litteris exaratis vel immediate a se vel ab alio, cui quæ sibi placebant dictavit, propriam mentem exprimit. Ut ergo tota Scriptura Sacra sit vere ac proprie scriptum Dei verbum, oportet ut quoad ad omnes suas partes, a Deo dictante processerit.

Hæc sententia liberis theologorum disputationibus est relicta, et sine *nota* potest defendi. Attamen attento, quam infirma sint argumenta, quibus ipsa nititur, et quam gravia sint illa, quibus opposita stabilitur sententia, opinamur eam *falsam* dici posse.

II. Demonstratio. Hæc demonstratio duplici modo fieri potest : vel *directe,* per argumenta scilicet, quæ ostendunt ad inspirationem certe non pertinere ut semper singula verba dictentur; vel *indirecte,* per confutationem argumentorum, quæ ab adversariis proponuntur.

A. **Demonstratio directa.** *a)* Analysin eorum instituendo, quæ librum constituunt, invenimus neminem posse libri alicujus esse auctorem, si illa sensa, quæ ipse ut scribenda concepit, in hoc libro non consignentur, cum liber consistat in expressione sensorum, quæ mens concepit, litteris facta. Jamvero sensa, quæ quis ut scribenda concipit, necessario complectuntur ideas, non vero verba et formam quibus hæ ideæ sunt exprimendæ; cum variis modis una eademque idea exprimi possit. Ergo ad essentiam inspirationis nulla ratione potest pertinere, ut semper et ubique omnia et singula verba dictentur. Hoc autem argumentum omnino manifestum fit, si ad absurdum attendatur consectarium quod ex opposita sententia fluit. Inde enim immediate sequitur, nullam versionem S. Scripturæ am-

plius esse verbum Dei Scriptum; quod certe cum communi fidelium sensu pugnat.

b) Ipsa S. Scriptura videtur excludere inspirationem omnium et singulorum verborum. Nam — 1° Scriptores Sacri eumdem sermonem referentes diversis verbis illum referunt; etsi ille, cujus sermonem referre profitentur, nonnisi uno modo eum protulerit : ita accidit ex. gr. in verbis Christi instituentis SS. Eucharistiam (Cfr. *Matth.* XXVI; *Marc.* XIV; *Luc.* XXII; I *Cor.* XI). Imo unus idemque scriptor, Moyses, in diversis locis decalogum a Deo acceptum *(Exod.* XX; *Levit.* XIX, XXVI; *Deut.* V), diversis verbis, ac stylo nunc conciso nunc fusiore refert; et pari modo inter psalmum 17, prout habetur in libro psalmorum et 2 *Reg.* XXII, sunt discrimina 95; et certe in utroque loco David haberi debet ut inspiratus, licet illum probabiliter *una* tantum *forma* protulerit. — Jamvero hujus diversitatis haud recte dari potest ratio, si admittatur omnia et singula verba a Deo esse inspirata. — 2° Auctores sacri videntur quandoque sat clare exprimere, se a Deo verba et stylum non accepisse. Ita auctor II *Mach.* XV, 39, excusat suam tenuitatem et mediocritatem, et S. Paulus (II *Cor.* XI, 6) fatetur se *imperitum sermone, sed non scientia.* — 3° Omnes norunt et Patres id notarunt, esse in variis S. Scripturæ libris elocutionis et styli diversitatem, quæ diversæ indoli et eruditioni scriptorum respondent; quod etiam clare indicat verba omnia et singula a Spiritu Sancto non esse dictata. — Ad secundum et ad tertium ex allatis argumentis responderi quidem posset, Deum potuisse se in verborum et styli inspiratione eruditioni et indoli singulorum scriptorum accommodare. Verum cum agatur de extraordinario Dei interventu, et Deus sine necessitate opera sua extraordinaria non multiplicet, res admitti nequit, nisi certo probetur. Jamvero, uti jam ostendimus et infra adhuc latius probabimus, non dantur argumenta, quæ omnium et singulorum verborum inspirationem postulant. Ergo. — Hoc

responsum etiam inde maxime firmatur, quod in Scriptura occurrunt defectus elocutionis et styli; et non apparet quomodo illi Spiritui sancto, tamquam auctori, tribui possent.

c) Eamdem doctrinam tuentur Patres. Etenim 1° videntur directe innuere, quæ hic propugnamus. Ita S. Hieronymus *(Ep.* 57 *ad Pammach.)* dicit : « Obtrectatores mei quærant et » intelligant, non verba in Scripturis consideranda, sed sen- » sum; » et in *Gal.* I, 11, 12 : « Nec putemus in verbis Scriptu- » rarum esse Evangelium, sed in sensu, non in superficie sed » in medulla, non in sermonum foliis sed in radice rationis. » Item S. Augustinus *(De Consid. Evang.* L. 2. c. 66) inquit : « Quod nosse et moribus utile est, propter cavenda et judicanda » mendacia, et ipsi fidei, ne putemus quasi consecratis sonis ita » muniri veritatem tamquam Deus nobis quemadmodum ipsam » rem, sic verba quæ propter illam sunt dicenda, commendet. » Et respondens illis qui forte objicerent, debuisse Evangelistas per Spiritum Sanctum etiam in verbis et in ordine concordare, ait id fieri minime debuisse; atque inter alias hanc reddit rationem : « ut, quod ad doctrinam fidelem maxime pertinet, » intelligeremus non tam verborum quam rerum quærendam » vel amplectendam esse veritatem, quando eos qui non eadem » locutione utuntur, cum rebus sententiisque non discrepent, » in eadem veritate constitisse approbamus. » — 2° Notant etiam Patres elocutionis et styli diversitatem, quæ inter scriptores sacros habetur, eamque in ipsos scriptores referunt. Ita S. Hieron. *(Præf. in Isai. et Jerem.)* scribit : « De Isaia » sciendum est, quod in sermone suo disertus est, quippe ut vir » nobilis et urbanæ eloquentiæ, nec habens quidquam in eloquio » rusticitatis admixtum. » Sed contra : « Jeremias sermone » quidem apud Hebræos, Isaia et Osee et quibusdam aliis pro- » phetis videtur esse rusticior, sed sensibus par, quippe qui » eodem spiritu prophetaverit. Porro simplicitas eloquii a loco » ei in quo natus est accidit. Fuit enim Anatholites, qui est

» usque hodie viculus. » S. Augustinus (l. c.) : « Si ergo quæ-
» ritur, quæ verba potius Joannes Baptista dixerit, utrum quæ
» Matthæus, an quæ Lucas eum dixisse commemorat, an quæ
» Marcus..... nullo modo hic laborandum esse judicat, qui
» prudenter intelligit, ipsas sententias esse necessarias cogno-
» scendæ veritati, quibuslibet verbis fuerint explicatæ. Quod
» enim alius alium verborum ordinem tenet, non est utique
» contrarium; neque illud contrarium est, si alius dicit, quod
» alius prætermittit. Ut enim quisque meminerat et uti cuique
» cordi erat, vel brevius vel prolixius eamdem tamen explicare
» sententiam, ita eos explicasse credendum est. »

B. **Demonstratio indirecta.** *a)* Argumentum, quod adversarii ex doctrina Judæorum et Patrum deducunt, nullius est valoris, cum eorum testimonia commode explicari possint, ut significent tantum, summa reverentia sacram excipiendam esse Scripturam, vel omnia ejus verba diligenter esse expendenda, quia saltem tota sententia est divinitus inspirata, et omnia verba sensu sunt plena, utpote Deo invigilante et assistente conscripta. Jamvero ut adversarii ex Patrum doctrina sententiam suam vere stabilire possent, deberet constare, quod Patrum testimonia nonnisi de inspiratione omnium et singulorum verborum accipi possint. Ergo.

b) Alterum argumentum, quod ex natura verbi dicti aut scripti depromunt, etiam est infirmum. Affirmant quidem verbum dictum aut scriptum debere ab auctore suo immediate esse totaliter productum aut ab eo esse dictatum, ut sit opus ejus; verum id non demonstrant; nam nihil afferunt, unde vere probent sententiæ inspirationem non posse sufficere ut scriptum sit inspiratum. Præterea peremptorie demonstravimus ad libri inspirationem hanc verborum inspirationem non requiri, nisi ubi Deus quædam verba ac quamdam styli formam mente concepit ut scribenda.

CAPUT TERTIUM

De Sacræ Scripturæ Canone

Prænotandum. Demonstratis S. Scripturæ existentia et essentia, jam inquirendum est de canone seu de catologo librorum, qui ad S. Scripturam pertinent. Quod ut præstemus, prius tractetur oportet de medio seu criterio vi cujus liber inspiratus, qui proinde ad S. Scripturam pertinet, tuto possit secerni a libro non inspirato. Ejusmodi criterium maxime esse necessarium per se patet eo vel magis, quod jam primis Christi sæculis, teste Irenæo L. I *Cont. Hær.* c. 20, hæretici attulerint « *inenarrabilem multitudinem apocrypharum et perperarum* (νοθων) *Scripturarum, quas ipsi finxerunt.* » Supersunt adhuc evangelia apocrypha de juventute vel passione Christi *decem;* acta diversorum Apostolorum, quorum notitia vel fragmenta vel etiam textus supersunt, circa *sexdecim;* et plures Epistolæ et Apocalypses apocryphæ.

Ubi autem in ejusmodi criterium seu discernendi libros inspiratos a non inspiratis medium inquirimus, non qualicumque contenti esse possumus sed tale debemus exigere, quo *tuto*, *authentice* et *modo omnibus accomodato, quoad omnes Scripturæ partes* certi de libris inspiratis reddamur.

Cum autem inter nos Catholicos et Protestantes disputatio habeatur de istis criteriis, sequenti ratione hanc quæstionem declarabimus : *primo* agemus de criteriis quæ Protestantes proponunt; *secundo* tractabimus de illis quæ a Catholicis admittuntur; et *tertio*, demonstrato, quod Catholicorum criteria sunt sola vera, ea adhibendo investigabimus quisnam sit verus librorum inspiratorum catalogus. Tandem, cum apud Catholicos sit versio, *vulgata* scilicet, quæ speciali fruitur auctoritate, *quarto* agendum erit de auctoritate istius versionis *vulgatæ*.

§ I.

Q. Quænam sunt criteria divinæ inspirationis a Protestantibus proposita; et quid de eis est judicandum?

R. *Protestantes ut criteria inspirationis proponunt* : a) *ipsam rei naturam*, b) *characteres, qui ipsis libris sacris inhærent, et* c) *munus apostolatus in scriptore : quæ omnia ut omnino insufficientia criteria sunt habenda.*

—

I. Declaratio et confutatio primi criterii. Primum criterium a Protestantibus propositum est *ipsa rei natura*, h. e. intrinseca necessitas, qua talis liber debuit a Deo inspirari, quia secus divina doctrina conservari non potuisset. — Verum nemo non videt omnia argumenta, quæ ad hoc suadendum afferuntur, ad summum convenientiam evincere inspirationis alicujus libri sed nullatenus sufficere ad declarandum tales et tales libros revera esse inspiratos et alios non esse inspiratos.

II. Declaratio et confutatio secundi criterii. Præcipui librorum characteres, e quibus, juxta Protestantes, de libri inspiratione certi reddimur, sunt : character *historicus*, quem constituunt in miraculis et prophetiis in libro relatis; character *dogmaticus*, qui consistit in sanctitate, sublimitate et consensione doctrinæ; character *empiricus*, qui repetitur ex miris effectibus, quos legentes ex vi et efficacia verbi Dei experiuntur; et character *æstheticus*, repositus in sublimitate et simplicitate dictionis. Jamvero nemo non intelligit hæc criteria, sive simul sumantur, sive singulatim examinentur, nulla ratione constituere principia, e quibus inferri possit quinam omnes et soli libri divinitus sint inspirati, atque S. Scripturam constituant.

a) Spectemus hos characteres simul. Ut ex hujusmodi characteribus certe innotesceret librorum inspiratio, constare deberet eos talis esse naturæ, ut aliam causam habere non possint

quam inspirationem. Atqui hoc non constat. Etenim, illi omnes libri, qui revelatam continent doctrinam, istis omnibus notis ornati esse possunt, cum ipsæ non ex libri inspiratione sed ex doctrinæ revelatione fluant. Et hoc etiam factis comprobatur : constat enim multos existere libros a SS. Patribus et a viris sanctis conscriptos, qui haud minus quam libri S. Sripturæ hisce notis gaudent. — Objici quidem posset, etiam Catholicos ad hasce notas appellare ut Scripturæ inspirationem comprobent; sed frustra inde arguitur. Etenim Catholici ad hosce characteres internos appellant, non ut ex hoc solo capite librorum sacrorum inspirationem comprobent, sed ut objectiones contra horum librorum inspirationem ex ipsorum internis notis desumptas, refellant. Ubi enim catholicæ fidei hostes conantur demonstrare, quod interni Scripturæ characteres cum perfectione Dei, qui eam inspiravit, vere pugnant, ante oculos ponimus quomodo contra, isti interni characteres cum divinis attributis plene consonent. Uno verbo Catholici considerant hosce characteres internos, si non omnes, saltem plures, uti notas *negativas*, quarum præsentia requiritur ut liber aliquis possit esse inspiratus, sed non demonstrat librum certe esse inspiratum, et quarum absentia ostendit librum non esse inspiratum; verum nulla ratione eas habent ut notas *positivas* quarum præsentia librorum inspirationem plene demonstrat.

b) Spectemus hos characteres singillatim. Quod ad primum characterem attinet, absurde confunditur narratio miraculorum et prophetarum, quæ in libro quodam continetur, cum patratione miraculorum et editione prophetiarum ad alicujus doctrinæ veritatem comprobandam factis. Miracula et prophetiæ quæ in S. Scriptura referuntur, non quidem ad ejus inspirationis veritatem sed ad relatam doctrinam comprobandam, sunt facta. — Argumentum secundum *(dogmaticum)* et tertium *(empiricum)*, etiamsi omnia concedantur quæ argumenti auctores postulant, ad summum probare potest, hos libros in aliquibus partibus

doctrinam revelatam continere. At ne id quidem probant illa duo argumenta per se sumpta, nisi aliis conjungantur, quibus librorum scriptores veraces et infallibiles esse demonstretur. Certe nullo modo demonstrant inspirationem ipsius scriptionis, imo neque divinitatem narrationum et doctrinæ in omnibus partibus librorum, qui in canone comprehenduntur. — Ex argumento *quarto* (quod dicitur *æstheticum)* nihil unquam aliud demonstrari potest, nisi quod res et doctrinæ seu revelatæ seu aliunde cognitæ, verbis et locutionibus aptis expressæ sunt; hoc autem nonnisi per inspirationem fieri potuisse, neque evidens est nec demonstrari potest, quin illud ipsum præsupponas, quod est in quæstione. (Cfr. *Franzelin, De Script. et Trad.)*

III. Declaratio et confutatio tertii criterii. Secundum Joan. David Michælis *(Introd. in N. T.)*, criterium *positivum* et *exclusivum* ad sacros libros dignoscendos N. T. est munus apostolatus, quo scriptores fuerunt instructi. Sed *a)* munus apostolatus non est criterium *positivum;* id saltem demonstrari nequit. Charisma enim inspirationis ad scribendum, distinctum est a charismate revelationis, infallibilitatis et inspirationis ad loquendum. Jamvero demonstrari quidem potest ex divinis litteris apostolos hoc triplici charismate fuisse præditos, sed cum de scriptione nullibi sit sermo, non poterit, saltem certo, inferri eos etiam donatos fuisse charismate inspirationis ad scribendum. — *b)* Multo magis absurdum est hoc criterium sensu *excludente*, tum quia contra totius antiquitatis sensum e librorum inspiratorum canone, excludenda forent tam Evangelia S. Marci et S. Lucæ, quam Actus Apostolorum; tum quia gratis supponitur Deum nulli alteri, quam Apostolis hoc concessisse charisma.

§ II.

Q. QUALE CRITERIUM PROPONUNT CATHOLICI?

R. *Docent Catholici aliud non haberi librorum sacrorum certum criterium ac Dei testimonium, atque hoc Dei testimo-*

nium de integro librorum sacrorum catalogo nonnisi traditione innotescere posse, eamque, ut facile tutoque ab omnibus cognoscatur, ab Ecclesia infallibili esse proponendam.

—

I. Explicatio responso. *a)* Dicitur *aliud non haberi librorum sacrorum criterium ac divinum testimonium* h: e. revelationem divinam, quæ libri inspirationem declarat. Hæc autem potest fieri vel ipsi auctori inspirato vel aliis.

b) Dicitur, quod hoc divinum testimonium de *integro librorum sacrorum catalogo nonnisi traditione innotescere potest;* aliis verbis, quod hoc testimonium non ex ipsa S. Scriptura ut libro divinitus inspirato, quam ut talem Protestantes tamquam unicum fidei fontem habent, sed tantum alio medio, quod a Scriptura ut libro divinitus inspirato est distinctum, traditione scilicet, de integro librorum sacrorum catalogo, potest nobis fieri notum. Cognita quidem alicujus libri inspiratione, jam hic liber ut Scriptura potest nobis de aliorum inspiratione testimonium reddere; sed contendimus, quod Scriptura ut Scriptura non potest nobis testimonium reddere de inspiratione omnium suorum librorum. — Per traditionem hic generatim intelligimus medium divinam doctrinam conservandi a Scriptura ut libro inspirato distinctum. — Protestantes nullam traditionem ut fidei fontem admittunt : accipiunt quidem aliquam traditionem *historicam*, ut aiunt; verum eam habent non ut fidei fontem sed tantum ut medium cognoscendi, qua ratione veritates in Scriptura contentæ pristinis temporibus fuerint intellectæ.

c) Dicitur *illam traditionem, ut facile tutoque ab omnibus cognoscatur, ab Ecclesia infallibili esse proponendam :* hoc est, ut omnes fideles etiam minus docti absque longo et difficili studio et absque periculo erroris cognoscere valeant, quinam libri juxta traditionis testimonium ad Scripturam pertineant, opus esse ut infallibilis Ecclesia existat, quæ hanc quæstionem infallibiliter solvat.

II. Gradus certitudinis. Hæc assertio saltem *theologice certa* est dicenda, cum clare e fidei doctrina deducatur et unanimiter in catholicis scholis doceatur.

III. Demonstratio partis primæ. Inspiratio, quæ complectitur mentis illustrationem, voluntatis motionem et assistentiam, est factum supernaturale psychologicum in mente hominis, quod, si res a priori consideretur, innotescere potest, vel divino testimonio scriptori sacro vel aliis dato, vel testimonio scriptoris inspirati qui judicio proprio censet se esse inspiratum, vel ex inspirationis effectibus supernaturalibus seu miraculosis, h. e. ex characteribus miraculosis libri. Atvero de facto inspiratio neque secundo neque tertio modo innotescere potest. Etenim, nisi Deus expresse inspirationem scriptori sacro revelet, ipse non poterit de inspiratione sua plene certus esse, cum inspirationis elementa, maxime voluntatis motio et in scribendo assistentia, e sua natura non sint tales effectus, qui manifeste sint divini seu supernaturales. Pari modo non habentur in libro inspirato characteres, qui aliam causam ac divinam inspirationem habere nequeunt. Quapropter concludendum est, de divina inspiratione alicujus libri nonnisi divino testimonio constare posse.

IV. Demonstratio secundæ partis. Quod testimonium divinum de omnium librorum sacrorum inspiratione per ipsam S. Scripturam ut Scripturam non potest conservari, per se liquet; quia secus demonstraretur Scriptura per Scripturam, seu demonstraretur librum aliquem esse inspiratum ex eo quod idem ille liber testatur se inspiratum esse et hoc ejus testimonium est inspiratum : quod manifeste esset circulus vitiosus, cum res demonstranda ut medium demonstrationis assumeretur. Potest quidem una Scripturæ pars, quæ aliunde jam nota est ut inspirata, tamquam Scriptura divinum testimonium de alterius partis inspiratione reddere; verum prorsus repugnat, ut prima Scripturæ pars, de cujus inspiratione inquiritur, inspirata esse

demonstretur ex ipso testimonio, quod ipsa ut Scriptura de se reddit : talis enim demonstratio esset manifeste circulus vitiosus.

V. Demonstratio partis tertiæ. Traditionem, qua docemur quibusnam libris canon Scripturæ constat, ab Ecclesia infallibili esse proponendam, ut sit pro omnibus facile et tutum medium exacte libros S. Scripturæ cognoscendi, in oculos incurrit. Liquet enim, quod, seposita hac in re infallibili Ecclesiæ definitione, summopere difficile foret ut inter doctores unanimis daretur de Scripturæ catalogo sententia; unde necessario sequeretur, quod innumeri fideles nunquam cum certitudine cognoscere possent, quinam sint *omnes et soli* S. Scripturæ libri.

Doctrinam, quam hic et in n. IV demonstravimus, expresse proposuerunt Ecclesiæ Patres et antiqui scriptores : ita Tertullianus *De Præscript.* n. 19 dicit : « Ubi apparuerit esse veri- » tatem et disciplinæ et fidei christianæ, illic erit et veritas » Scripturarum et expositionum; » aliis verbis : ab Ecclesia discendus est verus legitimusque divinarum litterarum canon earumque verus legitimusque sensus. — Idem sæpissime inculcavit S. Augustinus, cujus notissima sunt verba : « Ego vero » Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commo- » veret auctoritas *(Contra Epist. fund.* n. 6); » et paulo post subdit : « In locum autem traditoris Christi quis successerit, in » *Apostolorum Actibus* legimus; cui libro necesse est me » credere, si credo Evangelio, quoniam utramque Scripturam » similiter mihi catholica commendat auctoritas. » Hoc sæpe contra Manichæos, ecclesiasticæ auctoritatis contemptores, idem sanctus doctor inculcat. Ita contra Faustum disputans dicit (L. 13 *contra Faustum,* 4) : « Si alios, quos dicat apostolorum » nostrorum, codices protulerit (Manichæus), quomodo eis ipse » auctoritatem dabit, quam per ecclesias Christi ab Apostolis » constitutas non accepit, ut inde ad posteros firmata commen- » datione transcurreret? » — Idem docuit S. Cyrillus Hierosolymitanus *(Catech.* 4. n. 33, 35) : « Studiose, inquit, et ab Ecclesia

» disce, quinam sunt Veteris Testamenti libri, qui vero novi.... » Eos solos studiose meditare et versa, quos etiam in Ecclesia » cum certa fiducia habemus : multo prudentiores et religiosio- » res te erant Apostoli et veteres Episcopi Ecclesiæ rectores, » qui eos tradidere : tu ergo filius Ecclesiæ cum sis, ne leges » positas transverte. » — Origines pariter diserte pronuntiat : « In his omnibus (Evangeliis quæ circumferuntur) nihil aliud » probamus, nisi quod Ecclesia, h. e. quatuor nostra Evan- » gelia. » *(Hom.* 1 *in Luc.)*

VI. Objectio. Catholici, aiunt adversarii, etiam ex testimoniis in S. Scriptura contentis demonstrant, quinam libri ad S. Scripturam pertineant : appellant nempe ad testimonia Christi et Apostolorum in Evangeliis et in Actibus Apostolorum contenta, ut inspirationem librorum, qui in Judæorum erant canone, probent; et ad testimonium S. Petri (2 *Ep.* III, 16), ut S. Pauli Epistolas ad Scripturam pertinere ostendant. Ergo et ipsi divinum testimonium de alicujus libri inspiratione ex ipsa S. Scriptura hauriunt.

R. Utique Catholici appellant ad hæc testimonia in Evangeliis et in S. Petri Epistola contenta; verum, ubi id faciunt, Evangelia et S. Petri Epistolam considerant non ut libros inspiratos sed ut scripta humana, vel si ea ut scripta inspirata habent, ea unice ut talia respiciunt, quia eorum inspiratio jam supponitur traditione probata. Non igitur Scripturam per Scripturam ut librum inspiratum consideratam demonstrant, sicuti Protestantes id faciunt; ac proinde non versantur sicut protestantes in circulo vitioso.

VII. Scholion. Cum Protestantes contendant revelationem *omnem* divinis litteris contineri nullamque ejus particulam traditionis ope fuisse transmissam, atque ex data demonstratione liqueat nullum librum inspiratum ut inspiratum sine traditione cognosci posse, manifeste apparet Protestantes medium non habere, quo cognoscere possint, quales libri sint a Deo inspirati atque proinde S. Scripturæ partes constituant.

§ III.

Q. Si applicetur verum librorum sacrorum criterium, quis invenitur esse verus librorum S. Scripturæ canon seu catalogus?

R. *Verus librorum S. Scripturæ canon constat iis omnibus veteris et novi Testamenti libris, qui a Tridentina Synodo ut sacri recensiti sunt et in veteri latina editione habentur. Hic enim canon ab Ecclesia authenticus solemniter declaratus est, atque etiam collatis antiquæ traditionis documentis, ita eis consonus apparet, ut necessario censeri debeat fidelis esse expressio testimonii divini, quod ab Apostolorum tempore de ætate in ætatem traditione fuit conservatum.*

—

I. Explicatio. In responso habentur hæc tria : *a)* verum S. Scripturæ canonem constare iis omnibus et solis libris, qui in veteri vulgata versione habentur et a Tridentino Concilio recensiti sunt : recensuit nempe hoc Concilium omnes libros, qui in veteri vulgata continentur; *b)* hunc canonem esse verum, quia ab Ecclesia ut authenticus est declaratus; et *c)* eum etiam verum esse, quia testimonio divino traditione nobis conservato manifeste innititur. — Supra vidimus verum medium libros inspiratos a non inspiratis distinguendi esse divinum testimonium traditione conservatum, quod fit medium facile, tutum et omnibus aptum, ubi ab Ecclesia infallibiliter proponitur.

II. Demonstratur hunc canonem ab Ecclesia esse propositum. Concilium Tridentinum *Sess.* VI, *Decret. de canonicis Scripturis* hæc habet : « Sacrorum librorum indicem huic » decreto abscribendum censuit : ne cui dubitatio suboriri possit, » quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. » (Sequuntur dein nomina canonicorum librorum). « Si quis autem libros » ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia » Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata Latina

» editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit; » anathema sit. » — Pariter in Concilio Vaticano legitur : « Veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis » partibus, prout in ejusdem concilii (Tridentini) decreto recen- » sentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro » sacris et canonicis suscipiendi sunt. »

III. Demonstratur hunc canonem traditioni Ecclesiæ esse consonum. *a)* Inprimis certe consonus est cum doctrina totius Ecclesiæ occidentalis. Etenim canon Tridentinus idem est, quem Eugenius IV sæc. XV concilio Florentino exhibuit pro Jacobitis; — idem quem sæculo duodecimo proposuit Nicolaus I *Ep.* 75 Episcopis Galliæ; — idem quem sæculo octavo Leo III dedit in decreto edito a Blanchinio; — idem quem sæculo septimo Isidorus Hispalensis in pluribus suorum operum locis exhibet; — idem cum eo quem recenset Concilium Romanum anno 496 sub Gelasio papa celebratum; idem quem Innocentius I initio sæculi quinti ad Exuperium episcopum Tolosanum misit, doctrinam hanc ex traditione se hausisse inquiens; — idem quem S. Augustinus *De doctr. Christ.* L. 2. c. 8 describit, et concilium Carthaginense a. 419, cui 218 Episcopi et legati S. Pontificis interfuerunt, proponit cum hac conclusione : « Hoc etiam fratri » nostro et consacerdoti nostro Bonifacio urbis Romæ episcopo » vel aliis earum partium Episcopis pro confirmando isto canone » innotescat, quia a Patribus ita accepimus in Ecclesia legen- » dum; » — idem tandem est cum illo, qui prostat in concilio Carthaginensi III, a. 397 et in Hipponensi totius Africæ a. 393.

Canon igitur Tridentinus idem est cum canone, quem sæculo IV venerabantur Ecclesiæ Romana et Africana, ac proinde universa Ecclesia occidentalis. Cum vero Ecclesia Africana eum simul ac fidem ab Ecclesia Romana sæculo primo labente, vel sæculo secundo ineunte acceperit, eodem primo aut secundo sæculo canonem hunc in Ecclesia Romana viguisse manifestum est. Unde liquet canonem Tridentinum ab initio in

Ecclesia occidentali exstitisse, ac proinde nihil aliud esse ac traditionis hujus Ecclesiæ declarationem.

b) Consonus etiam est cum Ecclesiæ orientalis traditione. Etenim in concilio Trullano anno 692 habito, cui quatuor Patriarchæ et plusquam ducenti Episcopi Orientis adfuerunt, recepti sunt canones conciliorum Carthaginensium, inter quos et ille continetur, qui nostrum Scripturæ catalogum exhibet.

Quod autem Ecclesia græca jam antea eosdem libros sacros admiserit, constat ex eo quod Ecclesiæ orientales inde a sæculo quinto ab Ecclesia catholica scissæ, quales sunt Nestorianorum, Eutychianorum vel Monothelitarum sectæ, eumdem constanter canonem retinuerunt, sicuti patet ex illa responsione quam Synodus Hierosolymitana, anno 1672 sub Dositheo patriarcha celebrata, protestantibus dedit, qui Græcos schismaticos et hæreticos ad partes suas trahere tentaverant. Ita enim loquitur hæc Synodus : « Ecclesiæ catholicæ regulam sequentes, » S. Scripturam eos omnes appellamus libros, quos a Laodicena » Synodo Cyrillus (Lucaris) ipso quidem corrogante probatos » recenset, iis superadditis, quos insipienter, inscite aut magis » malitiose vocavit apocryphos : *Sapientiam* videlicet Salomo- » nis, librum *Judith*, *Tobiam*, *historiam draconis*, *Susannæ*, » *Machabæos* et *Sapientiam Sirach*. Hos etenim cum ceteris » genuinis S. Scripturæ libris ceu germanas ejusdem Scripturæ » partes censemus esse numerandos. Quoniam quæ sancta Evan- » gelia aliosque Scripturæ libros ut genuinos tradidit antiqua » consuetudo seu magis Ecclesia catholica et istos hæc ipsa ceu » S. Scripturæ partes procul dubio tradidit... quos omnes et nos » judicamus esse canonicos et sacram esse Scripturam confi- » temur. »

c) Consonus quoque est citationibus, quas in Patrum operibus invenimus. Etenim omnes libri, qui in Tridentino habentur catalogo, a Patribus citantur sub formulis : *Scriptum est*, *Scriptura*, *Scriptura Sacra*, *Scriptura divina*, *Spiritus S. in*

Scriptura dicit, quibus clare constat eos a Patribus ut partes Scripturæ esse habitos; et quidem hæ citationes occurrunt in contextibus ubi agitur de instituendis fidelibus in doctrina Christi sive theoretica sive practica. Collectis stupenda sedulitate ejusmodi citationibus, id clare demonstrarunt Jos. Blanchinius in *Vindiciis Canon. Script.* et Vincenzi *Sess.* 4 *Trid. Vindicata*. Jamvero talis usus horum librorum *publicus*, *perpetuus* et *universalis*, qui verus esset abusus in re maximi momenti, nisi traditione niteretur apostolica, ex apostolica traditione originem traxisse manifestum est. — Fatemur quidem etiam hinc inde a quibusdam Patribus citari libros ut S. Scripturam, quos Ecclesia pro inspiratis non agnoscit, ut Hermæ pastorem, librum tertium Esdræ, Barnabæ Epistolam etc.; sed ejusmodi citationum usus nec adeo frequens, nec adeo universalis fuit, ac gradatim evanuit.

d) Consonus tandem etiam est antiquissimis versionibus et codicibus. Versionis enim antiquissimæ continent omnes libros, qui in Tridentino canone habentur : ita eos exhibent versio Alexandrina LXX interpretum (quod factum est magni momenti, cum Christus et Apostoli persæpe usi sint versione Alexandrina : nam ex 350 citationibus quæ in N. T. habentur, trecentæ expressæ sunt ad versionem Alexandrinam); item versiones, quæ immediate ex græca derivatæ sunt, versio latina *itala*, quæ jam medio sæculo secundo exstitisse merito affirmatur, *coptica*, *æthiopica*, *syriaca* hexaplaris, *armeniaca*, *slavonica*; versio syriaca, quæ vocatur *pechita* seu simplex, quia ex hebraico fonte est facta, ab initio libros deuterocanonicos (de quibus infra) non continebat, sed hi postea adjecti sunt.

Vetustissimi codices pariter Tridentinum canonem exhibent : ita eum proponunt codex *Alexandrinus*, *Vaticanus* (in quo tamen præ vetustate initio periit tota fere Genesis et in fine desunt libri Machabæorum), *sinaiticus Tischendorfii*, ille cujus jam meminit Cassiodorus (*Instit. div.* c. 12) et *Amiatinus*.

IV. Scholion. Ut hæc quæstio de Scripturæ canone plene cognoscatur, quædam sunt addenda de famosa illa distinctione inter libros *protocanonicos* et *deuterocanonicos* : quæ nomina a tempore Sixti Senensis in usum venerunt et communiter sunt usurpata. Protocanonici sunt illi, de quorum auctoritate nunquam disputatum fuit; deuterocanonici autem illi, de quorum auctoritate aliquando apud aliquos in Ecclesia dubium exstitit. « Libri canonici primi ordinis, ait *Sixtus Senensis* » (m. 1569) in *Bibl. sanct.*, quos protocanonicos appellare libet, » sunt indubitatæ fidei libri, h. e. de quorum auctoritate nulla » unquam fuit in Ecclesia disputatio. Canonici secundi ordinis, » qui olim *Ecclesiastici* vocabantur et nunc a nobis deutero- » canonici dicuntur, illi sunt, de quibus.... inter catholicos » aliquando fuit sententia anceps. » Protocanonici antea apud Græcos jam vocati fuerant ομολογουμενοι, h. e. ab omnibus admissi; deuterocanonici vero αντιλεγομενοι, h. e. controversi.

Libri deuterocanonici Veteris Testamenti sunt : Baruch, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus et duo libri Machabæorum. Quædam quoque librorum V. T. partes deuterocanonicæ habentur : canticum seu hymnus trium puerorum *(Dan.* III, 24-90); historia Susannæ *(Dan.* XIII); destructio Bel et draconis *(Dan.* XIV); septem postrema capita Esther (X, 4-XVI, 24).

Libri deuterocanonici novi Testamenti sunt : Epistola ad Hebræos, Epistola 2ª S. Petri, Epistolæ 2ª et 3ª S. Joannis, Epistola S. Jacobi, Epistola S. Judæ et Apocalypsis. Partes deuterocanonicæ Novi Testamenti sunt : versiculi posteriores *Marc.* XVI, a v. 9; historia sudoris sanguinei Christi Domini, *Luc.* XXII, 43, 44; historia mulieris adulteræ, *Joan.* VIII, 2-12.

An igitur hæc distinctio auctoritatem librorum sacrorum afficit? Contendit Jahn *(Introd.* in V. T. L. I, § 30) etiam post Tridentinam Synodum inter libros protocanonicos et deuterocanonicos distinctionem sub respectu auctoritatis manere; sed

pessime in hac re errat : hæc enim distinctio post Tridentinam definitionem, nulla ratione essentiam aut auctoritatem librorum afficit, atque legitime tantum usurpatur ad proponendam et declarandam canonis historiam. — Ante Tridentinam Synodum dabatur inter protocanonicos et deuterocanonicos libros distinctio auctoritatis; nam protocanonici utpote universim ab Ecclesia admissi, de fide credendi erant libri inspirati, dum vero absque hæreseos nota libri deuterocanonici, quia de ipsis quædam disputatio existebat, poterant ut inspirati non haberi. Verum, postquam Tridentina Synodus hos libros deuterocanonicos vere inspiratos esse declaravit, cessavit hæc sub respectu auctoritatis distinctio.

Errorem auctoris Jahn vel simplex Tridentini decreti lectio evertit. Nam 1° Sacrosancta Synodus « omnes libros tam veteris » quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor... » *pari pietatis affectu ac reverentia* suscipit, ac veneratur; » et enumerat deinde omnes libros tum illos nempe qui *protocanonici,* tum illos, qui *deuterocanonici* dicebantur. — 2° Imo eosdem enumerat sine ulla distinctione dignitatis, sed deuterocanonicos protocanonicis intermiscendo, secundum ordinem materiæ vel temporis; et inde subdit : « Si quis autem libros » integros cum omnibus suis partibus.... pro sacris et canonicis » non susceperit.... anathema sit. » — 3° Adversatur opinio Jahn etiam scopo in ipso decreto expresso, qui est ut « omnes » intelligant, quibus potissimum testimoniis ac præsidiis in » confirmandis dogmatibus et instaurandis moribus (S. Synodus) » sit usura. » Hunc fuisse Tridentinæ Synodi in condendo canone finem confirmat non tantum Pallavicini sed et Sarpi, qui certe catholicæ doctrinæ non favet.

Verum an controversia, quæ de libris deuterocanonicis in Ecclesia exstitit, non evertit argumentum, quod ex Traditione ad Tridentinum canonem defendendum, desumpsimus? Nullatenus hæc controversia argumentum istud evertit;

nam dubitatio, quæ exstitit, ex particularibus quibusdam adjunctis causam habuit, traditionis constantiam interrumpere vel certitudinem ejus labefactare non potuit, et mox penitus cessavit. Etenim *a)* primam controversiæ originem præbuisse videtur Origenis recensio et comparatio Scripturæ, uti erat in ecclesiastica editione cum textu hebraico. Cum enim in hoc deessent libri deuterocanonici, dubitare nonnulli circa horum canonicitatem inceperunt; et revera dubia de quorumdam librorum V. T. canonicitate coæva sunt cum editione *recensionis origenianæ*, quæ mox facta est admodum celebris. — Præterea, quod quidam dubitaverint sæculo tertio et quarto, de nonnullis libris deuterocanonicis N. T., mirum non est, tum quia nonnulli ex ipsis admodum sunt breves et ad personas particulares directi, ac proinde non adeo frequenter citari poterant, et hinc etiam minus facile in omnium notitiam perferebantur, tum quia hæretici nonnullis abutebantur. — *b)* Hisce autem dubiis non obstantibus, horum librorum usus in Ecclesia perseveravit, et ipsa dubia tempore procedente paulatim dissipata sunt, maxime in occidente, universalique locum dederunt consensioni. Si vero aliqui scriptores media adhuc ætate, ante solemnem Tridentinæ Synodi definitionem, libros illos extra canonem numerare videantur, ii vel solo loquendi modo a communi dissentire doctrina dicendi sunt, vel certis quibusdam vetustioris alicujus doctoris sententiis plus æquo permoti fuere, vel singulares in sua sententia fuisse censendi sunt. Nonnullos ex ipsis singularem, de Scripturæ canone tenuisse sententiam extra dubium est; nam quidam auctores de aliquibus libris protocanonicis hæsitanter locuti sunt, quin ulla controversia in scholis aut pugna contra Tridentini canonem inde sit nata.

Objiciunt adversarii, quod plures patres sacrorum librorum canonem recensentes, libros deuterocanonicos, saltem V. T. omittant; unde concludunt talem in Ecclesia exstitisse de hisce libris controversiam, ut traditio vere

fuerit interrupta et deperdita. — Atvero facile confutatur hæc objectio. Etenim : 1° ex his Patribus seponi debent plures, quibus maniteste solum constitutum erat, libros canone Judæorum comprehensos recensere. 2° Nomine *canonis* et librorum *canonicorum* intellexerunt Patres persæpe indicem librorum eorum et eos libros, qui tunc apud omnes et ubique in confesso (ομολογουμενοι) erant, et de quibus nulla mota erat controversia : nolunt tamen ideo libros deuterocanonicos, de quibus nonnulli dubitabant et qui idcirco αντιλεγομενοι dicebantur, definitiva sententia a librorum sacrorum excludere canone. Id vel inde patet, quod hi ipsi Patres, hisce libris passim qua sacris Litteris utantur in suis operibus. 3° Usque ad sæculum tertium nullum apparet dubium vel controversiæ vestigium de libris deuterocanonicis veteris testamenti : imo satis liquet tum ex Origene *Ep. ad Julium Africanum,* tum ex Justini *dialogo cum Tryphone* n. 71, Christianos jam tunc a Judæis, qui libros tantum admittebant protocanonicos, diversum habuisse canonem. — Unde liquet inter canonem Tridentinum completum et illos canones incompletos non haberi oppositionem contradictionis sed tantum *diversitatis*, sicut inter rem perfectam et rem perficiendam, ut jam Cassiodorus *Div. Litt. Instit.* c. 14 advertit : « Patres non contraria dixerunt, sed diversa, ut non » impugnare sed invicem se potius exponere videantur. »

Objicitur tandem textus S. Hieronymi, ex quo certo constare videtur traditionem de libris deuterocanonicis fuisse interruptam. « Quod si, ait S. Hieronymus *Ep.* 129 *ad* » *Dardanum,* epistolam ad Hebræos *latinorum consuetudo* » inter canonicas Scripturas non recipit, nec *græcorum* quidem » *Ecclesiæ* Apocalypsim Joannis eadem libertate suscipiunt, et » tamen nos utrumque suscipimus, non hujus temporis consuetu- » dinem sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes. » In hisce verbis, aiunt adversarii, fit sermo de Latinorum et Græcorum *consuetudine,* h. e. de traditione : ergo ex eis constat

traditionem fuisse vere interruptam. — Ad hanc difficultatem solvendam sequentia tantum notentur opertet : *a)* quoad Epistolam ad Hebræos, hanc Latinorum consuetudinem fuisse certe *paucorum* et *novam,* cum 1° S. Doctor ibidem testetur hanc epistolam *quotidie Ecclesiæ lectione celebrari,* seque *veterum scriptorum sequi auctoritatem;* cum 2° hæc potius *permittendo* et *transmittendo* asserat, quam ut certum asseveret; cum 3° ejusmodi scriptores saltem latini non reperiantur, imo hæc Epistola ante Hieronymum et ejus ætate, vel citetur ut Scriptura Sacra, vel inter Scripturas Sacras recenseatur a conciliis hoc tempore habitis et a multis Patribus et scriptoribus hujus ætatis. Quod si tamen nonnulli reperiantur, qui de hac Epistola dubitaverint, horum plerique non tam de ejus auctoritate quam de ejus *scriptore,* utrum is fuerit Paulus, an aliquis alius, quæstionem movisse videntur. *b)* Restringi certe debet, quod S. Hieronymus de ecclesiarum græcarum consuetudine relate ad Apocalypsim affirmare videtur. Etsi enim aliquot Patres post Eusebium, Apocalypsim recensuerint inter αντιλεγομενους et ex rationibus polemicis ab ejus usu abstinuerint, Patres tamen vetustissimi unanimi consensu a tempore quo conscripta fuit usque ad sæculum tertium labens, illam numerant inter Scripturas Sacras; nullum dubium de ipsa motum est usque ad Origenis tempora, imo nonnulli ut Melito et Hippolytus commentariis illam illustrarunt, et Origenes apud Eusebium eam recenset inter Scripturas ομολογουμενας. Oborto vero dubio in Oriente, non solum non prævaluit sententia opposita, sed Patres gravissimi ex diversis Ecclesiis permanserunt in consensione cum antecessoribus suis. (Cfr. Hurter. n. 182 et 183.)

§ IV.

Q. Qualis est auctoritas versionis vulgatæ latinæ, qua Ecclesia occidentalis utitur?

R. *Tridentina Synodus declaravit versionem* vulgatam *esse*

authenticam. *Eam tamen authenticam non declaravit præ textibus originalibus vel versionibus antiquis, sed præ versionibus, quæ tunc circumferebantur; nec eam declaravit authenticam in supremo gradu, sed ita tantum, ut negative nullus error perniciosus inde sequatur, ut vero positive sit quoad substantiam conformis Scripturæ originali, in iis quæ de se ad fidem et ad mores aut ad summam historiæ spectant. — Hæc autem authentiæ declaratio testimonio traditionis, sine qua Scriptura neque cognosci neque conservari potest, plene comprobatur.*

—

I. Prænotandum. Quæ hucusque de Scripturæ canone statuimus, valent immediate de codicibus originalibus seu primitivis, at hi minime ad nos pervenerunt. Nos enim utimur codicibus inde descriptis, et ordinarie his non utimur in textu originali sed in eorum versionibus. Jamvero in Ecclesia catholica habetur latina versio, *vulgata* dicta, quæ speciali fruitur auctoritate et apud omnes est in usu : quapropter de ejus auctoritate peculiari modo debemus inquirere. — Nomine versionis *vulgatæ* intelligimus illam versionem, quæ *maxima ex parte* secundum textus originales a S. Hieronymo est facta : complectitur quidem etiam quosdam libros, qui ad primitivam versionem, *Italam* dictam, pertinent; sed et hos, si paucos excipias (inter quos est liber psalmorum) emendavit S. Hieronymus. Quæ versio, quia gradatim ubique adhibita fuit, nomen *vulgatæ* obtinuit.

II. Explicatio responsi. In responso sequentia doctrinæ puncta sunt distinguenda : *a)* versionem vulgatam a Tridentino Concilio declaratam esse authenticam, h. e. conformem originali textui; nam versionis authentia consistit in ejus corformitate seu *identitate* cum originali textu.

b) Eam non esse authenticam declaratam præ textibus originalibus et versionibus antiquis, sed tantum præ versionibus

latinis, quæ eo tempore circumferebantur; ac proinde textibus originalibus sive hebraicis sive græcis, aut versioni græcæ LXX aut aliis antiquis versionibus nihil autoritatis per Tridentinum decretum esse detractum.

c) Eam non esse declaratam authenticam seu originali textui conformem *in summo gradu*, ita ut omni mendo careat et in nulla re a primitivo textu discrepet; ac proinde post Tridentinam declarationem menda quædam posse in vulgata admitti.

d) Quousque vulgatæ authentia sese extendat, h. e. in quibus punctis juxta Tridentini declarationem hæc versio debeat a mendis immunis censeri, et in quibus possint in ea menda admitti. Dicitur nempe, quamvis menda in ea admitti possint, nullum tamen in ea posse haberi mendum quod perniciosum gignat errorem, atque insuper eam debere in rebus, quæ de se ad christianæ doctrinæ ædificationem aut ad summam historiæ pertinent, quoad substantiam primitivo textui esse conformem. — Distinguere debemus in Scripturis duplicem veritatum ordinem; aliæ, quæ vocantur *primariæ*, sunt revelatæ ac scriptæ *propter se;* aliæ vero, quæ dicuntur *secundariæ*, non propter se, sed *in ordine ad primarias* sunt revelatæ, puta propter earum nexum historicum, logicum etc. Ad primum revocantur quæ revelata ac scripta sunt de Deo, de fine nostro, de mediis ad illum, de regulis morum, et ipsa substantia historiæ; et hæc dicuntur res fidei et morum atque summa historiæ, seu res ad doctrinæ christianæ ædificationem aut ad summam historiæ pertinentes. Ad alterum ordinem revocari possunt adjuncta quædam historica, geographica etc. quæ nonnisi in ordine ad veritates primæ classis referuntur. — Quibus attentis generaliorem formam, sub qua authentiæ gradum hic proponimus, sequenti ratione possumus distincte explicare : 1° requiritur *negative*, ut vulgata nihil proponat tamquam fidei punctum, quod cum revelatione divina pugnat, neque aliquod dogma proponat, quod neque in respondente textus primitivi loco

habeatur, neque alibi a Deo fuerit revelatum; nam si unum ex his fieret daretur in vulgata error vere perniciosus, cum falsa quædam sententia aut saltem res non revelata, ut fidei dogma proponeretur. 2° Requiritur *positive*, ut tota versio quoad rei summam, etiam in rebus secundariis, cum primitivo textu concordet: atque ut veritates primariæ in respondente primitivi textus loco, saltem quotiescumque hæ veritates ex professo sunt propositæ, habeantur, et saltem quoad rei substantiam cum primitivi textus loco consonent; nam si unum ex hisce requisitis deesset, versio in rebus fidei et morum atque in summa historiæ cum primitivo textu conformis amplius non esset. 3° Menda, quæ in vulgata possunt admitti, sunt sequentia : versio alicujus primariæ veritatis potest a primitivo textu aliquatenus recedere sub ratione claritatis et roboris verborum; possunt quædam additiones vel omissiones minoris momenti occurere; et in rebus, quæ ad fidem, mores aut historiæ summam non spectant, haberi quædam contradictiones.

e) Tandem declaratur, hanc vulgatæ authentiam, testimonio traditionis, sine qua Scriptura neque cognosci neque conservari potest, plene demonstrari.

III. Gradus certitudinis authentiæ vulgatæ. Authentia vulgatæ certe *ad fidem* pertinet. « Sacrosancta Synodus consi- » derans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex » omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum » librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat; » statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ » longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publi- » cis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, et expositioni- » bus pro authentica habeatur; et ut nemo illam rejicere quovis » prætextu audeat vel præsumat. » *(Trid. Conc. Sess.* IV.*)*

IV. Demonstratur per Tridentinum decretum vulgatam tantum comparate ad versiones, quæ tunc circumferebantur, declaratam esse authenticam; atque ideo nihil aucto-

ritatis inde detractum esse textui primitivo, versioni græcæ LXX et aliis antiquis versionibus.

Hæc veritas aperte continetur in Tridentini decreti verbis, mox citatis, in quibus expresse dicitur vulgatam tantum præ versionibus latinis, quæ tunc circumferebantur, authenticam declarari.

Si autem tantum comparate ad has versiones authentica est declarata, liquet nihil auctoritatis inde detractum esse textui primitivo hebraico et græco, versioni græce LXX et aliis antiquis versionibus. — Quod ad textum hebraicum et græcum et ad versionem LXX attinet, dicendum est ea, quamvis expresse sicut vulgata authentica declarata non sint, tamen ut authentica esse habenda. Etenim ipsa vulgatæ authentia supponit authentiam ipsorum; et textu græco Novi Testamenti Ecclesia per plura sæcula publice est usa. Advertendum nihilominus est, jam a multis sæculis textum græcum, versionem LXX et etiam multo minus textum hebraicum, non eadem vigilantia neque eodem publico usu fruita esse ac vulgata; atque inde eorum authentiam necessario auctoritati vulgatæ inferiorem esse. Inferiores etiam sunt vulgatæ, ex eo quod ipsorum authentia non fuit sicut vulgatæ auctoritas publice declarata.

V. Demonstratur vulgatam non in summo gradu primitivo textui conformem esse. Ex ipso Concilio Tridentino, quod vulgatam authenticam declaravit, edoceri debemus, quo in gradu ipsa authentica sit. Jamvero juxta hujus concilii declarationem ipsa nulla ratione videtur absolute seu in summo gradu authentica. Ergo. — Etenim *a)* id liquet e ratione, quam concilium ad vulgatæ authentiam stabiliendam allegavit. Hæc ratio est, quod vulgata *longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est*, seu quod Ecclesia per tot sæcula ipsa utendo eam authenticam probavit. Sed Ecclesia vulgata tantum usa est, ut ex ipsa, non quævis in Scriptura contenta puncta, sed tantum doctrinam fidei et morum et historiæ sacræ summam doceret. Ergo Concilium rationem allegans, quæ nullatenus ad

absolutam vulgatæ authentiam demonstrandam valet, nequit censeri vulgatam absolute authenticam voluisse declarare. — *b)* Idem patet ex scopo decreti, qui fuit, ut nobis constaret de valore testimoniorum et præsidiorum quibus concilium *in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus esset usurum.* Jamvero ad hunc finem nullatenus pertinent minutiora quædam, cujusmodi sunt certa quædam nomina personarum, regionum, plantarum, numeri annorum, personarum aliaque. Ergo. — *c)* Idem constat ex adjunctis declarationis. Sane concilium eam editionem vulgatæ declaravit authenticam, qua Ecclesia tunc utebatur. Jamvero hanc editionem emendatione indigere agnovit, atque eam emendandi negotium Romano Pontifici commendavit. — Nec dicatur concilii decretum referri ad vulgatam S. Pontificis cura emendatam, nam concilium prævidere non potuit, qualis futura esset hæc emendatio. — *d)* Id quoque testantur plures gravissimi theologi epochæ Tridentini concilii. — *e)* Denique id constat publico Ecclesiæ testimonio. Notum enim est Sixtum V et Clementem VIII manum admovisse ad emendationem vulgatæ, et simul publice per Ecclesiam agnitum esse, eam nondum omni mendo esse purgatam. Auctor enim Præfationis Bibliorum jussu Clementis VIII editorum monet : « Quamvis in hac Bibliorum recognitione in » codicibus manuscriptis, hebræis, græcisque fontibus, et ipsis » veterum Patrum commentariis conferendis non mediocre » studium adhibitum fuerit; in hac tamen pervulgata lectione, » sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda » videbantur, consulto immutata relicta sunt. » Aliqua autem mutationes consulto omissæ sunt, vel ne populus inde offenderetur, vel quia Tridentinum noluit ut fieret nova versio, sed tantum ut vulgata pristinæ suæ puritati restitueretur. — Objicitur quidem decretum S. C. Concilii, juxta quod vulgata habenda esset ut versio ab omni mendo pura; sed hoc decretum est spurium.

VI. Demonstratur vulgatam in gradu supra indicato certe authenticam esse. Illum authentiæ gradum vulgatæ inesse, manifeste liquet ex eo quod, ipso deficiente, vulgata jam nulla ratione authentica in omnibus suis partibus dici posset, quod tamen juxta Tridentinum est admittendum. Versio enim libri est authentica vel quoad substantiam tantum (h. e. quoad ea quæ ad scopum libri spectant), vel etiam quoad accidentalia. Jamvero vulgata certe authentica non est quoad omnia accidentalia; ergo saltem authentica debet esse in iis omnibus, quæ ad ejus substantiam spectant. Ergo. — Præterea nullius utilitatis esset declaratio authentiæ vulgatæ, si ei tuto fidere non possemus in illis, quæ ad substantiam doctrinæ fidei et morum atque summam historiæ spectant.

VII. Demonstratur hanc authentiæ vulgatæ declarationem traditioni inniti. Id duplici modo demonstratur, tum ostendendo vulgatam longo, constanti et universali Ecclesiæ latinæ usu esse approbatam, tum ex vulgatæ historia ejus authentiam deducendo.

a) Longus, constans et universalis vulgatæ in Ecclesia usus certe est traditionis testimonium de vulgatæ authentia, cum iste usus necessario supponat vulgatam in Ecclesia ut authenticam fuisse habitam. — Quod autem, uti Concilium Tridentinum dicit, longo sæculorum usu est probata facile ostenditur : plurimi antiqui scriptores hunc generalem usum *expresse* testantur; et *praxi* id ostenderunt V. Beda, Alcuinus, Fortunatus, Rabanus, S. Petrus Damianus, S. Anselmus, S. Bernardus, S. Thomas, aliique plurimi, qui hanc versionem *commentati* sunt. Insuper per novem sæcula in conciliis Episcoporum sive Occidentis, sive Occidentis et Orientis simul, in decretis SS. Pontificum, in confutatione hæresum, in scriptis dogmaticis ac polemicis, in scholis usitata fuit potissimum, si non unice, versio vulgata.

b) Vulgatæ historia etiam manifeste ejus authentiam con-

firmat. Vulgata enim versio, est vel illa antiqua versio *Itala*, quæ a fine sæculi primi vel saltem a medio sæculo secundo prodiit et magnam auctoritatem ex antiquo suo usu habet, vel est versio S. Hieronymi, qui alios libros ex originali in latinum vertit, alios vero libros Italæ emendavit. Hic autem habuit inprimis exemplaria tum græca tum hebraica, emendatissima, uti colligitur ex S. Augustino *(De Doctr. Christ.* L. 2. c. 15), et ex proprio ejus testimonio *(Ep. ad Suniam et Fretel.)*. Præterea peritissimus erat ipse græcæ et hebraicæ linguæ, ingenioque pollebat præstantissimo; et de fidelitate industriaque ejus in suo labore, nemo est qui dubitet. Unde S. Augustinus *(De Civ. Dei* L. 18. c. 43) dicit : « Non defuit temporibus » nostris presbyter Hieronymus homo doctissimus et trium » linguarum peritissimus, qui ex hebræo in latinum divinas » Scripturas convertit, cujus tantum litterarum laborem » *Hebræi fatentur esse veracem.* » — Quæ testimonia tam manifesta sunt, ut ipsi Protestantes summum vulgatæ valorem rei evidentia victi agnoscere debeant. Ita Michaëlis *(Biblioth. orient.* T. 21; n. 311) dicit : « Præiverat vulgata, male deinceps » ab aliis neglecta, cum sit *versionum una omnium præstan-* » *tissima...* Ipsi enim auditores mei, tam protestantes quam » pontificii facile recordantur, quantopere ego vulgatæ usum » tum criticum tum exegeticum commendem, ejusque con- » temptum vituperem. »

VIII. Objectio. Plures sunt in vulgata textus manifeste ad fidei vel morum doctrinam pertinentes, qui omnino a primitivo authentico textu discrepant, et falsum fundunt sensum. Ita *a) Gen.* III, 15 legitur in vulgata : « *ipsa* (mulier) *conteret* » *caput tuum* (serpentis), » dum in primitivo textu indubie habetur *ipse* (filius mulieris, Messias) *conteret caput tuum* : quod certe fidem afficit, cum in uno textu dicatur serpentis caput conterendum esse a muliere, in altero autem a filio ejus; — *b)* in libro *Job* XIV, 4 vulgatæ textus est : « *Quis potest*

» *mundum facere de immundo conceptum semine? Nonne* » *tu qui solus es;* » et in hebraico textu tantum habetur : « *quis* » *dabit mundum ex immundo? Non unus;* » — *c)* in relatione institutionis Eucharistiæ vulgata habet apud S. Paulum I. *Cor.* XI, 24 : « *hoc est corpus meum, quod pro vobis* » *tradetur,* dum in originali habetur : *quod pro vobis est* » (hic et nunc) *datum,* το υπερ υμων κλωμενον; et apud » *Matth.* XXVI, 28; *Marc.* XIV, 24; *Luc.* XXII, 20 : *hic est* » *sanguis meus novi Testamenti* (vel, *hic est calix novum* » *testamentum in meo sanguine) qui pro vobis effundetur* » *(fundetur),* dum in originali textu legitur : *qui pro vobis est* » *effusus* » τουτο εστιν το αιμα μου..., το υπερ υμων εκχυνομενον; — *d)* et I *Cor.* XV, 51 legitur in vulgata : *omnes quidem resurgemus sed non omnes immutabimur,* dum in græco *habetur : non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur.*

R. In iis omnibus textibus nullus habetur versionis defectus, qui ad illas non pertineat classes mendorum quæ, salva vulgatæ in rebus essentialibus authentia, admitti possunt.

Ita, quod attinet ad textum Geneseos, hic certe defectu laborat, sed ex mendo, quod in eo habetur, non fluit error perniciosus, neque vulgatæ lectio fit quoad dogmatis substantiam ab originali textu dissonans. Hujusmodi pessima corruptio adesset, si in vulgata diceretur quod mulier illa, per se ipsam, sine suo filio, sepentis caput contereret, cum in hac assertione doceretur redemptionem nostram a muliere (a Maria) esse perficiendam. Verum hoc nulla ratione asseritur; locutio enim vulgatæ : *ipsa conteret caput tuum* potest optime intelligi de muliere (de Maria) quæ serpentis caput contereret (h. e. diabolum sua in mundum potestate privaret, humanum genus a peccato liberando), non per se ipsam, sed per filium suum. Opus enim filii adscribi potest matri, quæ ejus existentiæ est causa.

Mendum in versione textus libri Job nihil negotii adfert; nam in vulgata et in primitivo textu unum idemque dogma, doctrina

nempe de peccato originali exprimitur. Hæc sola inter primitivum textum et vulgatam habetur differentia, quod vulgata clarius et explicitius illud dogma exprimit, quam primitivus textus; sed nullum habetur essentiale discrimen, nam etiam in primitivo textu certe continetur hoc dogma. Proprius sensus primitivi textus videtur est sequens : « *Quis apparet mundus ex* » *immundo? Non unus;* » h. e. quis (coram Deo seu in judicio Dei) apparebit mundus cum sit ex immunda origine? Nullus; nam verbum hebraicum *jitten*, *dabit*, sæpe occurrit in sensu : *se dare*, *se ostendere*, *apparere*, *oriri*. Hic autem sensus optime consonat cum versu antecedente, in quo Job ad Deum dicit : *etiam super hunc* (super hominem, qui tam miser est, qui, sicuti v. 1 et 2 est dictum, undique morte est circumdatus) *aperis oculos tuos, et adducis me in judicium tecum :* qua occasione docet, neminem in judicio Dei, in oculis Dei apparere justum ex se ipso, cum omnis homo sit natus in peccato.

Differentia, quæ in verbis institutionis Eucharistiæ observatur, aliqua ratione quidem claritatem verborum Christi, sed nullo modo substantiam dogmatis afficit. In græco textu clare exprimit Christus corpus et sanguinem suum, quæ Apostolis in cibum et potum præbebat, esse in statu immolationis, seu in statu victimæ. Significant nempe verba græca : hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, quæ pro vobis sunt immolata, et quæ proinde vobis non offeruntur in naturali suo existendi modo. In vulgata contra significatur : hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, quæ pro vobis ad finem mundi usque immolabuntur, sicuti nunc vobis immolata offeruntur. Quidam interpretes referunt verba vulgatæ : *quod tradetur*, *qui effundetur*, ad futuram immolationem crucis, ita ut sensus sit : corpus et sanguis meus, quæ nunc sunt immolata in figuram sacrificii crucis et quæ postea immolabuntur in ejus commemorationem. Unde liquet eamdem, quoad rei substantiam, haberi doctrinam in vulgata ac in originali textu.

In textu I *Cor.* XV textus vulgatæ videtur plane contrarius

textui originali; verum hæc pugna est tantum verbalis, non autem realis. Nam in vulgata affirmatur *universalitas* resurrectionis *in genere*, et negatur *universalitas resurrectionis gloriosæ* seu immutationis in statum gloriosum. In textu autem originali negatur universalitas non *mortis* sed *status habitualis mortis*, et affirmatur universalitas resurrectionis seu immutationis in statum immortalitatis : quæ quidem *diversa* quadamtenus sunt, sed non *contraria* (1).

Scholia

I. Si quæratur an verba hominum vel angelorum, in SS. Litteris relata, sint ut inspirata habenda, sequenti ratione res est solvenda.

a) Certe inspiratum est, quod hæc verba revera ab illis personis, quibus attribuuntur, sunt dicta, seu ut una voce rem exprimamus, certe inspirata est eorum *veritas historica*. Nam id omne, quod a scriptore sacro asseritur, debet haberi ut inspiratum : sed a scriptore sacro asseritur hæc aut illa verba a tali persona esse dicta; ergo.

b) Ex hoc solo, quod verba ab aliis prolata in S. Scriptura referuntur, nulla ratione concludi potest, ea esse divina effata; nam id solum, quod ab auctore sacro dicitur, debet ut inspiratum haberi.

c) Utrum hæc verba ab aliis dicta et in Scriptura relata, vere sint inspirata, an vero non, aliunde debet constare. — Certe ut inspirata haberi debent, quotiescumque in alio Scripturæ loco expresse vel saltem implicite talia esse declarantur, vel a Christo aut a scriptoribus sacris afferuntur ut verba a Deo inspirata. Talia sunt verba Elisabeth *(Luc.* I, 42), canticum Zachariæ

(1) Disputationes de aliis quibusdam textibus, v. apud S. Scripturæ interpretes.

(*Luc.* I, 67), canticum Simeonis (*Luc.* II, 25), etc. — Pariter ut inspirata etiam habenda sunt cantica Sanctorum, in quibus talia continentur quæ, attentis circumstantiis vel spectata rei materia, ex divina inspiratione profecta censeri debent. Hujusmodi certe est canticum B. V. Mariæ; nam tum rerum adjuncta, tum materia quæ in eo proponitur, clare demonstrant hoc canticum non humanum esse opus, sed ex Dei inspiratione provenire. — Quævis autem verba impiorum (nisi in alio Scripturæ loco ut inspirata proponantur) atque omnes hominum sermones, qui sententias veritati certe contrarias continent, aut alibi a Deo reprehenduntur, aut ex circumstantiis mere humani apparent, ut inspirata nullatenus sunt habenda, quemadmodum per se liquet.

II. Observandum est, aliquot libros, qui certe ad Scripturam pertinuisse videntur, periisse; tales sunt *Liber Samuelis videntis seu Prophetæ*, *Liber Nathan Prophetæ*, *Liber Gad Videntis*, *Liber Addo Videntis*, *Liber sermonum dierum regum Judæ*, *tria millia Salomonis parabolarum*, *et carmina quinque millia* etc. (Cfr. I *Paral.* XXIX, 29 — II *Paral.* IX, 29 — III *Reg.* XIV, 29 et IV, 32).

III. Ad quæstionem, an liber apocryphus possit fieri canonicus seu inter libros Scripturæ postea annumerari, dicendum est : liber qui in Ecclesia positive (ex universali Ecclesiæ sensu aut ex manifesta ejus declaratione) habitus est ut apocryphus, nunquam fieri potest liber canonicus; nam Ecclesia errare non potest ac proinde nunquam potest librum, quem antea habuit ut non inspiratum, postea ut inspiratum habere. Verum liber negative tantum apocryphus, h. e. qui neque ex universali Ecclesiæ sensu, neque ob expressam ejus declarationem sed tantum ob aliquorum dubitationem et ob Ecclesiæ silentium non manifeste et universaliter inter libros certe inspiratos annumerabatur, potest per Ecclesiæ definitionem aut per unanimem ejus consensum fieri canonicus; cum res fidei, de qua

aliquando dubium in Ecclesia exstitit, possit per Ecclesiæ definitionem aut per unanimem ejus consensum fieri dogma fidei.

IV. In libris, qui nunc ut positive apocryphi in Ecclesia habentur, alii sunt a bonis auctoribus scripti, utilitatemque legentibus afferre possunt; alii autem scripti sunt a viris impiis, hæreticis aut schismaticis, erroribusque et mendaciis scatent. Ad priorem classem pertinent *Liber* III et IV *Machabæorum Oratio regis Manassis, Liber* III et IV *Esdræ, Psalmus* 151[us], *Prologus ad librum Ecclesiastici, Præfatiuncula ad lamentationes Jeremiæ et Appendices græci ad librum Job.* Ad alteram classem spectant *Psalmi Adami et Evæ; Ascensio et assumptio Moysis, Evangelium Matthiæ, Petri, Barnabæ, duodecim Apostolorum* etc.; *Revelatio Petri, Pauli, Thomæ, Stephani, Acta Andreæ, Thomæ* etc.

CAPUT QUARTUM

De S. Scripturæ interpretatione

I. Declaratur materia tractanda. Postquam de S. Scripturæ existentia, essentia et canone egimus, dicendum nunc est de ejus interpretatione seu de quærendo ejus sensu. Prius loquemur de S. Scripturæ sensibus, seu de modis quibus res in ea exprimantur; dein tractabimus de regulis in ejus interpretatione sequendis; et tandem cum plura hac de re falsa systemata exorta sint, hæc falsa systemata exponemus. In antecessum definiemus varios sensus, de quibus, ubi de S. Scripturæ interpretatione agitur, fit sermo.

II. Quales distinguuntur sensus, ubi de S. Scripturæ interpretatione agitur?

R. Distinguuntur sequentes : *a)* sensus *litteralis*, qui subdividitur in *proprium* et *improprium* seu *metaphoricum* ; — *b)* sensus *typicus*, etiam *mysticus* et *spiritualis* dictus, qui subdividitur in *allegoricum* seu *propheticum*, *anagogicum* et *tropologicum* seu *moralem* ; — *c)* sensus *accommodatitius*.

a) Sensus litteralis est illa significatio, quam verba sive proprie sive improprie (h. e. metaphorice) sumpta, ex Spiritus S^ti^ intentione immediate desumunt. — Vocatur nempe sensus *litteralis*, quia ipse nihil aliud est ac significatio, quæ fluit ex *litteris* seu ex verbis S. Scripturæ.

Dividitur ille sensus litteralis in *proprium* et *improprium* seu *metaphoricum*, uti ex ipsa data definitione fluit.

Sensus litteralis *proprius* est ille, quem verba in propria et naturali sua significatione accepta, immediate præ se ferunt ; talis sensus habetur in verbis : *dixit Jesus discipulis suis : Dominum Deum tuum adorabis ; non occides*, nam hæc certe in naturali suo sensu accipienda sunt, et nulla metaphora in eis est quærenda.

Sensus litteralis *improprius* seu *metaphoricus* est ille, qui per verba improprie seu metaphorice accepta immediate significatur. Talis sensus habetur in *Matth.* V. 29, 30 : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te.... Et si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam et projice abs te* ; quæ verba non proprie sunt accipienda, ita ut significent, corporis membra, ubi nobis occasionem proximam peccandi præbent, esse auferenda, sed improprie seu metaphorice intelligi debent, ita ut exprimant hæc membra esse regenda atque ab opere suo esse continenda, etiam cum summo dolore detrimentoque, ubi nobis proximam peccandi occasionem præbent. Idem est, dum Deo tribuitur brachium ; nam per illud non intelligitur membrum aliquod corporale, sed metaphorice virtus et potentia divina. Item quando Christus dicitur *agnus* seu *vitis* etc., sumi hæc debent metaphorice. — Observetur in locutione metaphorica

sensum litteralem eum esse, quem verba metaphorice sumpta indicant, propter aliquam similitudinem, quam loquens reperit inter illud quod a voce naturaliter designatur et illud, quod ex intentione scriptoris exprimendum est. Hinc dicit S. Thomas *(Lect.* VII in *Cap.* IV *ad Gal.)* : « Per litteralem sensum potest » aliquid significari dupliciter, scilicet secundum proprietatem » locutionis, sicut cum dico : *homo ridet,* vel secundum simili- » tudinem vel metaphoram, sicut cum dico : *pratum ridet;* et » utroque modo utimur in S. Scriptura, sicut cum dicimus, » quantum ad primum, quod *Jesus ascendit* : et cum dicimus » quod *sedet a dextris Dei,* quantum ad secundum; et ideo sub » litterali sensu includitur *parabolicus* seu *metaphoricus.*

Notetur oportet, quod si metaphoræ per integram sententiam continuentur, oritur *allegoria,* ut in his Matthæi V, 13 : *Vos* » *estis sal terræ; quod si sal evanuerit* etc. Si autem allegoria tamquam factum historicum narretur, habetur illud similitudinis genus, quod *parabola* in Evangelio vocatur, quales sunt parabolæ de filio prodigo, de samaritano, de homine seminante semen etc. Parabola igitur nihil aliud est, quam continuata, permanens ac longa metaphora.

b) Sensus typicus est ille qui, præter sensum litteralem, per res verbis significatas exprimitur. — In hoc igitur differt sensus typicus a sensu litterali, quod hic directe fluit ex verbis, dum ille immediate ex rebus, quæ sunt figuræ vel symbola alterius rei. — Sicuti v. g. superior in hoc mundo pœnam potest infligere in exemplum aliorum, ut hac pœna clare et sensibili modo declaret, quales pœnas in posterum sit inflicturus; eadem ratione potuit Deus eventus ordinare ut per eos sensibili modo aliquid doceret; et illi eventus hoc modo a Deo ad aliquid docendum præordinati atque in Scriptura narrati, producunt sensum typicum. — Iste sensus vocatur *typicus*, quia non fluit ex sensu litterarum seu verborum, sicut sensus litteralis, sed ex rebus per verba expressis, quæ sunt τυποι, σχηματα, *imagines*, *figuræ*, eorum quæ

Deus vult docere. Vocatur etiam iste sensus *mysticus* h. e μυστικος, *occultus*, quia non immediate fluit ex verbis, sed sub re verbis expressa occultatus jacet; atque etiam dicitur *spiritualis*, quia latet sub litteris sicut spiritus noster sub corpore. — In exemplum sensus typici citari potest textus *Exod.* XII, 46 : *Os non comminuetis ex eo*, quæ verba litteraliter legem exprimunt, quam Deus dedit de esu agni paschalis, sed typice, uti patet ex *Joan.* XIX, 36, significant ossa Christi in ejus crucifixione et morte non esse confringenda. Pariter circumcisionis lex in litterali suo sensu proponebat præceptum, modum et tempus circumcisionem faciendi; sed typice significabat originale peccatum, quod maxime se in motibus venereis manifestat, esse auferendum et delendum.

Notari sedulo debet nomen *typi* non cuivis rei, quæ aliquid significat, sed tantum istis rebus, quæ aliquid futuri prænuntiant, dari solitum esse; ac proinde sensum typicum tantum in iis locis haberi, ubi res verbis expressæ futuros eventus prænuntiant. Inde sequitur, quod iris (*Gen.* IX, 13-17), festum paschatis apud Judæos, quatenus monumentum erat repulsæ ab eis servitutis, Eucharistiæ celebratio, quatenus est memoriale mortis Domini, non sunt veri typi, cum signa sint rei præteritæ.

Sensus *typicus*, uti dictum est, distinguitur in *allegoricum* seu *propheticum*, in *anagogicum* et in *tropologicum* seu *moralem*.

Sensus typicus dicitur *allegoricus*, ubi res mere ut credendas proponit. Exemplum hujus sensus allegorici habetur in Melchisedech, qui erat typus Christi sacerdotis et regis, et cujus sacrificium panis et vini præfigurabat sacrificium Missæ. Idem habetur sensus typicus in historia duorum Abrahæ filiorum, Ismaëlis nati ex ancilla Agar secundum naturæ vires, et Isaac ex Sara libera quæ sterilis erat et ex miraculo Dei concepit, nati et in hæredem promissionum divinarum, rejecto Ismaële, assumpti : hic enim Isaac est typus legis Christi, quæ non ex naturæ

viribus est orta sed tota supernaturalis est, nos ex servis facit Dei filios et legi veteri erat substituenda. (*Gal.* IV). In duobus exemplis citatis res præfiguratæ pertinent ad fidem; ac proinde isti typi dicendi sunt *allegorici* seu *prophetici.*

Sensus typicus est *anagogicus* (αναγειν, sursum vehere), dum res præfigurata cœlum seu res sperandas (quæ specialem classem rerum fidei constituunt) respicit : sic ingressus Israëlitarum in Palestinam post varias afflictiones et certamina, qui significavit per varias tribulationes ingrediendum esse cœlum; atque tabernaculum cum suis instrumentis, urbs Jerusalem, templum Salomonis, quæ typi erant cœli, dicenda sunt typi *anagogici.*

Sensus typicus est *tropologicus* (τροπος, quod inter alia significat morem et consuetudinem) seu *moralis*, quando per typos præfiguratur, quid nos agere debeamus. Talis sensus typicus habetur in verbis *Deuter.* XXV, 4 : *Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas*, nam inde probat Apostolus I *Cor.* IX, 11, alimoniam deberi Apostolis ab iis, qui Evangelium ex ipsorum ore accipiunt.

Sensum litteralem et varios sensus typicos declarant versus sequentes.

Littera gesta docet, quid credas allegoria,
moralis quid agas, quid speres anagogia (1).

(1) S Bonaventura in Ps. 118 paucis hisce verbis totam doctrinam de triplici typico sensu exponit : « Intellectus Scripturæ mysticus, ait, est » tripartitus; nam alius *allegoricus*, alius *anagogicus*, alius *tropologicus*, » quorum primus servit *fidei*, secundus *spei* et tertius *charitati.* » Et S. Thomas pariter dicit I. q. I. a. 10 : « Respondeo dicendum, quod auctor » S. Scripturæ est Deus, in cujus potestate est, ut non solum voces ad signi- » ficandum accommodet (quod etiam homo facere potest) sed etiam res » ipsas. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad » primum sensum, qui est sensus *historicus* vel *litteralis.* Illa vero signifi- » catio, qua res significatæ per voces, iterum alias res significant, dicitur » sensus *spiritualis*, qui super litteram fundatur eamque supponit. — Hic » autem sensus spiritualis trifariam dividitur. Sicut enim dicit Apostolus » *ad Hebræos* VII : *Lex vetus figura est novæ legis; et ipsa nova lex*, ut dicit

Observetur varias sensus distinctiones in uno eodemque objecto, diversimode considerato haberi posse. Sic urbs Sion seu Jerusalem in sensu *litterali* est urbs Judææ, sensu *allegorico* Ecclesia Christi, sensu *tropologico* anima fidelis, sensu *anagogico* civitas cœlestis. — Attendi quoque debet varias sensus typici species sæpe apud Patres confundi, imo iisdem nominibus quandoque sensum metaphoricum et sensum typicum designari.

c) Sensus *accommodatitius* est ille, quem voces Scripturæ præferunt, quando adhibentur ad aliam rem exprimendam ac ea sit, quam auctor sacer sive litteraliter sive typice expressit. — Hic sensus accommodatitius nonnisi *omnino improprie* dici potest Scripturæ sensus, siquidem a Spiritu Sancto minime intentus est, sed est merum ingenii humani opus. Quum enim in hoc sensu Scripturam accipimus, non proferimus sententiam inspiratam, sed nihil aliud præstamus, ac Scripturæ verbis et locutionibus rem aliquam enuntiare, quam aliis verbis ac locutionibus sine ullo auctoritatis detrimento enuntiaremus.

Distinguitur a quibusdam sensus accommodatitius in *extensivum* seu *secundum extensionem*, et *allusivum* seu *secundum allusionem*. Prior habetur, quum Scripturæ verba horumque significationem veluti extendimus ad ea, quæ aliquid simile aut commune habent cum iis, de quibus a Spiritu Sancto dicta sunt verba hæc; *posterior* vero, quum verbis Scripturæ utimur ad aliquam rem designandam, ab illa, quæ per hæc verba, uti sunt in Scriptura, exprimitur, prorsus alienam et disparatam. Prioris specimen daretur, si quis admissam aliquam culpam excusaret

» Dionysius in *Eccles. Hier.*, *est figura futuræ gloriæ*. In nova etiam lege » ea, quæ in capite (in Christo) sunt gesta, sunt signa eorum, quæ nos agere » debemus. Secundum ergo quod ea, quæ sunt veteris legis, significant ea, » quæ sunt novæ legis, est sensus *allegoricus* : secundum vero quod ea, quæ » in Christo sunt facta vel in his, quæ Christum significant sunt signa » eorum, quæ nos facere debemus, est sensus *moralis* : prout vero signifi- » cant ea, quæ sunt in æterna gloria, est sensus *anagogicus*. »

hisce Evæ verbis : « *serpens decepit me* » (*Gen.* III, 13), aut amissum visum defleret dicens cum Tobia V, 12 : « *Quale gaudium* » *mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video?* » Posterioris exemplum haberetur, si quis verba illa Ps. XVII, 26 : « *Cum sancto sanctus eris, cum perverso perverteris,* » quibus psaltes exprimit, quod Deus amat et protegit sanctos, sed contra punit et castigat impios et malos, adhiberet ad dicendum, quod societas justorum ad sanctitatem nos excitat, dum malorum consortium nos ad impietatem adducit.

§ I.

Q. Quales sensus subsunt S. Scripturæ?

R. *Singulis Scripturæ sententiis subest sensus* litteralis *et certe multis locis etiam sensus* typicus. *Plures catholici docuerunt multiplicem interdum uni sententiæ subesse sensum litteralem, sed ab hac opinione recedendum videtur. Sensus* accommodatitius *non vere subest Scripturæ, sed humana industria formari potest, atque sub certis conditionibus licitum est eo uti.*

—

I. Gradus certitudinis. Sacræ Scripturæ generatim subesse sensum litteralem et etiam in multis locis sensum typicum, si non *de fide*, saltem *fidei proximum* dici debet, cum id manifestissime in fidei fontibus contineatur. — Singulis Scripturæ sententiis subesse sensum litteralem, dicendum est *certum*, cum fere unanimiter doceatur a theologis. — An multiplex litteralis sensus aliquibus Scripturæ sententiis subsit, libere in Ecclesia controvertitur; verumtamen opinamur negativam sententiam non tantum *probabiliorem*, sed et *probabilissimam* imo *certam* esse. — Quæ de sensu accommodatitio diximus, a nemine in dubium vocantur, ac proinde saltem ad res *theologice certas* pertinere dicenda sunt.

II. Errores. *a)* Litteralem sensum generatim Scripturæ subesse a nemine negatum est; verum dubitatum a quibusdam est, an eæ enuntiationes quæ typicum sensum habent, etiam litteralem servent, sive, an sensus litteralis et typicus simul ex una eademque sententia colligi queat.

b) Litteris Sacris inesse sensum typicum negarunt plurimi Protestantes; et hodie omnes rationalistæ, cum Scripturæ divinitatem negent, conclamant, sensum mysticum confusionem et errorem in libros sacros inducere, atque omnino esse rejiciendum.

c) Quod multiplicem litteralem sensum, qui quibusdam Scripturæ sententiis subesset, attinet, theologi plerique, qui inde a sæculo XVI de hac re scripserunt, diserte docent litteralem sensum non semper unicum esse, sed interdum duplicem aut etiam multiplicem; ideoque volunt unius ejusdemque loci Scripturæ sæpe plures dari litterales sensus, non quidem oppositos sed diversos. — Inter recentiores autem plerique et quidem magni nominis scriptores, rejiciunt illum multiplicem litteralem sensum, docentque unum tantum litteralem sensum singulis subesse sententiis (1).

(1) Ex^us^ ac Ill^mus^ Beelen magistralem suam dissertationem. *qua sententiam vulgo receptam, esse Sacræ Scripturæ multiplicem interdum sensum litteralem, nullo fundamento satis firmo niti demonstrare conatur,* (Lovanii 1845) ita concludit : « Quæ quum ita esse mihi videantur, non » acerbius quid dixero contra sententiam, quam oppugnandam suscepi, » si ex disputatis concludo, *non esse ullo sat firmo argumento hactenus* » *probatum, unius ejusdemque S. Scripturæ loci litterales sensus plures* » *quam unum alicubi esse agnoscendos.* » R. P. Patrizzi : *De interpretatione Scripturarum Sacrarum,* Romæ 1844, ita dissertationi suæ de multiplici litterali sensu Scripturæ, finem imponit : « Quæ quum ita sint, sic tandem » concludimus : Si tum auctoritates, tum rationum momenta, perpendas, » facile intelliges, utri sententiæ majus ex his pondus accedat. Adversa- » riorum quippe sententiæ favent quidem Augustinus et maxima theolo- » gorum pars; nobis vero, præter recentiores aliquot, nec exigui nominis » Scripturarum interpretes, atque etiam theologos, adstipulantur theologi » vetustissimi ac nobilissimi omnes patres, uno dempto Augustino. Obtinet » ergo hoc loco scitum illud Melchioris Cani : *Theologorum scholasticorum*

III. Demonstratur singulis Scripturæ sententiis litteralem subesse sensum. Id facile demonstratur ex falsis oppositæ sententiæ sequelis. Etenim *a)* si sententia quædam litterali sensu careret, ipsa etiam non haberet sensum typicum; quem tamen adversarii in sententiis litterali sensu carentibus semper adesse contendunt. Et re quidem vera, cum sensus typicus non immediate ex verbis, sed ex rebus per verba expressis fluat, plene liquet, quod deficiente sensu litterali, deficiet quoque sensus typicus. Res enim, quæ per verba exprimuntur, sunt imagines rei futuræ atque ita fundunt sensum typicum; sed ut hunc sensum fundere possint, debent necessario prius cognosci; quæ notitia obtinetur per sensum litteralem. — *b)* Dein, quid absurdius, quam supponere quod verba non id significent, quod vere significant, seu quod sensu careant? Atqui hoc absurdum admittendum est, si negetur verba Scripturæ ubique intelligenda esse juxta litteralem suum sensum, h. e. juxta sensum quem ex hominum usu habent.

Objiciunt, litteralem sensum quandoque absurdum quid, vel minus congruum aut etiam turpe, præ se ferre, ac proinde supponi non posse a Spiritu S. fuisse intentum. Quod ut demonstrent, afferunt illud Osee (I, 2) : « *Vade, sume tibi* » *uxorem fornicationum et fac tibi filios fornicationis.* » Atvero frustra ad hunc textum appellant, nam nihil obstat, quominus hæc verba litteraliter intelligantur. Etenim in hisce verbis jubet Deus prophetæ Osee, ut sibi in uxorem assumat mulierem, quæ publice nota erat ob peccata sua fornicationis, aut quæ, sicuti alii interpretes volunt, idola colebat : qui enim

» *etiam multorum testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus* » *valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam* » *auctoritas comprobavit. Videlicet in scholastica disputatione plurium* » *auctoritas obruere non debet theologum, sed si paucos viros, modo graves,* » *secum habeat, poterit sane adversum plurimos stare. Non enim numero* » *hæc judicantur, sed pondere.* »

per idololatriam a cultu veri Dei recedebant, dicebantur *fornicari a Deo*, et ratio hujus loquendi modi est, quod anima, quæ Deo servit, vocatur *Dei sponsa;* unde sequitur, quod anima, quæ a Deo discedit et falsorum deorum cultum amplectitur, legitime dicitur a Deo *fornicari* aut *adulterare*. Jamvero in hoc mandato nihil absurdum, incongruum aut turpe invenitur : Deus nempe hoc mandatum Osee dedit, ut hoc matrimonium viri sancti (qualis Osee erat) cum muliere moribus deperdita et peccatrice, typus esset futuri Messiæ, qui cum Deus esset, hypostatice sibi uniret nostram naturam peccato deturpatam et gentiles nationes, quæ idololatria sua fornicabantur a Deo, in sponsas suas assumeret. Hoc matrimonium viri sancti cum muliere deperdita, a Deo jussum, maxime erat aptum ad futurum Messiæ cum natura nostra et cum gentilibus connubium repræsentandum. — Nec dicatur Osee datum esse præceptum fornicandi, quia legitur : *fac tibi filios fornicationis;* quod certe esset turpe et cum sanctitate Dei pugnaret. Nam filii, quos Osee ex muliere illa procreaturus erat, dicuntur *filii fornicationis*, non propterea quod ex fornicationis peccato erant nascituri, sed quia eorum mater, quæ legitimo matrimonii vinculo cum Osee jungenda erat, fuit antea publica et nota mulier fornicaria. Isti filii ex hoc matrimonio procreandi fuerunt typi judicii a Deo in populum judaicum exercendi.

Appellant etiam adversarii ad quasdam sententias Veteris Testamenti, quæ a Novi Testamenti scriptoribus de Christo et Ecclesia dicta esse docentur; in his sententiis, aiunt, nequit alius sensus, ac ille, qui in Novo Testamento proponitur, inveniri. Talem sententiam volunt esse : « *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium* » (II *Reg.* VII, 14), quod tamquam de Christo dictum exponit S. Paulus (*Hebr.* I, 5). — Verum frustra conantur inde opinionem suam stabilire; nam verba illa in litterali suo sensu a Deo ad Davidem dicta sunt de Salomone; hic nempe in ædificatione templi et in speciali protectione, quam

a Deo quasi ejus esset filius accepit, figura erat Messiæ, qui non materiale templum sed Ecclesiam ædificaret, et verus seu naturalis esset Dei filius. Litteraliter igitur hæc verba dicta sunt de typo, scilicet de Salomone, et typice de Messia, qui per Salomonem præfigurabatur.

IV. Demonstratur multis Scripturæ locis typicum subesse sensum. Multis Scripturæ locis typicum subesse sensum, constabit, si probari possit Spiritum S. revera ita disposuisse plures res in Scripturis narratas, ut per eas, tamquam per typos et imagines, significaret res futuras. Jamvero id clare demonstratur : *a) e S. Scriptura.* Sic quæ *(Exod.* XII, 46 et *Num.* IX, 12) ad litteram dicta sunt de agno paschali, de Christo in sensu typico esse dicta constat ex *Joan.* XIX, 36 : « *Facta* » *sunt enim hæc ut Scriptura impleretur : os non commi-* » *nuetis ex eo.* » Pariter S. Paulus (I. *Cor.* X) allatis variis ex veteri testamento historiis de mari, nube, esca, potu, etc., subdit : « *hæc autem in figura facta sunt nostri... Hæc* » *omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad* » *correptionem nostram.* » Eodem modo ex SS. Litteris constat Melchisedech Christi typum fuisse; arcam Noë mystice baptismum figurasse; historiam Isaac et Ismaël figurasse vetus et novum Testamentum, etc. (Cfr. *Hebr.* VII, 3; I *Petr.* III, 20, 21; *Gal.* IV). — Insuper scriptores sacri non tantum de quibusdam rebus in Scriptura narratis, expresse declarant typicum eis subesse sensum, sed etiam ex sensu typico rationes seu argumenta ad doctrinam suam firmandam desumunt, eodem modo ac e sensu litterali. Ita S. Paulus, ad demonstrandum quod synagoga cum legibus mosaicis fuit rejicienda, arguit ex historia Ismaëlis, qui cum matre sua e domo Abrahæ fuit ejectus, et typus erat sortis legis antiquæ. Idem liquet ex textu supra citato S. Joannis. — *b) e Patribus.* Patres expresse agnoscunt sensus typici in Scriptura existentiam. Ita S. Justinus in dialogo cum Tryphone docet, in veteri fœdere *multa arcana aut in*

parabolis dicta, aut mysteriis et actionum quarumdam symbolis adumbrata, a prophetis post eos, qui hæc dixere, aut egere, exortis fuisse explicata (§ 68). Idem testantur Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Cyprianus et Augustinus. — *c) e Traditione Judæorum.* In Commentario Josephi Albo in *Ezech.* XXIV, 24 legimus : « Reperiuntur in » lege multa, quæ *sapientes omnes* fatentur esse *signa rerum* » *inclytarum, sublimium rerumque spiritualium*, qualis est » descriptio horti Edenis et quatuor fluviorum, et cetera; non » tamen negant *veram eorum existentiam secundum litteralem sensum*, verum dicunt res illas, quæ sic exstant, *signa* » esse præterea *rerum præstantiorum superiorum.* »

Nec dicatur hunc sensum, sicuti rationalistæ nobis objiciunt, confusionem et errorem inducere. Distinctus enim est sensus mysticus a sensu litterali, cum immediate fluat non ex litteris sed ex rebus narratis; et ab altera parte nihil impedit quominus Deus rerum eventus ita ordinaverit, ut figuræ essent futuri, cum et ipse homo aliquid efficere possit, ut hoc opere alios doceat quid in posterum sit facturus.

V. Demonstratur nullibi in Scriptura plures quam unum litterales agnoscendos esse sensus. Id peremptorie sequentibus argumentis probatur :

A) Cum in libris humanis nonnisi unus litteralis sensus sententiis subsit, et S. Scriptura ad normam libri humani scripta sit, liquet dicendum esse, etiam in S. Scriptura nonnisi unum litteralem haberi sensum, nisi vel ex Ecclesiæ definitione, vel ex S. Scriptura, vel ex Traditione, vel ex ratione theologica positive constet spiritum Sanctum in Scriptura, a communi recessisse scribendi more, ac plures sensus litterales voluisse per unam exprimere sententiam. Atvero nullum existit argumentum, unde probatur Spiritum S. vere a communi recessisse scribendi more ac plures in una sententia litterales intendisse sensus. Ergo.

Prob. min. Oppositæ sententiæ defensores argumenta ducunt :

a) ex doctrina concilii Lateranensis; *b)* ex nonnullis S. Scripturæ locis, quibus duos pluresve sensus litterales subesse certo constare asseverant; *c)* ex doctrina Traditionis; *d)* ex ratione theologica. Atvero ex omnibus istis argumentis ne unum quidem est, quod firmum sit sententiamque adversariorum stabiliat; quod probabimus.

a) Ex concilio Lateranensi ita conantur sententiam suam probare adversarii : « Plures, ait Cornelius a Lapide, non tantum » typicos et typice subordinatos, sed etiam dissimiles et disparatos » posse esse sensus litterales S. Scripturæ, colligitur ex concilio » Lateranensi *(Cap. de SS. Trinitate),* ubi Concilium ex illo » *Gen.* I : *In principio creavit Deus cœlum et terram*, juxta » duos litterales sensus, duas concludit veritates, scilicet, quod » mundus incœperit, quasi το *in principio* significet principium » temporis, et quod nihil ante mundum sit productum, quasi το » *in principio* idem sit quod *ante omnia.* » — Atvero in hisce Cornelii verbis, habetur audax assertio sed ne species quidem veri argumenti. Etenim textus concilii est : « Creator omnium » visibilium, spiritualium et corporalium, sua omnipotenti » virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit » creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et » mundanam. » Atqui inprimis nullatenus constat, concilium voluisse definire quod ante mundum (h. e. ante terram) nulla entia, nequidem angeli, sunt producta; nam vox *simul* potest optime intelligi in sensu *pariter*, *pari consilio;* imo summi nominis theologi expresse docent omnino certum esse, quod concilium noluerit definire angelicam et mundanam naturam eodem tempore fuisse conditam. — Verum, etiamsi concilium id definire voluisset, nihil tamen inde profecisset argumentum Cornelii a Lapide; nam adhuc probandum esset, concilium in sua definitione textu Geneseos niti et duplicem illum litteralem sensum e verbis *in principio* depromere. Jamvero concilium nequidem *citat* textum Geneseos!

b) Præcipua Scripturæ loca, quibus certe duos pluresve litterales sensus subesse contendunt, sunt sequentia : 1° *Gen.* I, 1. « *In principio* creavit, » quod, aiunt, potest intelligi in sequentibus sensibus : *in initio temporis*, vel *omnium primum*, vel *in Filio Dei.* — 2° *Ps.* II, 7 « *Filius meus es tu, ego hodie* » *genui te,* » quem textum tamquam præcipuum argumentum afferunt omnes, qui litteralem in Scripturis sensum passim multiplicem esse defendunt. Affirmant hæc verba ab Apostolo Paulo adduci ut probet : α) Christum esse Dei Filium *(Hebr.* I, 5); β) æternum ipsi a Deo Patre concessum fuisse sacerdotium *(Hebr.* V, 5); et γ) ipsum devicta morte, fuisse resurrecturum *Act.* XIII, 33 : unde concludunt verba illa « *Filius meus es tu, ego hodie genui te* » triplicem habere sensum litteralem. — 3° *Isai.* LIII, 4 « *Languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit;* » quæ verba, aiunt adversarii, ex versione LXX, ex contextu atque etiam ex interpretatione S. Petri (I *Ep.* II, 24) et S. Pauli (I *Cor.* XV, 3) debent intelligi de pœnis peccatorum nostrorum, et quæ a S. Matthæo (VIII, 17) affirmantur dicta esse de morbis corporalibus. — 4° *S. Joan.* XI, 50 : *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat;* hisce verbis, inquiunt, duplex subest sensus litteralis; per ea namque aliud dicere voluit Caïphas, aliud vero Spiritus Sanctus, ut Evangelista notavit. — 5° *Isai.* LIII, 8 : *Generationem ejus quis enarrabit,* quæ verba summopere ab adversariis nostris laudantur; nam *et* humanum Christi ortum *et* divinum, utrumque inenarrabilem, hic a Propheta dictum volunt.

R. ad 1°. Quoad locum *Gen.* I, 1, advertant inprimis adversarii, ad suam sententiam stabiliendam non satis esse, ut aliquis textus in alium atque in alium sensum *possit* exponi, sed requiri ut juxta Spiritus Sancti intentum, ita exponi *debeat.* Præterea attentis naturali sensu vocum *in principio*, hebraice *bereshith,* orationis contextu et interpretationibus quæ circa hunc locum prodierunt, liquet per hæc verba nullatenus signi-

ficari neque *in Filio* (h. e. in Verbo Dei, per Verbum Dei cui attribuitur sapientia divina et creatio mundi, ut opus sapientiæ) neque *primo omnium*, sed *in initio* (scil. in initio temporis, quod incepit simul cum existentia rerum finitarum, seu aliis verbis, quando extra Deum nondum aliquid existebat). Ergo liquet adversarios frustra ad textum Geneseos appellare.

R. ad 2°. Ad hanc difficultatem solvendam, debemus inprimis sensum declarare, quem verba psalmi præ se ferunt. Hæc verba pertinent ad Dei Patris circa Messiam decretum, quod David audivit proferri in visione illa quam in psalmo secundo proponit. Per hanc sententiam declarat Deus Pater, quis sit ille Messias, quem constituit regem super Sion : dicit nempe ipsum esse filium suum *(Filius meus es tu)*, et non tantum filium adoptivum sed naturalem, ex se genitum, seu Verbum æternum, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero *(Ego hodie genui te)*. Unde liquet in hoc textu agi de generatione æterna. Opponunt aliqui hic sermonem fieri non posse de æterna Verbi generatione, quia in toto contextu agitur de Christo homine; ut homo, aiunt, Christus constitutus est rex super Sion, i. e. super Ecclesiam. Verum nullius valoris est hæc objectio; nam contra congruum est, ut Pater declarans ad quamnam dignitatem Christum ut hominem sublimaverit, proponat simul hujus sublimationis rationem, quæ nempe in eo est, quod Christus non sit merus homo sed verus Filius Dei. — Quidam opinantur in hisce verbis sermonem fieri de humano Christi ortu ex B. V. Maria; sed num recte Christus secundum humanam suam naturam dici potest a Patre genitus? Alii autem contendunt hic agi de generatione metaphorica, quæ in eo consistit, quod Deus Messiam in lucem protulit seu publice ut Messiam manifestavit. Verum hæc interpretatio sine ulla ratione a proprio et obvio verborum sensu recedit, ut verbis inusitatum affingat metaphoricum sensum; atque insuper etiam non concordat cum contexta oratione : non enim hic

agitur de manifestando Messia, sed de definienda ejus conditione atque potestate.

Hisce præ oculis habitis, liquet textum illum in sensu suo naturali citari *Hebr.* I, 5, ad probandam Christi divinitatem. — Verum an citatur in alio sensu, *Hebr.* V, 5, ubi, sicuti adversarii contendunt, ad demonstrandum Christi sacerdotium affertur? Respondemus hunc textum ibi non citari ad demonstrandum Christi sacerdotium, sed tantum ad personam Patris per aliquam circumlocutionem designandam; uti legentibus facile apparet. Textus enim est : « *Christus non semetipsum* » *clarificavit ut Pontifex fieret* (h. e. non ipse sibi tribuit » honorem pontificatus) *sed* (Pontificem eum fecit) *qui locutus* » *est ad eum : Filius meus est tu, ego hodie genui te;* » *quemadmodum et in alio loco dicit : Tu es sacerdos in* » *æternum secundum ordinem Melchisedech.* » Opponunt adversarii ex verbis « quemadmodum *et* » patere, quod Apostolus non minus priorem quam posteriorem textum citat ad Christi sacerdotium demonstrandum. Atvero nullius momenti est hæc difficultas; nam solemne est S. Paulo particulam *et* pleonastice addere particulæ *sicut;* ac præterea contextus hic manifeste ostendit particulam *et* pleonasticam esse.

Verum quomodo verba Ps. II, si nonnisi supra dictum litteralem sensum habeant, possunt dici in resurrectione Christi a mortuis, fuisse impleta? In hac re nulla datur difficultas. David in prophetica de futuro Messiæ regno visione, quam in Ps. II describit, audivit Messiam dicentem, quod Pater ad eum dixit : « *Filius meus es tu, ego hodie genui te;* » ergo hæc locutio Patris, sicut et cætera quæ in hoc psalmo prophetico continentur, in nova lege debebat impleri. Jamvero hæc locutio Patris ad Messiam non verbis sed factis, revera locum obtinuit in resurrectione Christi, per Dei omnipotentiam peracta. Etenim hæc resurrectio proposita a Christo fuerat in peremptorium signum divinæ suæ legationis divinæque suæ doctrinæ in qua

se naturalem Dei Filium asserebat; dixerat enim Judæis miraculum in confirmationem ejus doctrinæ et missionis poscentibus : « *signum non dabitur ei* (h. e. genti judaicæ) *nisi signum Jonæ prophetæ* (h. e. signum resurrectionis) » Matth. XVI, 4. Ergo Pater, ubi omnipotenti sua virtute Messiam resuscitavit, confirmavit Christi doctrinam, in cujus favorem hoc miraculum faciebat, et ita expresse mundo declaravit Jesum esse verum Filium suum naturalem.

Hisce autem notatis liquet, falso ab adversariis affirmari, quod textus Ps. II ab ipsa S. Scriptura in vario litterali intelligitur sensu.

R. ad 3°. Ad refellendum hoc argumentum notamus inprimis falso affirmari quod Isaiæ verba a S. Petro et a S. Paulo, de pœnis peccatorum nostrorum a Messia luendis explicantur. Etenim S. Petrus ubi (I Ep. II, 24) scribit : « *Qui peccata nostra pertulit in corpore super lignum.... cujus livore sanati sumus*, » certe nulla ratione dici potest explicationem tradere propositi textus : nam manifeste loquitur de versu sequenti Isaiæ e quo ultima verba desumpsit. Textus S. Pauli, ad quem appellatur, est sequens : « *Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas;* » sed ridiculum est contendere Paulum in hisce verbis nostrum textum explanare. — Ex hisce jam constat non diversum citato textui tribui sensum a scriptoribus sacris.

Verum an S. Matthæus hunc textum intelligit in unico et solo ejus vero sensu? In hebraico textu habemus pro vocibus *languores* et *dolores*, *choli* et *macob* quæ sæpissime dicuntur de morbis aut corporis malis, aliquando etiam de afflictione animi, sed nunquam de peccato; et pro vocibus *tulit* et *portabit*, *sabal* et *nasah*, quorum prima ordinarie legitur in sensu *auferendi*, et altera sæpe significat *ferre*, *portare*, sed etiam in sensu *auferendi* adhibetur. — In græca versione, quam citat Matthæus habetur : Αυτος τας ασθενειας ημων ελαβε, και τας νοσους εβαστασεν.

Jamvero in N. T. vox νοσος semper, et ασθενεια ordinarie de corporali malo dicitur; atque λαμβανειν et βασταζειν certe habent sensum *auferendi*. — Nunc autem si ad hanc naturalem verborum significationem attendamus, obvius sensus textus Isaiæ est ille, quem proponit S. Matthæus : « Vere morbos ægritudinesque corporum ipse abstulit. » Et hic sensus optime cum contextu consonat : propheta enim, ignominiosissimam Christi passionem describens, postquam dixit Christum esse *despectum et novissimum virorum*, addit : tamen vere morbos nostros sanavit, alios salvos fecit; et ecce videmus eum esse quasi leprosum, ut hominem percussum a Deo. Quo dicto dat hujus facti rationem : « *ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras*, » etc., h. e. at ille, qui antea alios salvos faciebat, vulneratus nunc est ad satisfaciendum pro peccatis nostris.

Ergo quæcumque ab adversariis proferuntur ad probandum duplicem in hoc textu haberi litteralem sensum, omnino erronea sunt.

R. ad 4°. Ut objectio ex Isaia LIII, 8, desumpta refellatur, hæc tantum sunt notanda. Inprimis non demonstrant adversarii hunc textum de utraque Christi generatione, divina nempe et humana, esse intelligendum, nisi ex Patrum doctrina. Atvero, ut Patrum doctrina possit pro interpretatione S. Scripturæ esse certa regula, debet esse unanimis; et in exponendo isto textu Patres nullatenus consentiunt, nam alii eum intelligunt de generatione divina tantum, alii tantum de generatione humana, alii tandem de resurrectione gloriosa. Ergo adversarii sine motivo asserunt in hoc textu de generatione divina et humana simul fieri sermonem. — Præterea pro voce *generatione* legitur in hebræo *dor* et in versione LXX γενεα : jamvero vox *dor* nunquam significat *ortum*, *originem* aut *natales;* et pariter vox γενεα in versione LXX nunquam de alicujus personæ ortu aut generatione dicitur. Verus sensus vocis *dor*, græce γενεα et in vulgata *generatio*, videtur esse *coævi*, *coætanei*, *homines hac ætate*

viventes, ita ut sensus sit : « sed quod attinet ad coævos ejus » (Messiæ), quis est qui intelligat eum ab eis occisum esse? » — Longe igitur abest, ut in hoc textu simul fiat sermo de æterna et de temporali Christi generatione.

R. ad 5°. Difficultatem ex *Joan.* XI desumptam optime solvit Ex^us^ et Ill^mus^ Beelen *(Dissert. de unico sensu litterali* p. 96) : « Meminerimus, ait, quod et adversarii nostri docent, ut affir- » mari possit alicui Scripturæ loco duplicem subesse sensum » litteralem, omnino probandum esse, Spiritum S. auctorem » Scripturæ, uni eidemque loco duplicem subjicere voluisse » litteralem intellectum. Atqui verbis a Caïpha prolatis duplex » quidem subest sensus, sed alter a Spiritu S., alter vero a » Caïpha intentus. Ergo neque hic locus quidquam juvat adver- » sarios. » Præterea si quis instaret et objiceret : in eo tamen Scripturæ loco duplicem iisdem verbis subjectam esse notionem litteralem, etiam id possemus negare. Etenim distinctio hic debet fieri inter rem quæ expresse prænuntiatur, et judicium, quod non exprimitur atque in mente retinetur, de modo quo hæc prædictio erat verificanda : debemus enim hic tantum attendere ad rem quæ expresse prænuntiatur, cum hæc sola verbis exprimatur. Jamvero in citatis verbis non duplex res prænuntiatur, sed una, quod nempe mors Jesu utilis foret pro salute totius gentis; verum aliud habebatur judicium in mente Caïphæ, aliud in Spiritu S., de modo quo verificaretur hæc prædictio : putabat nempe Caïphas vel potius videbatur putare, Jesu mortem utilem fore pro Judæis ab invasione Romanorum tuendis; sed Spiritus S. judicabat et omnes Judæi qui ad Scripturæ prophetias volebant attendere judicare debebant, hæc verba verificanda fore per redemptionem, quam Jesus morte sua perficeret. Ergo neque in hisce Caïphæ verbis ulla ratione duplex litteralis sensus inveniri potest. — Spiritus S., ubi Caïphas volebat populo dicere, quod expediebat pro eorum temporali salute, ut Jesus moreretur, ita eum movit direxitque ut sententiam

proferret, quæ vere impleretur. Hoc fecit Spiritus S., quia ob Caïphæ pontificiam dignitatem volebat per ipsum populum docere; et certe omnes Judæi adstantes poterant, si volebant, intelligere per Jesu mortem non temporalem sed spiritualem salutem esse obtinendam.

c) Argumentum, quod adversarii ex Traditione desumere conantur, plene confutatur in dissertatione Ex^ii^ Beelen : citatis patrum et scholasticorum testimoniis, ejus conclusio est, multiplicem in Sacris Scripturis sensum litteralem, ex Patribus et scholasticis aliud non habere fundamentum, ac effatum quoddam S. Augustini, quo is tamen nequaquam certo affirmat uni eidemque Scripturæ plures interdum subjectos esse sensus litterales, sed tantum significat *se opinari id fieri posse;* quam opinionem cum Paulo Burgensi sequitur alicubi in suis scriptis S. Thomas, licet ipse alibi eidem opinioni aperte contradicat.

d) Conantur etiam adversarii pro sententia sua, argumenta ex Scripturæ dignitate et ex divini Scripturæ auctoris providentia desumere : oportet, aiunt, ut liber a Deo conscriptus perfectior sit sub significandi ratione quam liber humanus, atque ut Deus infinite sapiens et providus, id omne perspiciat quod singulis sententiis a se inspiratis potest exprimi, et id omne exprimere velit. — Atvero inprimis hæ rationes, si valorem aliquem haberent, non demonstrarent rem ita esse, sed tantum ita fieri potuisse vel ad summum probabiliter ita factam esse. — Præterea, ut statim dicemus, multiplex litteralis sensus necessario generaret confusionem et obscuritatem; jamvero dignitas S. Scripturæ et providentia sapientiaque divina sane hæc non requirunt. Ergo.

B) Ad defendendum unicum sensum litteralem in S. Scriptura, habetur et hoc argumentum : ut multiplex admitti possit litteralis sensus, admittenda est in Scripturis æquivocatio, nam multiplex sensus litteralis necessario supponit voces æquivocas pro multis stare significatis. Sed, æquivocatione admissa,

indefinitæ interpretationum seriei, ac proinde confusioni et obscuritati, datur locus, quod cum infinita Dei, Scripturæ auctoris, sapientia pugnat. Ergo.

VI. Demonstratur sensum accommodatitium non esse verum S. Scripturæ sensum; verumtamen eum sub certis conditionibus licite adhiberi. Quod sensus iste non est verus S. Scripturæ sensus, patet ex ipsa ejus natura : ipse enim non est sententia a Spiritu S. in hoc loco intenta et expressa, sed sententia alia, quæ humana industria per verba Scripturæ in alieno sensu usurpata exprimitur. Sensus igitur accommodatitius, qua talis, nulla ratione est verbum Dei seu doctrina Dei.

Licite tamen posse hunc sensum adhiberi, etiam facile intelligitur : sicut quid exprimere licet sententia, qua alii ad quid aliud significandum usi sunt, ita etiam nihil per se obstat, quominus ideam aliquam per verba, quibus Scriptura alio in sensu est usa, exprimamus. Hoc constat etiam ex ipso loquendi modo Christi, Scripturæ, Ecclesiæ et Patrum : Christus enim *Matth.* VII, 23 dicens : *Et tunc confitebor illis : ..... discedite a me qui operamini iniquitatem*, in accommodatitio sensu utitur verbis *Ps.* VI, 9; Ecclesia autem etiam per accommodationem applicat in Missis et in officiis B. M. V. quæ in libro *Sapientiæ* de divina sapientia sunt dicta, multaque alia Scripturæ loca eodem modo in liturgia sua adhibet; et Patres, ut omnibus notum est, sæpius in homeliis suis ad accommodatitium sensum recurrunt.

In usu autem sensus accommodatitii, certæ servandæ sunt regulæ, quæ ex ipsa rei natura fluunt : *a)* nunquam licet hunc sensum ut litteralem aut typicum accipere, ac proinde nunquam licet ex hoc sensu, tamquam ex sententia Scripturæ seu ex verbo Spiritus S., aliquid demonstrare. Cum enim hic sensus haud vere subsit S. Scripturæ, seu non sit verbum Spiritus S., manifeste ipse nequit ut talis adhiberi. Inde haud recte agunt, qui v. g. consortium malorum esse vitandum demonstrant

ex textu Ps. XVII, 27 : *Cum perverso perverteris* (cfr. supra p. 110); — qui ex textu *Sapient.* I, 14 : *Sanabiles fecit* (Deus) *nationes*, probant nationes vitio detritas ad novam posse resurgere vitam, cum istis verbis significetur, uti recte explicat Cornelius a Lapide, quod Deus in mundi origine omnia creavit salutaria, ac proinde quod nihil in eo erat venenatum, nihil quod occidat (vox *nationes*, in græco αι γενεσεις hic certe significat *id quod natum est e terra*, de voortbrengsels der aarde; et σωτηριος, *sanabilis* hic indubie est *salutifer, salutaris)*; — qui ex verbis Ps. LXVII, 36 : *mirabilis Deus in sanctis suis*, arguunt ad probandum miras esse Dei vias in sanctis; nam hujus textus sensus est : timendus est Deus in sanctuario suo montis Sion sedens, unde tanta edit miracula; quemadmodum liquet ex hebraico textu. De illis, qui accommodatitio utuntur sensu ad aliquid ex Scriptura probandum, dicit S. Hieronymus, *Epist.* II *ad Paulinum* : « Taceo de mei similibus, qui si forte » ad Scripturas Sanctas, post sæculares litteras venerint, et ser- » mone composito aurem populi mulserint; quidquid dixerint, » hoc legem Dei putant : nec scire dignantur, quid Prophetæ, » quid Apostoli senserint; sed ad sensum suum incongrua aptant » testimonia, *quasi grande sit et non vitiosissimum docendi* » *genus, depravare sententias et ad voluntatem suam Scrip-* » *turam trahere repugnantem.* » — *b)* Pessime etiam agunt, qui sanctissima Scripturæ verba ad scurrilia, turpia aut etiam impia detorquent, uti ipsum Tridentinum *Sess.* IV, expresse docuit : id enim fluit ex reverentia Scripturæ Sacræ, quæ Dei est liber, debita. Peccati tamen rei habendi non sunt, qui quædam Scripturæ verba ita accommodant, ut aliquem levem lusum minime turpem aut impium exhibeant. Multo minus adhuc prohibita est ista accommodatio si verba, quæ accomodantur, sint perditorum hominum, uti v. g. hæc Judæ : *Ut quid perditio hæc? Matth.* XXVI, 8. — Ineptum etiam est accommodare verba Scripturæ rebus, nimis dissimilibus, ut si quis v. g.

ædificium aliquod laudaturus verba libri Proverbiorum proferret (IX, 1) : « *Sapientia ædificavit sibi domum.* »

VII. Quæstiones subsidiariæ circa sensum typicum.

Q. I. *An omnia quæ leguntur in S. Scriptura habent sensum typicum?* De hac quæstione existit controversia; alii putant saltem totum vetus Testamentum sensum typicum habere, et inde *Figuristæ* vocantur; alii autem contendunt sensum typicum non ubique S. Scripturæ, nequidem ubique in V. T. subesse; et inde vocantur *Antifiguristæ*. Opinamur autem totam legis antiquæ seriem in genere fuisse typum novæ legis, et historiam in libris N. T. narratam typice præfigurare vitam christiane instituendam et futuram cœli gloriam, sed negamus sensum typicum extendendum esse ad quæcumque minuta, etiam ad singulas sententias dogmaticas aut morales.

Quod præcipua facta in S. Scriptura narrata typicum habent sensum, manifeste quoad Vetus Testamentum constat, ex eo quod Novi Testamenti scriptores tam frequenter ad sensum typicum veteris legis in exponenda et in demonstranda sua doctrina nihil præmonendo appellant, ut videantur supponere, neo-conversos ex Judæis atque ex gentilibus optime scire sensum typicum Veteri Testamento generatim inesse : nisi enim publice fuisset agnitum sensum typicum Veteri Testamento generatim subesse, non potuissent hunc sensum dicto modo usurpare ad suam doctrinam declarandam demonstrandamque. Haberi etiam in Novo Testamento sensum typicum, colligitur ex ejus cum Veteri Testamento analogia : sicut enim lex vetus fuit legis novæ typus, ita lex nova typus est vitæ æternæ; ac præterea vita Jesu manifeste est completa imago vitæ christianæ, et quædam novæ legis instituta clare ob oculos ponunt futuram gloriam : ita sicut comestio agni paschalis figura fuit Sacræ Communionis, eadem ratione Sacra Communio, in qua sub velamine specierum, cum Verbo incarnato unimur, figura est unionis Sanctorum cum Deo in cœlo, in qua sine velamine cum Deo uniuntur, videndo eum facie ad faciem ope

luminis gloriæ a Deo accepti. — Sensum autem typicum ad quævis minuta et ad singulas sententias non esse extendendum, novimus tum negative ex silentio Scripturæ et Traditionis hac de re, tum positive ex eo quod opposita sententia videtur cum ratione pugnare. Qualis enim sensus typicus inveniri potest in cane Tobiæ, in præcepto « *Deum super omnia diliges,* » etc.? Objiciunt Figuristæ textum I Cor. X, 11 : « *Omnia in figura contingebant illis;* » verum per *omnia* non debet intelligi tota lex vetus, sed res supra a Paulo memoratæ, nam in græco legitur ταυτα παντα, *hæc omnia.*

Q. II. *Quomodo innotescit sensus typicus?*

R. Sensus typicus non potest innotescere nisi per testimonium Dei; nam iste sensus a libera ordinatione Dei, qui præ libera sua voluntate eventus quosdam ita disposuit ut figuræ futurorum essent, omnino dependet ac proinde nonnisi ex Dei testimonio de eo possumus certiores reddi.

Inde 1° plene certe erimus de determinati sensus typici in aliquo loco existentia, quotiescumque Scriptura eum explicite vel implicite declarat, vel ubi vera Ecclesiæ Traditio eum testatur.

2° Cum ex S. Scriptura clare pateat et ex Traditione constet toti Scripturæ in genere typicum subesse sensum, certum appareret etiam aliis locis, præter illa de quibus S. Scriptura et Traditio directe testimonium ferunt, hunc sensum subesse; verumtamen summa prudentia opus est, in typica significatione alicui loco adscribenda, ubi Scripturæ aut Traditionis testimonium deficit; id autem facere tantum licet ubi inter typum et rem præfiguratam perfecta habetur analogia.

Q. III. *An ex sensu typico argumentum desumi potest ad fidei veritates demonstrandas?*

R. 1° Certe adhiberi iste sensus non potest, ubi disputamus cum rationalistis et hæreticis, qui eum respuunt; cum id ineffi-cax et inutile foret.

2° Quotiescumque de sensus typici in aliquo textu existentia

constat, eo certe licet uti, ad demonstrandam fidem catholicis, cum pro eis sensus typicus non minus quam litteralis vere a Spiritu S. sit intentus. Quam rectus sit ille usus clare etiam constat ex N. T. scriptoribus, qui, Deo inspirante, frequenter ex typico sensu doctrinam suam demonstrant.

Nec dicatur demonstrationem ex sensu typico haustam necessario esse supervacaneam et inutilem, cum ipsa præsupponat jam per aliud testimonium Scripturæ aut Traditionis constare quid per typum, de quo agitur, significatum sit. Etenim experientia notum est, quantopere imagines et symbola hominem juvent ut attentius res consideret, facilius eas intelligat, firmiusque memoria teneat; ac proinde sensus typicus, etiam ubi alio testimonio divino eget, ut plene intelligi valeat, nullatenus est inutilis, sed contra summopere fidei cognitionem promovet. Quis v. g. contendet antiquorum picturas et statuas, quæ inscriptione egent ut cognosci valeant, inutiles esse ad hominum et rerum notitiam acquirendam?

§ II.

Q. Qua ratione est interpretanda S. Scriptura, seu qua ratione est fidei doctrina e S. Scriptura haurienda?

R. *Cum existat infallibilis Ecclesia divinitus instituta, cujus munus est divinam revelationem infallibiliter proponere, uti infra demonstrabitur, liquet non unumquemque fidelem, sicut Protestantes dicunt, sed Ecclesiam supremum esse de Scripturæ sensu authenticum judicem, cui omnes fideles se submittere debent; atque interpretationes scientificas, quæ privato fiunt studio, nunquam posse pugnare cum sensu quem tenuit et tenet Ecclesia, aut cum unanimi Patrum doctrina. Hæc autem auctoritas, quam Ecclesia et Traditio in Scripturæ interpretationem habent, attenta Scripturæ obscuritate, et doctrinæ scriptæ ad quid facile et tuto docendum insufficientia, rationi valde conformis est.*

I. Explicatur responsum. *a)* Duplex hic distinguenda est interpretatio : *authentica* una, altera *scientifica*. *Authentica* interpretatio est illa, quæ fit vel ab ipso scripti auctore, vel ab eo, qui legitime ad scriptum interpretandum est institutus. Ita legis interpretatio dicitur authentica, ubi fit ab ipso legislatore vel a judice ad hoc constituto. *Scientifica* (seu etiam *doctrinalis)* dicitur interpretatio, ubi fit ab homine privato, qui alium titulum ad interpretandum non habet, nisi scientiam et studia sua.

b) In responso hæc distinguenda sunt puncta : 1° non unumquemque fidelem a Deo constitutum esse ut sibi tamquam supremus judex, authentice Scripturam explicet, sed Ecclesiæ, quæ in proponenda revelatione est infallibilis, hoc munus competere; atque ideo Ecclesiæ interpretationes esse vere authenticas et ab omnibus fidelibus admittendas. — 2° Interpretationem scientificam, quæ a privatis fit, non posse contradicere Ecclesiæ interpretationi aut unanimi Patrum doctrinæ, quæ Traditionis est organum. — 3° Istam auctoritatem, quam Ecclesia et Traditio in Scripturæ interpretationem habent, a ratione probari ut sapientissime institutam, propterea quod Scriptura multis in locis est obscura, ac quod liber scriptus de se non est sufficiens ad aliquam doctrinam intactam conservandam, sufficienter proponendam et a falsis interpretationibus tuendam.

II. Errores. Protestantes, uti supra jam diximus, docent ex Christi voluntate non Ecclesiam, sed unumquemque fidelem authenticum et supremum judicem de sensu S. Scripturæ esse constitutum; ac proinde singulos fideles per se ipsos solos e S. Scriptura doctrinam fidei haurire debere; qua in re, aiunt, lumine Spiritus S. juvantur.

III. Demonstratur pars prima propositionis. Si Ecclesia existat, quæ ex divina institutione pro munere habeat totam Christi doctrinam infallibiliter docendi, de omnibus circa hanc doctrinam controversiis infallibiliter judicandi, ac fideles omnes

ad fidei submissionem obligandi, liquet ad ipsam pertinere, ut de Scripturæ doctrina, quæ certe ad divinam revelationem spectat, judicet, controversias de ea existentes dirimat, atque sua judicia omnibus fidelibus imponat. Jamvero in *Tractatu de Ecclesia* probabimus talem a Deo institutam esse et existere Ecclesiam (1); ergo.

IV. Demonstratur pars secunda propositionis. Quod in privata Scripturæ interpretatione nunquam aliquam sententiam contra sensum quem tenuit et tenet Ecclesia defendere licet, immediate sequitur ex demonstratione primæ partis propositionis. Si enim omnes fideles definitiones Ecclesiæ circa Scripturæ sensum tenentur accipere, et si istæ definitiones sunt infallibiles, manifeste constat, nullum fidelem unquam posse aliquem Scripturæ locum contra sensum, qui ab Ecclesia tenetur, intelligere (2). Dictum etiam est, private non posse Scripturæ locum contra unanimem S. Patrum doctrinam declarari; quod etiam facile demonstratur. Unanimis Patrum doctrina, uti supra ostensum est, nihil aliud est ac Ecclesiæ Traditio. Jamvero uti supra pariter probavimus, tota fidei doctrina, ac proinde etiam verus Scripturæ sensus est Traditioni commissus. Ergo ubi Traditio manifeste docet, aliquem Scripturæ locum certo quodam modo esse interpretandum, sicuti fit ubi unanimis habetur Patrum consensus, non licet ab hac Traditionis interpretatione recedere, cum ita rejiceretur Traditio, quæ ut fidei divinæ fons ab ipso Christo est instituta.

V. Demonstratur pars tertia propositionis. Institutionem Ecclesiæ, quæ authentice et infallibiliter Scripturæ sensum de-

(1) Existentia quidem Ecclesiæ demonstrabitur ex ipsa Scriptura; at demonstratio illa, in quantum dirigitur ad acatholicos, fieri potest per interpretationem sacrorum librorum *doctrinalem* seu *scientificam*, Traditione confirmatam.

(2) Præcipui Scripturæ textus ab Ecclesia authentice explicati : Matth. XXVIII, 19; — Joan. I, 1, 14; — XV, 26; XVI, 13; Luc. XXII, 19, 20; — Joan. XX, 23; — Jac. V, 14; — Joan. III, 5.

finit, et Traditionis, quæ verum ejus intellectum conservat, rationi summopere consentaneam esse, tum propter Scripturæ in pluribus locis obscuritatem, tum etiam propterea quod liber scriptus per se solum minus est aptus ad rem facile et tuto docendam, ita demonstratur.

Inprimis si Scriptura in pluribus locis est obscura, ratio certe postulare videtur, ut Deus medium aliquod, ad fidem tuto e Scriptura hauriendam, verique Scripturæ sensus notitiam conservandam, instituerit; et melius ad hunc finem medium excogitari nequit, ac Ecclesia, quæ in Scripturæ interpretatione errare nequeat, et Traditio, quæ cum divino adjutorio rectum Scripturæ intellectum infallibiliter conservet. — Atqui S. Scriptura certe est obscura; S. Petrus enim dixit de S. Pauli Epistolis : « *in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ* » *indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras scripturas.* (II *Petr.* III, 16). » S. Augustinus pariter dicit : « Tanta est » christianarum profunditas Litterarum, ut in eis quotidie pro- » ficerem, si eas solas ab ineunte pueritia ad decrepitam senec- » tutem, maximo otio, summo studio, meliori ingenio, conarer » addiscere. » *(Epist.* 137 *ad Volusian).* Præterea experientia id demonstrat; nam de pluribus textibus qui definitione Ecclesiæ aut Traditione non sunt declarati, plurimæ existunt sententiæ; et apud Protestantes, qui, ut defendant S. Scripturam esse unicam fidei regulam, eam omnino claram dicunt, innumeræ habentur interpretationes de ipsis primariis textibus. Nec mira videatur hæc Scripturæ obscuritas : nam omnes libri antiqui aliqua obscuritate laborant, tum quia linguæ istæ et loquendi modi antiquitatis nobis non sunt plene nota, tum etiam quia antiquorum mores et vivendi rationem, unde multæ comparationes et locutiones desumuntur, ignoramus. Verum insuper, pro Scriptura existit adhuc specialis causa obscuritatis, elevatio nempe doctrinæ in qua multa continentur mysteria rationem nostram omnino superantia. — Ergo.

Ad demonstrandum autem quod liber per seipsum inefficax est, ut doctrinam aliquam *recte* simul et *plene* doceat, integre conservet et ab erroribus tueatur, satis est hoc notare : liber est organum doctrinæ mortuum, inanimatum, quod de nulla controversia circa interpretationem exorta judicat. Jamvero doctrina neque plene proponi neque intacte conservari potest sine hujusmodi judiciis; ergo. Bene hac de re dicit Becanus : « Si Scripturam consulimus, nihil aliud ipsa dicit, quam id quod semper » dixit : nullum iota, nullum apicem additura est. De eo autem » quod antea dixit, controversia est. Si ergo post ortam controversiam, Scriptura nihil novi dicit, sed manet in antiquis » terminis, certe per illam lis finiri non potest; sed necesse est » vel alium adire judicem, vel alteram partem litigantem sponte » cedere, vel denique utramque in lite perseverare. »

Hæc omnia maxime confirmantur ex iis quæ in civili ordine reperimus : ibi etiam habetur non nuda *lex* tantum quæ in libris est conscripta, sed et *consuetudo* quæ veri ejus sensus est custos, et *judex,* qui sententia sua controversias de legis interpretatione motas dirimit.

VI. Objectiones. 1° Secundum Catholicorum doctrinam, aiunt Protestantes, Ecclesia et Traditio collocantur supra S. Scripturam, et verbum divinum in Scriptura contentum ex eis firmitatem debet accipere; quod summe absurdum est.

R. Objectio hæc staret, si juxta Catholicos, de ipsius doctrinæ, quæ certe in Scriptura continetur, *veritate* judicandum esset ex ejus cum Traditione conformitate aut ex judicio Ecclesiæ; nam in hoc casu Traditio et Ecclesia vere collocarentur supra Scripturam ejusque doctrinam confirmarent. Atvero ope Traditionis et judicii Ecclesiæ non inquirimus an Scripturæ doctrina sit vera vel non, sed qualis sit Scripturæ doctrina, ita ut Traditio et Ecclesiæ judicium non sint nisi claves, quibus aperimus illam doctrinæ arcam, quæ Scriptura vocatur. Ergo ruit objectio. — Facile etiam tota res intelligitur, si a nobis quæramus, an con-

suetudo quæ sensus legum civilium est custos, et judex qui harum legum est interpres, sint ideo supra legem eique dent firmitatem.

Obj. 2° Christus, aiunt Protestantes, expresse damnavit Catholicorum systema, nam præcepit ut recurreremus ad Scripturas, tamquam ad judicem controversiarum : « *scrutamini*, dixit ad » Judæos, *Scripturas; et illæ sunt, quæ testimonium perhi-* » *bent de me.* » (*Joan.* V, 39).

R. Staret objectio, si Christus per hæc verba exclusisset omne aliud cognoscendæ revelationis medium, et simul docuisset Scripturas esse scrutandas, tota Synogogæ traditione atque etiam ipsa sua doctrina omnino sepositis. Atvero nullatenus id a Christo est factum; atque ita ruit objectio. Christus hic appellat speciali modo ad Scripturas, quia Judæi constanter in responsis suis ad eas appellabant. De modo autem, quo debebant Scripturas scrutari, hic nihil dicit, sed ex tota ejus de Ecclesia et de Traditione doctrina satis constat, quomodo ipse requisierit Scripturæ interpretationem supra propositam.

Obj. 3° Ipsi Catholici, aiunt Protestantes, S. Scripturæ testimoniis utuntur ad doctrinam suam de Traditione deque Ecclesia stabiliendam : ergo sibimetipsis contradicunt.

R. Valida foret objectio, si doceremus Scripturam tam obscuram esse ut sine Traditione aut Ecclesiæ judicio nihil ex ipsa cum vera certitudine haurire possimus; atvero longe abest ut hoc dicamus. Nihil aliud asserimus ac ipsam in multis locis tam obscuram esse, ut ob hanc causam jam non apte adhiberi posset ut *unica* et *suprema totius* fidei regula. Nulla ratione igitur e doctrina nostra fluit, quod, sicut Protestantes volunt, sufficientia argumenta e S. Scriptura desumi non possint, ad doctrinam nostram de Traditione et de Ecclesia stabiliendam.

§ III.

Q. Quænam sunt præcipua falsa systemata, quæ de S. Scripturæ interpretatione exorta sunt?

R. *Primum falsum systema est systema Protestantium jam sæpius memoratum, quod dicit authenticum et supremum Scripturæ interpretem esse unumquemque hominem libros sacros, Traditione et Ecclesia rejectis, cum Spiritus S. lumine scrutantum.*

Cum autem, admisso hoc Protestantium principio, jam cognosci amplius non possit, quinam libri ad Scripturam pertineant, quidam Protestantes, hoc consectarium perspicientes, inceperunt de libris S. Scripturæ liberius sentire, eos mox tractare uti libros non divinos sed humanos, et naturalismum seu rationalismum profiteri : quod successive ortum dedit hisce tribus interpretationis scripturisticæ falsis systematibus : nimirum, systemati Accommodationis, *systemati* Naturalismi *et systemati* Mythismi.

—

I. Explicatio responsi. *a)* Primum falsum systema, Protestantium videlicet, supra jam fuit propositum et confutatum.

b) Dicitur Protestantium systema sua natura duxisse ad libros Scripturæ tamquam libros humanos habendos, et ad naturalismum seu rationalismum amplectendum. Et revera id immediate fluit ex eo quod, rejecta Traditione ut fonte divinæ revelationis, nullum eis superest medium libros S. Scripturæ dignoscendi. In initio hoc consectarium non ita fuit animadversum, vel saltem, ne tota doctrina revelata rejiceretur, non fuit ad praxim deductum; sed, cum ex positis principiis conclusiones in eis contentæ tractu temporis necessario deducantur, sæculo XVIII plures Protestantes recesserunt a communi erga libros sacros veneratione, inceperunt hos libros cum eadem libertate ac scripta humana tractare, et mox lapsi sunt in naturalismi vel rationalismi doctrinam : unde præcipue tria circa Scripturæ interpretationem orta sunt systemata.

c) Primum systema dicitur *Accommodationis*, cujus pater

est *Semler*, professor in Halle (Germaniæ), m. 1791. Ejus opera de Scripturæ interpretatione pro titulo habent : *Apparatus ad liberalem Scripturæ interpretationem*. — Systema hoc in eo consistit, quod Christus, Apostoli et in genere omnes auctores S. Scripturæ partim erroribus, partim præjudicatis opinionibus, partim facultatibus hominum ad quos loquebantur vel scribebant, se accommodaverint atque ita falsa dixerint, ut hac ratione doctrinam suam acceptam redderent. Inde hujus systematis patroni contendunt ea omnia quæ in Scriptura affirmantur de dæmonibus, de angelis, de expectatione Messiæ, de ultimo judicio, de resurrectione mortuorum, per accommodationem esse dicta, ne opiniones hujus ætatis impugnari viderentur. Pariter omnia Scripturæ instituta, præcepta et facta supernaturalia dicunt esse falsa, sed juxta ideas et necessitates hujus temporis dicta. Uno verbo, per hoc systema excludunt id omne quod ipsis in Scriptura non placet, præcipue id omne quod supernaturale est.

d) Secundum systema, *Naturalismus* dictum, *Henricum Paulus* professorem in Heidelberg, m. 1851 ut auctorem habet. — Essentia hujus systematis sequentia complectitur elementa : non rejiciuntur quædam Scripturæ partes, quasi essent per accommodationem scriptæ, sed ea omnia, quæ supernaturalia sunt, ita explicantur ut naturalia facta aut dicta fiant : in quem finem nunc verba ad sensum ab usu et mente scriptoris alienum detorquentur, nunc circumstantiæ adduntur quas narratio ne quidem innuit, imo potius excludit, alibi autem expressæ ab auctore circumstantiæ negliguntur. — Ita ex. gr. hujus sententiæ patroni apparitionem angeli ad Zachariam admittunt, sed dicunt hæc omnia in somnio esse visa factaque, et totam narrationem merum esse somnium; — historiam Petri qui tributum ope pecuniæ miraculose in ore piscis inventæ solvit, interpretantur dicendo Petrum vendidisse aliquem piscem et ex illo pretio tributum solvisse; — narrationem *Matth.* XIV, 25,

ubi refertur Jesum ambulasse super mare, exponunt dicendo subintelligendam esse vocem *litus* inter *super* et *mare*, ita ut sensus sit, quod Jesus ambulabat *super litus maris*.

e) Tertium systema, *Mythismus* dictum, cum Naturalismus nimis arbitrarius videretur, introductum est per Eichhorn professorem in Iena, m. 1827, et promotum per De Wette, Strauss et Renan, qui loco vocis *mythus* adhibet nomen *legendæ*. — Hoc systema non deprimit supernaturalia facta et dicta ad naturalia, sicut Naturalismus facit, sed contra omnes supernaturales narrationes integras servat; verum eas fictitias declarat easque assimilat portentosis illis narrationibus seu fabulis, quæ reperiuntur in antiquis historiæ profanæ monumentis, et ex quibus constat *Mythologia* (Hæc late exposuimus in *Dem. Christ.* p. p. 295 et seq.).

II. Horum systematum argumenta. De primo Protestantium systemate jam satis diximus. — Quod nunc ad tria alia systemata attinet, ultimatim ipsa hoc uno nituntur argumento *a priori*, quod nempe revelatio divina, miracula, prophetiæ, uno verbo totus supernaturalis ordo est impossibilis : quo admisso, liquet libros sacros, qui rebus supernaturalibus sunt pleni, uno ex prædictis modis esse explicandos. — Afferuntur etiam, maxime ad mythicam defendendam interpretationem, quædam alia motiva, quæ præcipue sunt desumpta ex analogia populi judaici ejusque librorum cum populis et scriptis gentilibus, ex propria orientalium indole, qua illi maxime sunt propensi ad res exaggerandas et mythis ornandas, et ex contradictionibus quas adversarii existere contendunt inter Scripturæ asserta et naturales scientias.

III. Refelluntur hæc argumenta. *a)* Fundamentum horum systematum, scilicet repugnantia ordinis supernaturalis, confutatum est in *Demonstr. Christ.*, ubi probavimus revelationem, etiam illam quæ mysteria complectitur, miracula et vaticinia legislationemque supernaturalem esse possibilem. — *b)* Argumenta

ex analogia populi judaici ejusque librorum cum populis et scriptis gentilibus, atque ex orientalium indole deducta, si valorem aliquem haberent, valerent tantummodo ad ostendendum, potuisse apud Judæos libros mythicos existere, nullatenus vero ad probandum, revera Scripturæ libros esse mythicos. Atvero insuper nequidem ad illud valent, uti in *Dem. Christ.* probavimus. — *c)* Argumentum ex Scripturæ cum naturalibus scientiis contradictionibus desumptum, confutatum est a Scripturæ interpretibus. Notum enim est in rebus ab adversariis objectis, aut errores et contradictiones apparentes pro veris proponi, aut dubia et incerta naturalium scientiarum theoremata tamquam plane certa et indubia haberi, aut falsum vel saltem dubium sensum Scripturæ tribui.

CAPUT QUINTUM

De Sacræ Scripturæ usu

Q. Estne lectio S. Scripturæ omnibus fidelibus ad salutem necessaria vel saltem omnibus licita?

R. *Nulla ratione lectio Scripturæ est, sicuti Protestantes id contendunt, omnibus ad salutem necessaria; imo ex sapienti Ecclesiæ lege simplices fideles licite non possunt sine speciali ad hoc obtenta licentia, Scripturam in lingua vernacula legere, nisi versio a S. Pontifice sit approbata aut edita cum annotationibus desumptis ex S. Patribus, vel ex doctis catholicisque viris.*

I. Explicatio responsi. In hoc responso tria continentur asserta : *a)* Dicimus 1° Scripturæ lectionem non omnibus fidelibus esse ad salutem necessariam, sicuti Protestantes con-

tendunt. Protestantes, cum admittant Scripturæ lectionem ab unoquoque factam esse pro singulis fidelibus unicam et supremam fidei regulam, necessario docere debent, hanc lectionem omnibus ad salutem esse necessariam.

b) Dicimus 2° ex lege Ecclesiæ simplices fideles licite non posse sine speciali licentia Scripturam in lingua vernacula legere, nisi versio a S. Pontifice sit approbata aut edita cum annotationibus desumptis ex S. Patribus vel ex doctis catholisque viris. — Jam inde a sæculo XII in pluribus particularibus synodis prohibita fuit Scripturæ lectio in vernacula lingua; verum per *Regulas Indicis*, a Patribus Tridentinis confectas et a S. Pontifice approbatas, hæc prohibitio facta est universalis Ecclesiæ lex; quarta enim regula Indicis hæc habet : « Cum » experimento manifestum sit, si S. Biblia vulgari lingua passim » sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeri- » tatem detrimenti quam utilitatis oriri, hac in parte judicio » Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi » vel confessarii, Bibliorum a catholicis auctoribus versorum » lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos » intellexerint ex ejusmodi lectione non damnum sed fidei » atque pietatis augmentum capere posse.... Qui autem absque » tali facultate ea legere.... præsumpserit, peccatorum absolu- » tionem percipere non possit. Regulares vero nonnisi facultate » a Prælatis suis habita, ea legere possint. » — Hæc tamen lex a Benedicto XIV sequenti modo est temperata : « Si, ait » Benedicti XIV decretum, hujusmodi Bibliorum versiones » vulgari lingua fuerint ab apostolica Sede approbatæ, aut » editæ cum annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiæ » Patribus, vel ex doctis catholicisque viris, conceduntur. » Quoad hujus legis interpretationem, sequentia sunt natanda :

α) *Fideles*, quibus per hanc legem lectio S. Scripturæ in vulgari lingua interdicitur, sunt tantum omnes illi, qui munus non habent ut tamquam Ecclesiæ ministri verbum Dei populum

doceant, aut qui ad hoc munus se proxime non præparant, et inde simplices fideles vocantur. Iis omnibus, qui in Ecclesia munus habent plebem docendi aut ad hoc munus se proxime præparant, lectionem S. Scripturæ in vulgari lingua non esse prohibitam, deducitur ex Trid. sess. 22, c. 8, ubi mandatur, ut sacra eloquia frequenter inter Missarum solemnia vel divinorum officiorum celebrationem vernacula lingua explanentur; et plene confirmatur ex communi praxi, quæ in Ecclesia viget.

β) Per *linguam* autem *vernaculam* debet hic intellegi quævis lingua, quæ adhuc a populis adhibetur, seu quæ adhuc vivit : vernaculæ linguæ opponuntur linguis mortuis, quæ amplius a populis non adhibentur, quales sunt, lingua latina, græca, hebraica, etc.

γ) Inde liquet 1° unumquemque fidelem posse S. Scripturam legere in latina, vel græca, vel hebraica lingua et etiam versionem vernaculam posse adhibere modo a S. Pontifice sit approbata aut cum notis ex doctis et catholicis viris vel ex Patribus edita; 2° tantum simplicibus fidelibus prohibitionem factam esse circa Scripturæ lectionem, et eam solum sese extendere ad versiones vernaculas, quæ a S. Pontifice non sunt approbatæ aut non sunt editæ cum notis ex Patribus vel ex doctis et catholicis viris desumptis.

Bene tamen præ oculis habeatur, per aliam regulam Indicis decretis Benedicti XIV et Pii VII auctam, omnibus fidelibus prohibita esse omnes qualescumque Bibliorum editiones, versiones et commentarios a viris hæreticis emanentes; ac proinde in præsenti quæstione tantum sermonem fieri de versionibus a catholicis factis.

c) Dicimus 3° hanc Ecclesiæ legem esse bonam et maxime utilem; quod asserimus contra Jansenistas, qui ex odio in Ecclesiam contenderunt legem istam summopere damnosam esse pro fidelibus.

II. Demonstratur S. Scripturæ lectionem ad salutem non esse omnibus fidelibus necessariam. *a)* Id certe constabit si hujusmodi necessitas neque ex positiva Christi institutione, neque ex fidei œconomia deducatur; atqui ex neutro fonte deduci ea potest; quod ita demonstramus.

Certe nullum habetur Scripturæ aut Patrum testimonium, quod doceat Scripturæ lectionem omnibus fidelibus ad salutem esse necessariam. Appellant quidam protestantes ad verba Christi : *scrutamini Scripturas, (Joan.* V. 39); sed hæc certe non universale præceptum omnes fideles obligans continent, nam mere ad particularem casum respectum habent. — Præterea hanc necessitatem etiam ex fidei œconomia non fluere, pariter constat. Etenim cum sit instituta Ecclesia, quæ pro munere habet ut totam Christi doctrinam doceat, et cui omnes fideles se submittere debent, non apparet qua ratione Scripturæ lectio unicuique fideli posset esse necessaria : satis enim de scitu ad salutem necessariis quis per Ecclesiam edoceri potest.

b) Idem docemur ex S. Patrum doctrina : ita S. Augustinus dicit *(De Doctr. Christ.* L. I, 39) : « Homo fide, spe et charitate » subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget Scripturis, » nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in » solitudine sine codicibus vivunt. »

III. Demonstratur Ecclesiæ legem de Scripturæ in lingua vernacula lectione esse sapienter conditam. Prænotetur oportet, Ecclesiam certe potestatem habere, ut hac de re legem ferat. Etenim eorum omnium ad salutem mediorum usus, qui de se omnino necessarius ad salutem non est, et qui a Christo non fuit determinatus, ab Ecclesia ope legis determinari potest; jamvero Scripturæ lectio est hujusmodi medium ad salutem; ergo. — Verum an sapienter derterminavit Ecclesia usum hujus ad salutem medii? Sapiens erit ejus determinatio, si gravia habuit motiva ad suam legem ferendam et si nihil ultra metam justitiæ aut utilitatis statuit. Jamvero utraque conditio in

Ecclesiæ lege de Scripturæ lectione est impleta. Habuit certe Ecclesia gravia motiva ut ferret suam legem, habuit nempe præ oculis magnum numerum versionum, quæ in multis textibus erant corruptæ, et periculum in quo illi, qui nonnisi in lingua vernacula Scripturam legere possunt, versantur ut loco veri fructus potius detrimentum ex hac lectione percipiant. Dein nihil statuit Ecclesia ultra metam justitiæ aut utilitatis; nam cum Scripturæ textus in linguis antiquis raro sint corrupti, et illi qui illos textus possunt intelligere, ordinarie sat apti sint, ut cum fructu Scripturam legant, nemini prohibuit Scripturam in veteribus legere linguis. Aliter se habuisset res, si Ecclesia omnino prohibuisset Scripturæ lectionem; sed longe abest, ut hoc fecerit : moderavit tantum usum in quantum id requirebatur ad abusum tollendum.

IV. Objectiones. 1° Lectio Scripturæ est per se res bona et utilis; jamvero res bona et utilis nulla ratione potest prohiberi; ergo.

R. Objectio staret si lectio Scripturæ ita esset bona, ut nunquam sub aliqua ratione possit esse causa vel occasio mali; atvero talis naturæ non est Scripturæ lectio; nam sane fieri potest ob circumstantias plurimas, quales sunt illæ, quas supra enumeravimus, ut hæc lectio ansam præbeat etiam plurimis et magnis malis; ergo.

Instatur : propter aliquem malum effectum specialem non debet prohiberi rei usus.

R. Non debet utique totaliter tolli; sed manifeste licitum est eum moderare seu eum temperare.

Obj. 2° S. Patres proponunt Scripturæ lectionem omnibus fidelibus esse ad salutem necessariam; nam dicit S. Chrys. (*Hom.* 9 in Ep. *ad Coloss*) : « *omnes comparate vobis Biblia animæ pharmaca.* »

R. Hisce verbis commendat sane S. Chrysostomus Scripturæ lectionem ut optimum sanctitatis et salutis medium; sed qua

ratione demonstrari potest hæc verba necessario ita intelligenda esse, ut S. Doctor doceat S. Scripturæ lectionem esse medium omnino requisitum ad salutem? Id certe demonstrari nequit, ac proinde ruit proposita objectio.

CAPUT SEXTUM

De habitu inter S. Scripturam et Traditionem

Q. Qualis existit inter S. Scripturam et Traditionem relatio seu habitus?

R. *Si Scriptura cum Traditione conferatur, utraque invenitur eamdem habere auctoritatem; verum Traditio superat Scripturam sub respectu antiquitatis, extensionis et necessitatis.*

—

I. Explicatio et Demonstratio. *a)* Quod Scriptura et Traditio unam eamdemque habent auctoritatem liquet ex eo quod utraque a Christo ut fons, e quo doctrina sua esset haurienda, fuit instituta, atque insuper infallibiliter verbum Dei seu revelationem continet. — Præterea idem certo constat ex diserta Tridentini et Vaticani concilii definitione supra jam sæpius citata.

b) Quod Traditio Scripturam *antiquitate* superat, expresse docemur ex Evangelio et ex Ecclesiæ historia. Prius enim fuit revelatio divina a Christo ore prædicata et ab Apostolis Judæis gentilibusque ore annuntiata, quam sub Spiritus Sancti inspiratione litteris consignata.

c) Præstantia Traditionis ex parte *extensionis*, in oculos incurrit. Tota enim revelatio prædicatione apostolicæ succes-

sionis conservatur et transmittitur; sed non omnes revelatæ veritates inveniuntur in Scriptura.

d) Traditionem magis quam Scripturam esse *necessariam* vel ex hoc solo sequitur, quod sine Traditione cognosci nequit quinam sint omnes et singuli Scripturæ libri.

CONCLUSIO

Ex omnibus, quæ in hoc Tractatu sunt dicta, aperte constat totam doctrinam Christi, juxta ipsius institutionem, in duobus contineri thesauris, in libris nempe a Deo inspiratis seu in S. Scriptura, et in prædicatione Apostolorum eorumque successorum variis in monumentis conservata seu in Traditione. Hi duo thesauri sunt organa doctrinæ mortua : Scriptura nempe et prædicatio illa ab Apostolis eorumque successoribus facta, sunt quidem fontes e quibus per studium et verborum sententiarumque interpretationem, fidei doctrina hauriri potest, sed ipsæ non definiunt viva voce et cum auctoritate quid credendum sit neque controversias dirimunt. Ubi enim de sensu Scripturæ aut de interpretatione alicujus documenti Traditionis, v. g. alicujus decreti conciliaris aut doctrinæ Patrum, disputatio habetur, ipsa Scriptura aut ipsum illud documentum nihil aliud dicunt, quam id quod semper dixerunt. Unde quærendum nunc est utrum uniuscujusque fidelis sit, ut tamquam supremus judex in Scriptura et in Traditionis monumentis fidei doctrinam quærat et controversias de Scripturæ et Traditionis intelligentia dirimat, an vero existat viva auctoritas divinitus instituta, quæ munus habet ut tamquam supremus judex fidem proponat et omnes de fide dirimat lites; seu an existat Ecclesia a Christo instituta, quæ potestatem habet in omnes fideles, ut eis cum auctoritate definiat et proponat quid debeant credere eosque regat et gubernet. Hæc est materia Tractatus *de Ecclesia*.

Pro meliori rei intelligentia bene attendatur Traditionem vere esse distinctam a propositione fidei quæ actu per Ecclesiam fit. Traditio nempe se habet ad hanc propositionem uti doctrinæ fons ad vivam doctrinæ per magistrum propositionem. Id omne quod ad nostros usque dies per Apostolos eorumque successores prædicatum est, constituit Traditionem; et Ecclesiæ actu existentis est ex hac prædicatione quæ præcessit, fidem haurire; verum quod Ecclesia actu nunc existens proponit, pro futura generatione jam ad Traditionem pertinebit. — Notetur etiam, quod Traditio potuisset institui sine Ecclesia : sicut enim doctrina antiqui philosophi traditione potest innotescere, quin authenticus existat judex ad hanc doctrinam cum auctoritate proponendam; ita etiam, absolute loquendo, potuisset Christus Apostolis eorumque successoribus munus conferre doctrinam suam prædicandi, quin eis daret potestatem docendi cum auctoritate, fideles ad doctrinam suam accipiendam obligandi, eosque gubernandi.

Stemus et teneamus traditiones quas didicimus sive per sermonem sive per Scripturam (II *Thess.* II, 14).

INDEX

DE LOCIS THEOLOGICIS

SEU

DE DIVINÆ REVELATIONIS FONTIBUS

Pag.

PROŒMIUM 1

PARS PRIOR

De Traditione

PRÆNOTANDA 8

CAPUT PRIMUM. **De Existentia Traditionis.**

Q. *An præter S. Scripturam alius existit divinæ revelationis fons, Traditio scilicet, seu apostolicæ successionis prædicatio* . . . 10

CAPUT SECUNDUM. **De essentia Traditionis seu de mediis quibus revelata doctrina per Apostolorum successores conservatur et transmittitur.**

Q. *Quænam sunt media, quibus revelata doctrina per apostolicam successionem conservatur et transmittitur; et quænam sunt proinde promptuaria, unde doctrinam traditam haurire debemus.* 16

a) Symbola et Professiones fidei 17

b) Acta definitionesque Conciliorum, præcipue œcumenicorum, atque S. Pontificum 17

c) Scripta S. Patrum 18

d) S. Liturgia et totus cultus divinus 24

e) Acta Martyrum 25

f) Catechismi et Litteræ Episcopales 25

g) Doctrina Scholasticorum, Seminariorum et Universitatum. . 25

h) Historia Ecclesiastica 26

i) Catholicus consensus de aliquo fidei dogmate 27

Pag.

CAPUT TERTIUM. **De plenitudine revelationis christianæ et de tempore, a quo revelatio christiana fuit completa.**

Q. *An revelatio Christi ita est completa ut omne augmentum depositi fidei excludat, et a quo tempore hanc perfectionem obtinuit* 27

Q. I. Quomodo edocti sunt Apostoli a Spiritu Sancto, et quando : utrum Apostoli plenam cognitionem veritatum fidei acceperunt in ipso die Pentecostes per missionem Spiritus Sancti; an vero progrediente tempore aliquid ab Eo didicerunt, quod antea nesciebant 31

Q. II. An igitur a morte Apostolorum nulla nova fit revelatio. . 31

Q. III. Si depositum fidei semper idem manet, an ideo omnes fidei veritates semper eodem modo in successionis apostolicæ prædicatione continentur. 32

Q. IV. Quibus modis potest id, quod antea implicite tantum in Traditione continebatur, postea per Ecclesiæ prædicationem explicite proponi 4

PARS POSTERIOR

De S. Scriptura

PRÆNOTANDA 36

CAPUT PRIMUM. **De S. Scripturæ existentia.**

§. *An certo constat de existentia S. Scripturæ, hoc est de existentia librorum divinorum, quorum Deus est auctor per inspirationem.* 37

CAPUT SECUNDUM. **De essentia S. Scripturæ, seu de essentia divinæ inspirationis.**

PRÆNOTANDUM 45

§ I. *Quid intelligitur per inspirationem illam, qua Deus est Scripturæ auctor* 45

Q. I. An inspirationi essentiale est, ut homo inspiratus cognoscat se a Deo vere inspiratum esse. 53

Q. II. Quotuplici modo fit mentis illustratio. 54

Q. III. Qua ratione fit voluntatis motio, quæ ad inspirationem pertinet 56

Q. IV. Quomodo differt S. Scriptura a definitionibus infallibilibus Ecclesiæ. 56

§ II. *Quænam circa inspirationis essentiam existunt falsæ sententiæ* 60

a) De prima sententia. 61

b) De secunda sententia 64

c) De tertia sententia 67

d) De quarta sententia 70

Pag.

CAPUT TERTIUM. **De Sacræ Scripturæ Canone.**

PRÆNOTANDUM 76

§ I. *Quænam sunt criteria divinæ inspirationis a Protestantibus proposita; et quid de eis est judicandum.* 77

§ II. *Quale criterium proponunt Catholici* 79

§ III. *Si applicetur verum librorum sacrorum criterium, quis invenitur esse verus librorum S. Scripturæ canon seu catalogus* . . 84

§ IV. *Qualis est auctoritas versionis vulgatæ latinæ, qua Ecclesia occidentalis utitur* 92

SCHOLIA 102

CAPUT QUARTUM. **De S. Scripturæ interpretatione.**

§ I. *Quales sensus subsunt S. Scripturæ* 110

Q. I. An omnia quæ leguntur in S. Scriptura habent sensum typicum 126

Q. II. Quomodo innotescit sensus typicus. 127

Q. III. An ex sensu typico argumentum desumi potest ad fidei veritates demonstrandas 127

§ II. *Qua ratione est interpretanda S. Scriptura, seu qua ratione est fidei doctrina e S. Scriptura haurienda* 128

§ III. *Quænam sunt præcipua falsa systemata, quæ de S. Scripturæ interpretatione exorta sunt* 133

CAPUT QUINTUM. **De Sacræ Scripturæ usu.**

Q. *Estne lectio S. Scripturæ omnibus fidelibus ad salutem necessaria vel saltem omnibus licita* 137

CAPUT SEXTUM. **De habitu inter S. Scripturam et Traditionem.**

Q. *Qualis existit inter S. Scripturam et Traditionem relatio seu habitus* 142

CONCLUSIO 143

DEMONSTRATIO CATHOLICA

Requisita legis impleta sunt, ut servetur Auctori proprietas hujus operis.

THEOLOGIÆ FUNDAMENTALIS LIBER TERTIUS

DEMONSTRATIO CATHOLICA

SEU

TRACTATUS DE ECCLESIA

quem in usum suorum auditorum conscripsit

ILLUSTRISSIMUS AC REVERENDISSIMUS DOMINUS

HENRICUS-CAROLUS LAMBRECHT,

EPISCOPUS GANDAVENSIS, S. THEOLOGIÆ DOCTOR,
OLIM IN SEMIN. GANDAV. PROFESSOR, ETC.

GANDAVI,
EXCUDEBAT C. POELMAN, TYPOGRAPHUS ILL.^mi EPISCOPI.
1890.

PROPRIETAS.

IMPRIMATUR

—

Opus quod inscribitur **Demonstratio Catholica seu Tractatus de Ecclesia,** a doctissimo et desideratissimo Prædecessore Nostro exaratum, libenter imprimi permittimus, illudque disciplinæ theologicæ studiosis quam maxime proficuum fore confidimus.

† **ANTONIUS,** *Episc. Gandav.*

Gandæ 17 Junii 1890.

THEOLOGIÆ FUNDAMENTALIS LIBER TERTIUS

DEMONSTRATIO CATHOLICA

seu

TRACTATUS DE ECCLESIA

INTRODUCTIO

I. Locus et objectum demonstrationis Catholicæ. *In Demonstratione Christiana, a)* vindicatæ sunt possibilitas et congruentia religionis revelatæ et supernaturalis; *b)* proposita et explicata sunt criteria seu notæ, quibus dignosci potest aliquam religionem a Deo esse revelatam, adeoque veram; ac *c)* demonstratum est ejusmodi religionem existere; Deum nempe veram religionem jam revelasse primis hominibus; hanc primordialem revelationem evolvisse per Moysen et prophetas; ac tandem in plenitudine temporis misisse

in mundum Messiam, Verbum incarnatum, Jesum Christum, qui antecedentes revelationes complevit atque consummavit; novumque instituit cultum, qui cultus dicitur *christianus*.

Præterea, in tractatu *de Locis theologicis* probatum est totam doctrinam Christi, juxta ipsius institutionem, in duobus contineri thesauris, in libris nempe a Deo inspiratis, seu in *S. Scriptura*, et in prædicatione apostolorum eorumque successorum, variis in monumentis conservata, seu in *Traditione*. Isti tamen thesauri non sunt nisi *mortua* doctrinæ *organa*, quæ nec veritati pro variis temporum adjunctis declarandæ, nec controversiis interdum insurgentibus dirimendis per se sola sufficiunt. Unde quærendum nunc est utrum existat *viva* quædam *auctoritas*, divinitus instituta quæ munus habeat ut, tanquam supremus judex, fidem proponat et omnes de fide dirimat lites. Quum autem historia teste, plures existant societates, quoad multa inter se divisas, quæ omnes contendant apud se haberi authenticam religionis Christianæ professionem, altera statim oritur quæstio, sitne una ex istis quæ veram Christi religionem præ cæteris possideat et quænam tandem illa sit. (1).

Jamvero huic quæstioni nos omnes catholici respondemus, nos certa notitia cognoscere, et firma fide credere, quod existit societas, a Christo instituta, quæ doctrinam et cultum Christi integre et intacte servet;

(1) Cf. de Locis theolog. p. 143.

et quod hæc societas est *Ecclesia Catholica seu Ecclesia Romana.*

Dicitur : *certa notitia novimus;* nam, antequam credamus Ecclesiam Catholicam esse veram illam Ecclesiam a Christo institutam, oportet ut ratione duce id nobis innotescat. Etenim fides nostra in veritatem Ecclesiæ Catholicæ, fundatur in ipso hujus Ecclesiæ testimonio; ac proinde, nisi per rationis dictamen antecedenter nobis de ejus auctoritate constaret, non possemus in eam credere; nemo enim credit magistro, de cujus auctoritate sibi non constat.

Dicitur : *firma fide credimus;* nam in symbolo fidei, quem ab ipsa Ecclesia accipimus, legitur : *credo in Ecclesiam Catholicam.* Postquam nempe ratione duce agnovimus veritatem Ecclesiæ Catholicæ, recipimus ex ejus ore fidei christianæ dogmata, inter quæ recensetur *veritas Ecclesiæ Catholicæ;* ac proinde vero actu fidei in eam credimus. Unde patet penes omnes fideles haberi *antecedenter* rationalem persuasionem, et *consequenter* fidem de veritate Ecclesiæ Catholicæ.

II. Tractationis Methodus. Verum hæc notitia omnibus fidelibus communis, est rudimentaria, obscura et confusa; sufficiens quidem ad fidem, sed indigna nomine scientiæ. Theologia autem, quæ fidei est scientia, pro munere habet hanc rudimentariam notitiam, explanare, evolvere et perficere.

Inde patet nostram tractationem de Ecclesia non eo spectare, ut certiores nos reddat de veritate Ecclesiæ Catholicæ, nosque hic non procedere *via dubii;* sed

finem nostrum esse, scientificam dare evolutionem huic rudimentariæ notitiæ, quæ penes omnes est fideles. Ergo in disserendo non hærebimus dubii de veritate Ecclesiæ Catholicæ; sed exponemus scientiam de re, quam firmissima rationis persuasione et fide tenemus.

Alio autem modo se habet tractatio nostra respectu ad eos, qui increduli sunt. Ipsi enim nondum agnoscunt Ecclesiam Catholicam, ut veram Christi Ecclesiam; ac proin quoad eos nostra demonstratio illuc debet tendere, ut ipsos de veritate Ecclesiæ convincat, et ad fidem adducat. Unde etiam objectiones, quas ipsi affere solent, exponendæ et sedulo refellendæ sunt.

III. Divisio Materiæ. Hisce prænotatis, remanet dicendum, qua ratione de Ecclesia Catholica disserendum sit. — Id autem statim perspectum habebimus, si attente consideremus, hanc solum in nostro tractatu evolvendam et exponendam esse thesim : *Ecclesiam Catholicam seu Romanam esse veram illam Ecclesiam, quam Christus instituit.* Jamvero, ut hanc propropositionem scientifice explanemus, comparanda est Ecclesia Catholica, cum illa Ecclesia seu societate, quam instituit Christus uti depositariam suæ doctrinæ suique cultus. Verum ad hanc comparationem faciendam necessario requiritur ut perfecte noscamus tum ecclesiam prouti a Christo fuit instituta, tum ecclesiam catholicam, prouti hodiedum existit. Cujus rei perfecta scientia plura requirit. Oportet in primis, ut bene cognoscamus quid sit societas in genere : fieri enim non

potest ut quid plene cognoscamus, cujus ignoramus essentiam. Dein constare debet an revera Christus Ecclesiam instituerit, quibusnam dotibus eam ornaverit, et qua ratione a cœteris falsis sectis hæc Ecclesia Christi dignosci valeat. Tandem describenda est Ecclesia Catholica, prouti per historiam est nota et nobis nunc ob oculos versatur, et identitas ejus est demonstranda cum illa Ecclesia quam instituit Christus.

Ergo totum tractatum de Ecclesia Catholica in has quinque distribuimus partes.

1° Disseritur de societate in universum, de ejus proprietatibus essentialibus, deque variis ejus speciebus.

2° Demonstratur Christum Dominum auctoritate legislativa societatem instituisse in qua omnes sui discipuli coadunarentur.

3° Inquiritur de variis dotibus ac proprietatibus, quæ ex Christi institutione ad hanc societatem pertinent.

4° Investigatur quænam sint externæ istius societatis notæ, quibus ab aliis sectis dignosci valeat.

5° Ultimo describenda est Ecclesia Catholica; ita ut ostendatur in Ecclesia Catholica, et in ea sola, eas omnes reperiri notas, quibus vera Christi Ecclesia gaudeat.

IV. Explicatio vocis « Ecclesiæ. » Tandem ad calcem hujus introductionis, pro faciliori rerum intelligentia, quædam sunt notanda de nomine Ecclesiæ. Ecclesia, a verbo εκκαλειν, evocare, idem valet ac *evocatio*, et per

methaphoram vulgarem, *evocata multitudo* seu *evocatorum cœtus;* unde juxta litteralem et grammaticalem sensum quilibet cœtus vocari potest *Ecclesia.*

In SS. Litteris hoc vocabulum usurpatur tum sensu *profano*, tum sensu *sacro.* — *a)* Aliquando sumitur pro congregatione hominum quorumcumque, etiam improborum, uti patet ex *Ps.* XXV, 5. et *Act.* XIX, 32. — *b)* Aliquando notat locum, in quo fideles conveniunt ad Deum colendum, uti *Judith* VI, 22 — *c)* Plerumque, saltem in Novo Testamento, significat ipsum cœtum fidelium; sicut enim tempore Apostolorum, *synagoga* nomen fuit appropriatum congregationi Judæorum, ita nomen *Ecclesia* ab ipsis Apostolis fuit deputatum multitudini christianorum significandæ, ut res nova novam etiam et distinctam a congregatione Judæorum haberet appellationem.

Nomen autem *Ecclesia*, quatenus importat cœtum fidelium, multiplicem habet acceptionem, tum in Scriptura, tum in variis traditionis monumentis. 1° Significat omnes fideles in cœlo, in terra et in purgatorio; et ita dividitur in Ecclesiam *triumphantem, militantem* et *patientem.* 2° Significat collectionem omnium fidelium, quotquot ab initio mundi fuerunt, et ita dividitur in *Ecclesiam Veteris* et *Ecclesiam Novi Testamenti.* 3° Significat Ecclesiam militantem Novi Testamenti. Verum in hoc sensu varias adhuc obtinet significationes. Aliquando significat solos præpositos, maxime Episcopos cum S. Pontifice, qui vocantur *Ecclesia docens.* Aliquando etiam significat

omnes fideles seorsim ab Episcopis consideratos; et illi vocantur : *Ecclesia audiens*. Aliquando significat omnia membra Ecclesiæ seorsim a S. Pontifice considerata; aliquando universum Ecclesiæ corpus, capite incluso; aliquando universos fideles alicujus diœcesis. — In hoc tractatu vox *Ecclesia* generatim significabit *Ecclesiam militantem*.

PARS PRIMA

De societate in universum

CAPUT PRIMUM

Definitio societatis

I. Societas, uti ex communi loquendi usu constat, est cœtus hominum, conjunctis viribus, ad communem quemdam et determinatum finem tendentium.

II. Hæc autem definitio in aperto ponit, in societate tria distinguenda esse elementa constitutiva : *a)* Cœtus hominum; societas nempe non constituitur nisi hominibus; et ad societatem constituendam requiritur hominum pluralitas. *b)* Finis communis et determinatus; prima nempe conditio ut plures homines societate coadunentur, in eo est, ut habeant quemdam finem omnibus communem, qui, uti diximus in definitione, debet esse determinatus, h. e. ab omnibus notus. Nemo enim potest esse vere membrum alicujus societatis, cujus finem ignorat. *c)* Conjunctio virium sociorum in ordine ad obtinendum hunc communem finem. Ut nempe efformetur societas, non sufficit ut plures habeant communem quemdam finem, sed insuper requiritur, ut in eum tendant conjunctis viribus, sibi nempe mutuum auxilium præstantes. — Unde patet omnem societatem in hunc institui finem, ut reddatur facilior unicuique membro societatis assecutio alicujus finis, mediante mutuo juvamine. Homines in

societatem coadunantur, ut, ea mediante, obtineant id, quod per se solos obtinere non possent.

III. Ex hac definitione liquet : *a)* Personas plures esse *materiam* societatis; societatis vero *formam* esse earum personarum unionem. Ita in societate conjugali vir et mulier sunt materia; et eorum maritalis unio, ex contractu orta, est societatis conjugalis forma.

b) Finem, quem societas prosequitur esse partem ejus principaliorem; nam omnia quæ sunt in societate huic fini sunt subordinata, et ab eo sunt dependentia. Ita omnia media, quæ ad finem assequendum adhibentur, ab hoc fine dependent, et juxta ejus exigentiam sunt ordinanda.

c) Naturam omnis societatis determinari ab ejus fine, et eas societates necessario esse distinctas, quæ finem habent distinctum. Etenim finis est ratio seu causa societatis, et eorum omnium, quæ in ea sunt; ergo natura societatis necessario ex ejus fine determinatur.

d) Omni societati inesse officium, adeoque potestatem, juvandi sua membra in ordine ad attingendum finem communem; id enim essentiale est omni societati; quippe quæ unice ad mutuum juvamen præstandum et obtinendum constituatur. Cum autem societatis membra sint homines, ratione et voluntate fruentes, juvamen, quod ipsis præstari debet, consentaneum sit oportet rationali eorum naturæ. Juvari nempe debent juxta potentias, quibus agunt. Jamvero in primis agunt intellectu, ut quærant nempe media ad finem; ergo societas eos juvare debet quoad intellectum, indicando nempe media ad finem. Secundo agunt homines voluntate, qua decernunt arripere media ad finem ab intellectu proposita; ergo et quoad voluntatem juvare eos debet societas, attrahendo et quasi cogendo voluntatem, ut media recta ad finem adhibeat. Tertio agunt homines cæteris suis potentiis, quæ subsunt imperio voluntatis; et etiam in iis ipsos juvare debet societas, subministrando nempe varia subsidia, —

Ostendemus infra, quomodo ex juvamine isto præstando quoad intellectum et voluntatem, detur in societate perfecta, potestas legislativa, judiciaria et coërcitiva.

e) In omni societate potestatem esse subordinatam ejus fini; et proinde nullam in ea unquam dari potestatem quoad res, quæ ad ejus finem non pertinent.

CAPUT SECUNDUM

De variis societatum speciebus

Attento quod in societate dantur hæc tria *elementa*, pluralitas hominum, finis communis et determinatus, et vires conjunctæ in ordine ad hunc finem, variæ orientur societatum species, secundum varias conditiones, in quibus sunt hæc tria elementa. Insuper distingui etiam possunt societates a parte suæ *originis*.

I. A parte *membrorum* fit divisio in societates quæ habent cum aliis societatibus eadem membra, et eas quæ habent membra diversa. Ita Ecclesia habet uti membra sua eosdem homines, quos ut membra habet societas civilis; e contra una societas civilis habet alia membra, ac regnum a se distinctum. — Etiam a parte membrorum societas est *universalis*, se extendens nempe ad totum mundum; vel *particularis*, sese extendens tantum ad partem.

II. A parte *finis*, 1° datur societas *suprema* et societas *inferior*; secundum quod finis societatis est supremus aut inferior. 2° Datur societas *independens*, h. e. quæ alteri societati se non debet subjicere, et societas *dependens*, quæ saltem in aliquibus rebus se debet subjicere alteri societati. 3° Datur societas in suo ordine, seu quoad suum finem *superior*, h. e. quæ totum bonum temporale, aut totum bonum spirituale amplectitur; uti v. g.

societas civilis, quæ omne bonum temporale pro fine habet, et societas ecclesiastica, quæ omne bonum spirituale intendit; et societas *subordinata*, quæ partem tantum boni spiritualis, aut temporalis intendit, et idcirco omnino subjecta est societati in eodem ordine superiori.

III. A parte *mediorum*, seu virium coadunatarum, societas est *perfecta* aut *imperfecta*. Societas erit perfecta, si habet ea omnia, quæ necessaria sunt aut sufficiunt fini suo assequendo; quemadmodum quævis res dicitur perfecta, si iis sit instructa, quibus finem suum assequi potest. — Societas autem *imperfecta* est illa, quæ uno aut pluribus præsidiis ad finem necessariis destituitur. — Notetur autem notionem perfectionis, quatenus societatem respicit, non absolutam esse, sed ad finem referri. Quare inepta hæc foret illatio : societati civili maxime ad suam perfectionem necessarium est jus gladii; ergo imperfecta est societas conjugalis, utpote hoc jure carens.

Pariter a parte mediorum datur distinctio societatis *æqualis* et societatis *inæqualis*. Æqualis ea est societas, in qua ex æquo universi imperant, quatenus socii omnes moraliter iisdem omnino gaudeant juribus, iisdemque obstringantur officiis; inæqualis vero, in qua unus vel aliqui ceteris imperio præsunt.

IV. A parte *originis* datur distinctio societatis *legalis seu necessariæ, et* societatis *voluntariæ seu liberæ, seu pactitiæ*. Societas *legalis* seu *necessaria* est ea quæ instituta est vel jure naturæ aut voluntate superioris, et quam tenemur sub peccato, secundam eamdem illam naturæ aut superioris legem, ingredi. Hujuscemodi est societas quæ habetur inter parentes et liberos; necnon Ecclesia Christi, uti postea demonstrabitur. Societas autem *pactitia seu libera* instituitur ex libero sociorum consensu seu pacto, et idcirco necessario seu sub peccato non tenemur eam ingredi.

CAPUT TERTIUM

De potestate societatis perfectæ in sua membra

I. *Definitur potestas societatis perfectæ.* Societas perfecta habet jus (h. e. potestatem irrefragabilem rationi innixam), ad ea omnia quæ necessaria sunt ad finem suum plene attingendum, sed ad ea sola. Jamvero ad id requiruntur hæc tria : 1° ut media, quæ ad finem conducunt, obligatorio modo proponantur; 2° ut quæ proposita sunt, rite et secundum verum suum sensum applicentur; 3° ut socii ea applicare renuentes, vi adhibita, cogantur, et impedientes coerceantur. Ex quibus primum constituit potestatem legislativam; alterum potestatem judiciariam; et tertium potestatem coactivam. Ergo omnis societas perfecta habet potestatem *legislativam*, *judiciariam* et *coactivam.*

II. *Probatur societati perfectæ inesse potestatem leges ferendi.* Cum homines membra sint alicujus societatis, ut ejus ope facilius finem suum assequantur, necessario in ea debent accipere media ad hunc finem; jamvero primum medium est *lex,* quæ nihil aliud est ac *ratio agendi, obligatorie* societati *imposita* a legitima auctoritate, in ordine ad assecutionem finis. *Lege* nimirum subvenitur tum imbecillitati *intelligentiæ* in inveniendis mediis ad finem; tum inconstantiæ *voluntatis* in adhibendis mediis ad finem conducentibus; præterea ex lege etiam oritur conspiratio inter membra, siquidem cogit omnes ad idem medium in ordine ad finem adhibendum.

Animadvertatur hic differentia quæ intercedit inter *consilium* et *legem;* et quomodo mera potestas consilia dandi non sufficiat ad constituendam societatem perfectam. *Consilium* enim subvenit quidem imbecillitati intellectus, sed infirmitati voluntatis parum medetur. E contra lex juvat tum intellectum,

proponendo rationem agendi; tum voluntatem, imponendo hanc agendi rationem obligatorio modo. Obligatio enim in hoc consistit, quod agendi ratio, a lege præscripta, est necessario connexa cum fine ultimo, seu cum remuneratione a Deo post mortem obtinenda (quo in casu obligatio est conscientiæ), vel quod saltem est connexa cum pœnis temporalibus a legitima potestate infligendis (quo in casu lex vocatur mere pœnalis). Unde patet obligationem legis in hoc consistere, quod nisi exsequamur rem præceptam, fimus rei et incurrimus pœnas aut Dei aut saltem legis humanæ. Timor autem pœnarum movebit et excitabit voluntatem, ut legem sequatur atque amplectatur.

III. *Probatur societati perfectæ inesse potestatem judiciariam.* Potestatis judiciariæ hoc est proprium, ut inquirat an leges juxta eum modum et sensum, quo per potestatem legisferam latæ sunt, *applicentur;* quod duo involvit judicia : alterum de legum vero sensu; alterum de sociorum actionibus, utrum nempe prædicto legum sensui sint conformes, necne. Jamvero ut finis societatis obtineri valeat, requiritur non tantum ut leges ferantur, sed etiam ut leges latæ in casibus dubiis auctoritative explicentur; et examinetur auctoritative an socii fideliter observent leges. Auctoritativam enim legum explicationem postulant tum infirmitas intellectus nostri, tum passiones vel etiam malitia humanæ voluntatis, quæ non raro ansam præbent perversæ legum interpretationi, controversiis aut jurium collisionibus. Pariter parvam afferrent leges utilitatem, nisi societas haberet jus examen instituendi circa actiones sociorum ut eos corrigat et ad finem intentum adducat.

Notetur 1°. Potestas arbitralis essentialiter differt a potestate judiciali; etenim potestas arbitralis est mere directiva, et obligationem de se non inducit. Arbitratus enim est judicium privati cujusdam, quem contendentes eligunt, ut controversiam, quam inter se habent, componant. Ipsi tamen non tenentur ad exsequendum arbitri judicium, nisi ex fide sibi invicem data.

Notetur 2°. Nemo potest esse judex in propria sua causa, quia præcise in hunc finem quis ad societatem aliquam pertinet, ut ab aliis dirigatur per leges et judicia. Ille solus, qui societatis est caput, in iis rebus, quæ ad ipsum solum, uti societatis caput, pertinent, a nemine judicatur; secus enim haberetur progressus in indefinitum.

IV. *Probatur societati perfectæ inesse potestatem coercitivam*, seu potestatem infligendi criminibus debitas pœnas. Hanc potestatem societati perfectæ necessario inesse quoad ea crimina, quæ sunt contra legem mere pœnalem, nemo in dubium revocare potest; secus enim adesset potestas comminandi pœnas, sed non exsequendi; quod esset illusorium. Verum hæc potestas etiam societati inest pro legibus obligationem conscientiæ inducentibus. — Etenim pœna est justa vindicta, et reparat ordinem socialem turbatum; cum æquum non sit ut peccator felicitate fruatur. Insuper pœna seu privatio boni sensibilis quod hominem maxime allicit, perficit et leges et judicia, cum sensibili modo manifestam omnibus faciat deformitatem delicti, omnibusque suadeat illud utile non esse : quo pacto impulsum omnem ad delictum elidit, atque adeo a peccando homines deterret. — Liquet igitur societati perfectæ necessario competere potestatem coactivam, ut societas ad finem suum efficaciter tendere possit.

Verum societas non tantum habet jus coercendi eos qui ex malitia socialem ordinem turbant; sed habet etiam potestatem in eos qui vitio naturæ contra bonum societatis agunt, necnon in eos, de quibus certitudine morali constat, quod socialem ordinem turbaturi sunt. Inde habet jus segregandi morbo pestilenti affectos et recludendi amentes; et pariter potest leges ferre contra vagos, quia rationabiliter ab eis multa mala sunt timenda.

Ex dictis sequitur, *a)* societati perfectæ inesse jus coërcendi 1° eos omnes, qui malitia et contumacia assecutionem socialis

finis opere vel pravis exemplis impediunt. 2° Eos omnes, qui id faciunt, non quidem malitia, sed vitio quodam naturæ. 3° Eos de quibus certitudine morali constat, socialem ordinem ab eis turbatum iri.

b) Ex dictis etiam sequitur *crimen* esse actionem aut injustam omissionem auctori suo imputabilem, quæ ordinem socialem turbat; et *pœnam* esse malum passionis vel privationis, delicti causa etiam in invitos auctoritate publica inflictum, in ordine ad efficacius finem societatis attingendum.

CAPUT QUARTUM

De potestate societatis perfectæ in extraneos

I. *Inter extraneos,* alii sunt absolute extranei, ita ut nulla ex parte ad istam societatem pertineant; ita Belga absolute est extraneus a Republica Galliæ. Alii ex una parte societati devincti remanent, et ex altera parte ad eam non pertinent; tales sunt, qui in pœnam alicujus criminis e societate necessaria sunt ejecti, uti excommunicati in Ecclesia. Tandem alii plurium societatum simul sunt membra; et isti, quatenus sunt membra unius societatis, aliquo modo, seu abstractive, uti aiunt, sunt extranei alterius societatis, ad quam etiam pertinent. Hujuscemodi sunt fideles Ecclesiæ; ipsi nempe ab una parte sunt membra Ecclesiæ et ab altera parte sunt membra societatis civilis.

II. Ut definiatur quænam sit potestas unius societatis in alteram, attendi debet ad finem societatum; nam natura potestatis hic sequitur semper naturam finis; et societates ab invicem sunt dependentes, quemadmodum earum fines ab invicem dependent : e quo principio sequentia quæsita solvemus.

ARTICULUS I

Q. QUÆNAM EST POTESTAS SOCIETATIS PERFECTÆ IN EOS, QUI ABSTRACTIVE TANTUM AB IPSA SUNT EXTRANEI?

I. Distinctio debet fieri inter statum concordiæ et statum conflictus. Status concordiæ datur, ubi obligationes ab utraque societate impositæ sibi non contradicunt; e contra datur status conflictus, ubi illæ obligationes sibi contradicunt et proinde simul observari a sociis non possunt.

II. In statu concordiæ 1° una societas non potest impedire, quominus serventur leges latæ ab altera societate; quia supponitur finis utriusque societatis salvus; et nulla societas aliquam habet potestatem, præter id, quod ad finem suum est necessarium.

2° Societas, quæ fine suo est inferior, seu quæ intendit bonum minus nobile, debet saltem *negative* auxilium præstare societati superiori, h. e. nihil facere, quod repugnet ejus legibus; insuper debet, in quantum est composita iisdem illis membris, quæ ad societatem superiorem pertinent, etiam societati superiori positivum præstare juvamen quod hæc ad finem suum assequendum postulat. Dein ex sua parte societas superior debet juvare societatem inferiorem, in quantum id exigitur a proprio suo fine.

Hæc autem principia haud longa egent demonstratione. Quod enim societas inferior licite non potest leges ferre legibus societatis superioris oppositas, in oculos incurrit. Etenim societates sese habent inter se, uti earum fines; jamvero, nonne bonum (seu finis) inferius debet semper cedere bono (vel fini) superiori? — Pariter quod societas inferior iisdem membris constans ac societas superior, debet etiam positive juvamen præstare huic societati superiori, in quantum ipsa id exigit, a nemine in dubium revocari potest; etenim omnes socii alicujus societatis debent obedire ejus legibus; ergo tota illa societas inferior,

utpote totaliter constans membris societatis superioris, debet se ejus legibus submittere; ac proinde ea ipsi præstare, quæ juste ab ipsa postulantur. — Quod tandem societas superior debet societati inferiori auxilium ferre, in quantum id sibi proficit, sed nihil ultra, immediate ex eo sequitur, quod omnis societas debet de fine suo attingendo curam habere; jamvero, ubi auxilium fert societati inferiori, in quantum id sibi inservit, finem suum curat; ergo tenetur istud auxilium ferre societati inferiori. Non tenetur autem quid ultra suam propriam utilitatem societati inferiori præstare, quia secus ageret præter suum finem.

3° Ubi una societas alteri plene est subordinata, habens nempe finem inferiorem, et quidam in eodem ordine, societas subordinata debet, in quantum potest, societatem superiorem juvare : ex ipsa enim sua natura, est tantum medium inserviens ad finem societatis superioris. Sed societas superior non debet juvare societatem subordinatam præter id, quod exigit propria sua utilitas; secus enim præteriret finem suum.

III. In statu conflictus, 1° videndum est ad quamnam societatem res de qua ambigitur, pertineat. Judicium autem de hac quæstione, spectat ad societatem, quæ excellentiorem finem habet, reservato tamen inferiori societati jure, ea quæ sui intersunt, declarandi atque exponendi. Etenim absurdum foret ut in favorem minoris boni, majus bonum in discrimen vocaretur. Atqui revera in discrimen vocaretur, nisi in re dubia judicium societati superiori ratione finis reservatum esset. Verum etiam judicium rectum et æquum ferri non posset, nisi libratis hinc inde rationibus; et idcirco ii audiri debent, quorum interest.

2° Si illa ratione res componi nequeat, amica conventione tentanda est unio. Sed hæc ita fieri debet, ut nihil statuatur quod contrarium sit utriusvis societatis fini et constitutioni.

3° Si neutro ex præcedentibus modis concordia iniri possit, et summo jure agere velit utraque societas, tunc prævalere debet

illa, quæ altioris ordinis finem habet, et huic soli debent se submittere socii. Etenim ex duabus obligationibus eidem subjecto inhærentibus, quæ in conflictum devenerunt, ea prævalere debet, quæ majus bonum tuetur. Atqui duæ vel plures societates ex iisdem membris constitutæ, rationem habent plurium obligationum eidem subjecto inhærentium; atque ea societas majus bonum tuetur, quæ altioris gradus finem habet. Ergo ex duabus societatibus, quæ in conflictum devenerunt ea superare alteram debet, quæ altioris ordinis finem habet.

Hæc autem non obstant quominus societas minus sublimis maneat in suo ordine independens et perfecta; nam ejus finis, quamvis minus dignus et minus necessarius, pertinet tamen ad ordinem distinctum et in se completum.

ARTICULUS II

De potestate societatis perfectæ in eos, qui sibi sunt totaliter aut partim extranei

I. In statu concordiæ societas perfecta nullam habet potestatem erga eos, qui sibi totaliter sunt extranei; eos tamen aliquando ex charitate juvare potest, aut etiam debet, in quantum nempe omnes homines pertinent ad universalem societatem humanam, et proinde omnes ad mutuum juvamen jus habent.

II. In statu vero conflictus societatis perfectæ cum iis, qui ipsi totaliter sunt extranei, quæstio debet solvi, ita ut utriusque societatis jura maneant salva. Si vero jura sint incerta, quæstio non potest solvi nisi conventione, aut bello.

III. Societas perfecta in eos, qui partim extranei sunt, e. g. excommunicatos, servat potestatem suam ipsis imponendi leges, eos judicandi et puniendi; potest nempe et debet de eis curam gerere, ut acquirant finem suum. In praxi autem attendi quam maxime debet, quibusnam in materiis societatis perfectæ legibus isti extranei maneant subjecti; nam haud raro legislator eos non obligat.

PARS SECUNDA

Christus Dominus instituit Ecclesiam

CAPUT PRIMUM

Demonstratur Christum Dominum instituisse societatem, in qua coadunarentur sui discipuli

I. Status quæstionis. Hic demonstrare intendimus Christum Dominum doctrinam suam theoreticam et practicam non dereliquisse philosophorum disputationibus, sed eam a discipulis suis in unam societatem congregatis, integre acceptandam esse statuisse. Multi enim protestantes contendunt singulas quasque Ecclesias esse consociationes quasdam ex humana quidem conventione, at minime ex institutione Christi, forma externa donatas. Unde in Demonstratione catholica caput rei est ostendere quod Christus « societatem in terris constituit, quæ Ecclesia dicitur, cui excel- » sum divinumque munus in omnes sæculorum ætates conti- » nuandum transmisit, quod Ipse a Patre acceperat » (1).

II. Errores circa hoc punctum. Illi hæretici omnes qui inde a quinque fere sæculis, conati sunt evertere Ecclesiæ in docendo et in regendo auctoritatem, negarunt a Christo Ecclesiam institutam fuisse. Si enim potuissent demonstrare *omnes* societates, quæ christianas se dicunt, nonnisi ex humana provenire institutione, via illis fuisset aperta ad repellendam

(1) S. S. Leon. XIII Encycl. *Immortale Dei.*

auctoritatem infallibilem Ecclesiæ, ejusque potestatem independentem leges ferendi, judicandi et coërcendi; omnis enim societas ex humana tantum voluntate constituta, humanisque tantum viribus constans, potest errare, corrumpi atque casu quo corrumpatur, per vim expugnari.

Hac ratione sæc. XIV egerunt Wicclef in Anglia, Huss in Germania, tandemque sæc. XVI Lutherus ejusque asseclæ, qui omnes, ut facilius falsas suas doctrinas spargerent, Ecclesiam habuerunt uti meram societatem humanam, quæ ab hominibus constituta, ab iisdem potest dissolvi. — Quam sententiam secuti sunt omnes Protestantes in libris quos scripserunt tum de theologia, tum de jure canonico.

III. Demonstratio. 1° *e S. Scriptura. a)* Ex verbis Angeli de Filio Dei nascituro dicentis : « *Et dabit illi Dominus Deus* » *sedem David patris ejus et regnabit in domo Jacob in æter-* » *num, et regni ejus non erit finis.* » *Luc.* I, 32-33. Quibus verbis ab Angelo, Dei legato, prolatis aperte annunciatur Christum instituturum esse societatem. Dicitur nempe ab Angelo, quod Dominus daret Messiæ *sedem David patris ejus*; jamvero hic non agitur, ut ipse Christus declaravit coram Pilato, de regno terreno, quo antea David potitus erat, sed de regno speciali, cujus regnum Davidis fuerat typus. Dicitur Christum regnaturum esse *in domo Jacob*, quod significat litteraliter : *in gente ex Jacob orta, seu in gente Judaica*, sed typice id debet intelligi de Ecclesia seu societate fidelium Christi, cujus regnum theocraticum Judæorum fuit typus. Ergo Angelus annuntiat Messiam potiturum esse vero regno; et quidem non tantummodo, uti addit, per vitam suam mortalem; sed in æternum; unde liquet hanc societatem a Christo instituendam non finiendam esse cum ejus morte. Præterea hoc regnum non constituendum esse ab hominibus, sed a Deo, sequitur ex verbis : *Dabit illi Dominus Deus.*

b) Idem probatur ex verbis Christi : *Matth.* XVI, 18 : « *Tu es*

» *Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* » Hisce verbis declaret Christus inter Petrum et Ecclesiam suam easdem habendas esse relationes, ac inter petram, quæ fundamentum est domus, et ipsam domum super hoc fundamentum stabilitam. Jamvero hæc petra efficit ut domus non ruat, sed firmiter stet; ergo pariter Petrus efficiet ut discipuli firmiter consistant. Nunc autem hoc officium Petri, confirmandi nempe fideles eosque a lapsu in hæresim aut in peccatum præmuniendi, præcise exercetur per ipsorum in societatem coadunationem. — Liquet enim hic non fieri sermonem de firmamento materiali, sed de firmamento spirituali, quod nempe, uti supra vidimus, consistit in potestate legisfera, judiciaria et coactiva. Ergo hisce verbis promisit Christus institutionem societatis ad quam pertinerent omnes sui fideles, et cujus Petrus esset caput. Insuper, quod summi est momenti, Christus ipse se exhibet uti auctorem istius societatis; dicit nempe *ædificabo*, non autem *ædificabtiur*.

Idem demonstratur ex aliis istis verbis Christi ad Petrum : « *Et dabo tibi claves regni cœlorum et quodcumque solveris* » *super terram, erit solutum et in cœlis ; et quodcumque liga-* » *veris super terram, erit ligatum et in cœlis.* » *Matth.* XVI, 19. Metaphora : *dabo tibi claves regni cœlorum*, inde sumpta est, quod claves domus aut urbis apud eum solent esse, qui in domo vel civitate princeps est seu auctoritate gubernandi fruitur. Ergo his verbis significatur Petrum accepturum potestatem regendi et gubernandi; verum hæc potestas supponit societatem, in quam exercetur; ergo annuntiat hic Christus quod coadunaret fideles suos in societatem. Vox autem regnum cœlorum simpliciter significat *Ecclesiam*, non autem *cœlum*, uti patet e contextu; nam in cœlo nulla datur unius in alterum potestas. Ergo liquet Jesum hic annuntiare Petro, ipsum constituendum esse uti caput societatis, Ecclesiæ nimirum, quæ vocatur regnum cœlorum, utpote supernaturali modo institutum, atque ad cœlum tendens.

In verbis : *quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis,* habetur declaratio *nova* veritatis significatæ per metaphoram : *tibi dabo claves regni cœlorum.* Verba enim *solvere*, et *ligare* (λυω, δεω) non dicuntur de portis claudendis et aperiendis; imo licet in Scripturis sæpius occurrunt, nunquam obtinent sensum *claudendi* et *aperiendi.* Quapropter tenemus hanc figuram distinctam esse a metaphora antecedente; eamque *per se* plenitudinem jurisdictionis exprimere; quam explicationem ita demonstramus. — Verba *ligare* atque *solvere* directe exprimunt principaliorem partem potestatis, quæ inest societati perfectæ, potestatem nempe obligationem inducendi, seu ligandi voluntatem; et per vulgarem metaphoram, qua pars ponitur pro toto, hæc potestas ligandi atque solvendi ponitur pro tota potestate legislativa, quæ ut necessarium complementum habet potestatem judiciariam et coërcitivam. — Ergo hisce ultimis verbis : *quodcumque ligaveris* etc., idem exprimitur quod supra fuit expressum per metaphoras *fundamenti* et *clavium;* et aperte docetur Petrum habiturum esse plenam potestatem legislativam, judiciariam et coërcitivam in discipulos Christi; quæ potestas est vinculum quo omnes discipuli Christi in societatem coadunantur.

c) Jesus autem non tantum annuntiatus est ab angelo uti Ecclesiam habiturus; nec solum promisit se Ecclesiam instituturum; sed et *revera Ecclesiam instituit, a)* ubi dixit Petro : « *Pasce agnos meos, pasce oves meas* » (*Joan.* XXI, 16, 17); quibus verbis aperte contulit Jesus Petro potestatem antea ipsi promissam; *b)* ubi dixit Apostolis suis : « *Euntes in mundum* » *universum prædicate evangelium omni creaturæ. Qui cre-* » *diderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non credi-* » *derit, condemnabitur,* » quibus verbis confertur Apostolis *potestas* prædicandi evangelium in toto mundo; omnibus vero hominibus imponitur *officium* seu obligatio *in conscientia* acci-

piendi Apostolorum doctrinam. Atqui hisce mutuis inter docentes et docendos relationibus oritur et constituitur societas.

d) Quod Scripturæ Novi Testamenti de Ecclesia Christi tam aperte declarant, est splendida confirmatio vaticiniorum Veteris Legis. Ex innumeris locis, unum citamus psalmum II « *Quare fremuerunt gentes.* » In hoc enim psalmo a David prædicitur omnes populos, tam gentiles quam Judæos, in Deum ejusque Christum insurrecturos esse unanimi quidem sed irrito conatu; hunc autem Messiam, quum sit verus Dei filius, in regem unctus a patre, omnes gentes esse subacturum et in societatem suam recepturum.

Notetur in hac nostra demonstratione e S. Scriptura hausta, nos jam considerare libros Scripturæ tum uti inspiratos, tum uti libros historicos fide dignos. Cf. p. 1.

2° *ex monumentis historicis.* A nostra ætate ad Apostolos usque assurgentes, nullum reperimus tempus, in quo non prodeat aliqua societas, se a Christo institutam esse declarans. Huc referuntur narrata in *Actibus* Apostolorum et in Apostolorum *Epistolis*, successiones Episcoporum, universales Ecclesiæ praxes, acta conciliorum, scripta Patrum, templa, liturgiæ et ritus externi, quæ tot sunt splendida documenta Ecclesiæ jugiter existentis et se dicentis Ecclesiam Christianam. — Insuper apologetæ sæculi secundi et tertii, in suis scriptis christianam Ecclesiam designant uti veram Ecclesiam a Christo institutam, necnon ab humanis hæreticorum et schismaticorum sectis penitus distinctam. Adversarii vero gentiles ipsum factum institutionis Ecclesiæ a Christo nunquam impugnarunt, sed tantummodo Deum illius esse auctorem negabant. — Jamvero existentia perennis societatis cum jugi attestatione tum sociorum suorum, tum etiam exterorum, imo adversariorum, de hujus societatis a Christo institutione, est factum quod æquivalet testimonio constanti et universali, cujusvis conditionis hominum. Atqui hujusmodi testimonium accipi debet uti verum, nam secus rueret

omnis certitudo historica. Ergo historice demonstratur Christum Dominum vere instituisse societatem, in qua omnes sui discipuli coadunarentur.

CAPUT SECUNDUM

Demonstratur Ecclesiæ a Christo institutæ, eas omnes inesse partes, quæ ad societatis essentiam pertinent

Status quæstionis. Postquam generatim demonstravimus ex testimoniis S. Scripturæ, necnon ex humanis historiæ documentis, Christum suos fideles in societatem coadunasse; ad hanc veritatem evolvendam ulterius determinare nunc oportet, quomodo huic societati ex institutione Christi, revera insint omnes illæ partes, quæ essentialiter societatem constituunt; nimirum, pluralitas hominum, finis quidam communis et determinatus, ac tandem conjunctio virium.

I. Christus determinavit suæ societatis membra, hisce verbis ad Apostolos suos directis : « *Euntes, docete omnes gentes* » (*Matth.* XVIII, 19); et : « *prædicate evangelium omni creaturæ* » (*Marc.* XVI, 15). Inde enim patet omnes homines omnium temporum et locorum a Christo evocatos esse ut membra fierent suæ Ecclesiæ.

II. Christus præposuit suæ Ecclesiæ finem omnibus sociis communem. Finis nempe proximus, quem Ecclesiæ proposuit Christus, est sanctitas fidelium; et finis ultimus, mediante fine proximo obtinendus, est æterna beatitudo cœlestis. Utrumque liquet ex eo quod Christus appellavit Ecclesiam suam *regnum Dei, regnum cœlorum;* quibus appellationibus significatur regnum a Deo profectum et tendens ad cœlum, seu

regnum sanctitatis et cultus divini, quo mediante socii perveniunt ad æternam cœli vitam. Nullo enim alio pacto Ecclesia posset dici regnum Dei, regnum cœli, ac ratione principii et finis sui. — Præterea id expresse declaravit Christus dicens apud S. Joan. X, 10 : « *Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant.* » Vita hic est *gratia sanctificans* in hoc mundo, et *lumen gloriæ* in futuro sæculo; et inde dicuntur justi in hoc mundo et sancti in cœlo *frui vita* seu *vivere*, dum peccatores et damnati dicuntur *mortui*. Illud nempe dicitur *vivere*, quod habet principium motus seu actionis in seipso. Jamvero qui ornatur gratia sanctificante in terris, habet in se principium ponendi actus supernaturales; et qui fruitur lumine gloriæ, habet in se facultatem videndi Deum; ambo igitur, recte dicuntur *vivere vita supernaturali*. Quicumque autem utroque hoc supernaturalis motus principio destituuntur, recte dicuntur *mortui*. — Unde liquet Christum docere per verba citata, quod ipse unice venit in terram, Ecclesiamque suam instituit, ut omnes socii se sanctificarent, et ita obtinerent cœlum.

Idem clare exponit S. Paulus *Rom.* V. 22 : « *Habetis fructum vestrum* (finem proximum) *in sanctificationem; finem vero* (finem ultimum) *vitam æternam.* »

III. Christus voluit ut omnes sui fideles conjunctis viribus ad finem suum tenderent. Id procuravit Christus instituendo in primis potestatem jurisdictionis seu potestatem cum auctoritate docendi et gubernandi; et conferendo potestatem ministerii vel ordinis, seu quod idem est, potestatem ministrandi sacra. Hac enim potestate superioribus Ecclesiæ collata, jam existit in Ecclesia verum vinculum sociale; alii enim docent, alii docentur; alii gubernant, alii gubernantur; alii dispensant sacra, alii sacra ab aliorum manibus accipiunt; et ita datur juvamen mutuum inter socios.

Id etiam effecit Christus instituendo sacramenta, quæ consistunt in signis externis, et necessitate medii aut saltem præ-

cepti sunt suscipienda, sed quæ nemo sibimetipsi sine concursu alterius (excepto sacerdote, qui sibi in Missa ministrat S. Communionem) ministrare potest. Pariter instituit Christus sacrificium Missæ, cujus celebrationem nonnisi sacerdotibus commisit, ut hac ratione fideles ad sacerdotes recurrerent, et vinculum haberetur inter varia Ecclesiæ membra. Si enim omnes fideles possent celebrare Missam, sese certo non congregarent in templis, ut Missæ assistant, sed unusquisque pro se celebraret.

Tandem ad firmandum hoc vinculum sociale, inter Ecclesiæ membra, ab eis exegit etiam Christus externam fidei professionem dicens : « *Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei; qui autem negaverit me coram hominibus negabitur coram angelis Dei.* » *Luc.* XII, 8. Quæ confessio in Christum præcipue consistit in obediendo Ecclesiæ legibus, et in accipiendis sacramentis a Christo institutis. Cum enim hæc sacramenta sint externa, qui ea recipit, externe confitetur se adhærere Ecclesiæ a Christo institutæ, seseque Christi Domini esse discipulum. Per Baptismum scilicet constat quisnam Ecclesiæ tanquam membrum sit adscriptus; per Ordinem vero significatur quinam in Ecclesia sint superiores. Dein cætera sacramenta omnia : Confirmatio, SS. Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Matrimonium sunt manifestationes quotidianæ et successivæ evolutionis vitæ christianæ; qui enim Confirmationis sacramentum recipit, ostendit externe se fieri virum robustum sub vexillo Christi militantem; qui Eucharistia nutritur, exprimit se pertinere ad mysticum corpus Christi, seque unum quid esse cum Christo; qui Pœnitentiæ sacramentum recipit, confitetur se veniam sperare per merita Jesu, et Ipsum recognoscit ut unicum redemptorem suum; qui Extremam Unctionem accipit, recognoscit se velle de hoc mundo exire uti discipulum Christi; et qui Matrimonium in Ecclesia contrahit, externe confitetur se intendere Ecclesiam nova prole ampli-

ficare. Unde liquet Christum per sacramenta vero sociali vinculo omnes fideles suos coadunasse.

Attentis igitur juribus, quæ Christus Dominus Ecclesiæ superioribus contulit, necnon variis officiis omnibus fidelibus impositis, manifeste liquet fideles omnes perfecto sociali vinculo inter se esse ligatos.

PARS TERTIA

De dotibus et de constitutione Ecclesiæ a Christo institutæ

Materia tractanda. Postquam generatim demonstravimus Christum Dominum revera instituisse societatem seu Ecclesiam in qua omnes sui discipuli coadunarentur, et singillatim ostendimus huic societati vere inesse omnes notas, quæ societatis essentiam constituunt; ut plenam de hac Ecclesia obtineamus scientiam, inquirendum nunc est de ejus proprietatibus specificis, quibus nempe hæc Ecclesia ab aliis societatibus discriminetur.

Jamvero, cum in quavis re habeatur et *accidens*, seu modus essendi, et *substantia* seu *substratum*, cui ille modus essendi inest; utrumque cognosci debet, ut plena detur de aliqua re scientia. Idcirco hanc tertiam partem tractatus de Ecclesia, in duas distribuimus sectiones. In prima agemus de *dotibus* Ecclesiæ in se consideratis; et in altera sermonem faciemus de ipsa Ecclesiæ *constitutione*, seu de morali hoc corpore, cui insunt illæ dotes.

Notare juvabit, in tota hac parte, demonstrationes non esse repetendas e jure naturæ, seu nihil demonstrandum esse a *priori;* sed omnia esse haurienda e positiva voluntate Christi institutoris. Christi enim Ecclesia eam habet dumtaxat naturam specificam illasque proprietates habet, quas Christus ipsi inesse *voluit*,

SECTIO PRIMA

De Ecclesiæ Dotibus

Materiæ distributio. Cum omnia quæ ad definiendam aliquam societatem, ad hæc quatuor revocari possint : ejus necessitatem, ejus membra, ejus finem, et media communia ad finem; secundum hæc quatuor capita dotes Ecclesiæ scrutabimur.

Inde in primo capite, agemus de Ecclesiæ *necessitate*. In secundo capite inquiremus circa ea omnia, quæ ad Ecclesiæ *membra* spectant; ac proinde scrutabimur utrum Ecclesia sit universalis, an vero particularis; utrum sit perennis seu indefectibilis, an vero ad tempus tantum duratura; utrum comprehendat tantummodo justos, an vero etiam peccatores. — In tertio capite quæstio movebitur de *fine* Ecclesiæ; utrum sit supernaturalis, an naturalis; utrum sit distinctus a fine synagogæ; utrum sit distinctus a fine societatis civilis; utrum sit supremus; et ex responsis hisce quæstionibus dandis deducemus varias conclusiones. — Tandem in quarto capite inquiremus quibusnam Ecclesia instructa sit *mediis*, ut socios suos ad finem adducat; scrutabimur nempe an Ecclesia sit societas perfecta et independens, quamnam potestatem habeat, et qua ratione potestas ipsi insit, utrum nempe sit societas inæqualis, an vero æqualis.

CAPUT PRIMUM

De Ecclesiæ necessitate

ARTICULUS UNICUS

Ecclesia Christi est necessaria ex divina institutione, omnibus hominibus necessitate medii et præcepti; ita ut, qui in re aut in voto ad eam non pertineant, salvi fieri non possint.

I. Explicatio. Dicitur 1° Ecclesiam esse necessariam, seu necessario, ab iis qui volunt salvi fieri, ei adhærendum esse, non quidem propter jus naturæ sed *propter positivam Christi voluntatem;* 2° hanc Ecclesiam esse necessariam omnibus hominibus, sine exceptione ulla, usque ad finem sæculorum; 3° hanc necessitatem esse necessitatem medii *in re,* aut *in voto saltem implicito.* Pro iis qui ratione carent est necessitas *in re;* pro ratione autem utentibus est necessitas *in re* ubi ingressus in Ecclesiam est possibilis, *in voto saltem implicito* ubi ingressus in Ecclesiam est impossibilis. Unde infantes et amentes, qui ad Ecclesiam per baptismum realiter susceptum non pertinent, salutem assequi non possunt; pariter adulti ratione utentes qui ad Ecclesiam realiter non pertinent, aut non habent saltem eam intrandi votum implicitum in proposito firmo faciendi quidquid Deus ab ipsis exigit, non salvabuntur. 4° Hanc necessitatem etiam esse *præcepti* pro adultis ratione utentibus; et idcirco eos adultos qui in re aut in voto saltem implicito, ad Ecclesiam non pertinent, non tantummodo privandos esse visione beatifica, sed insuper peccati esse reos et idcirco positiva pœna esse affligendos.

Notetur id dici necessarium *necessitate medii,* sine quo,

etiam in casu quo omissio sit prorsus inculpabilis, salus obtineri non potest. Necessarium autem *de præcepto* id vocatur, cujus omissio inculpabilis non impedit assecutionem finis.

II. Demonstratio. 1° *e S. Scriptura a)* Ecclesiam esse *ex positiva Christi institutione* societatem *necessariam* patebit, si constat Christum habuisse potestatem talem ferendi legem, et eum hac potestate instructum et utentem hujusmodi legem tulisse; atqui utrumque constat e S. Scriptura. Ergo.

Quod nempe Christus non fuit tantummodo doctor sed etiam legislator, ipse expresse declaravit, apostolos suos ita allocutus : « *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* » (*Matth.* XXVIII, 18); quorum verborum sensus apertus est : accepi a Patre meo plenissimam et perfectissimam potestatem super omnem creaturam, quæ vel in cœlo, vel in terra, vel ubicumque est. Diserte ergo se fatetur Christus cœli terræque Dominum, non secus ac Joannes (*Apoc.* XVII, 14), eum vocat *Dominum Dominorum* et *regem regum*, et Petrus (*Act.* X, 36) eum appellat *omnium Dominum, constitutum a Deo judicem mortuorum et vivorum*. Quam potestatem ab *Antiquo dierum* Filio hominis dandam prædixerat Daniel VII, 14 : « *Et dedit ei potestatem et honorem et regnum : et omnes* » *populi, tribus et linguæ ipsi servient : potestas ejus potestas* » *æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non cor-* » *rumpetur.* »

Nec minus constat Jesum suprema sua auctoritate legem tulisse de ingredienda sua Ecclesia; nam postquam appellavit ad suam potestatem, dicens : « *Data est mihi omnis potestas in* » *cœlo et in terra* : » statim hoc mandatum tradit apostolis suis : « *euntes ergo docete omnes gentes ; qui crediderit et baptiza-* » *tus fuerit salvus erit; qui non crediderit condemnabitur.* » (*Marc.* XVI. 15, 16.) quibus verbis Christus expresse dicit fidem et baptismum esse suscipienda, seu Ecclesiam esse ingrediendam, ut salus obtineatur.

b) Ecclesiam necessario ingrediendam esse ab *omnibus* hominibus *usque ad finem sæculorum,* demonstratur ex iisdem illis verbis. Etenim Christus mandat Apostolis suis *ut doceant omnes gentes, ut prædicent evangelium omni creaturæ;* et quidem *in finem sæculorum,* nam addit : *ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20); de omnibus autem istis gentibus, quibus annuntianda est hæc fides, dicit : *qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* Ergo pro omnibus omnino hominibus ingressus in Ecclesiam Christi est ad salutem necessarius.

c) Quod vero ad modum attinet, quo ingressus in Ecclesiam sit necessarius, eum dicimus necessarium *necessitate medii*, et hoc ita demonstramus.

Ibi datur necessitas medii, ubi aliquid homini non tantum imponitur ut faciendum, sed ab eo exigitur, uti conditio ita requisita ad finem, ut ea, quavis ex causa, deficiente, finis non attingatur. Jamvero Christus ingressum in Ecclesiam per fidem et baptismum pro adultis, per baptismum solum pro ratione carentibus exigit, ut conditionem omnino requisitam ad attingendum finem ultimum. Ergo.

Etenim Christus non tantum jussit intrare in Ecclesiam, præcipiens ut omnes crederent et baptismum susciperent, sed expresse dixit : « *qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur.* » Inde liquet eos qui ante usum rationis moriuntur, quin per baptismum in Ecclesiam sint ingressi, salutem assequi non posse. In iis vero, qui ratione utuntur, ingressus realis in Ecclesiam supplèri potest per *votum.* Etenim, juxta generalem salutis œconomiam, nullus adultus sine actuali sua culpa damnatur; quum charitas perfecta semper cum plena peccatorum remissione conjungatur.

Idem demonstratur ex necessitate baptismi, quo Ecclesiam ingredimur. Jamvero susceptio baptismi omnibus hominibus est

necessaria necessitate medii, Christo dicente : « *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei* » (*S. Joan.* III, 5). Ergo et ipse ingressus in Ecclesiam necessarius est necessitate medii.

d) Ex dictis facile colligitur hunc ingressum in Ecclesiam esse necessarium etiam necessitate præcepti pro adultis; qui enim ex præcepto obligatur ad finem suum assequendum, simul obligatur ad media adhibenda huic fini necessaria. Jamvero demonstravimus ingressum in Ecclesiam esse necessarium necessitate medii; ergo et pro adultis est necessarius necessitate præcepti.

2° *ex Traditione.* Citemus in primis S. Augustini verba in sermone habito ad Cæsariensis Ecclesiæ plebem, præsente Episcopo Emerito, Donatista : « Extra Ecclesiam catholicam totum potest habere præter salutem. Potest habere honorem, potest habere sacramentum; potest cantare *alleluia*, potest respondere *amen*, potest evangelium tenere, potest in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti fidem habere et prædicare; sed nusquam nisi in Ecclesia catholica salutem poterit invenire. » Idem docuerunt cæteri Ecclesiæ patres, apud quos solemnis erat comparatio inter Ecclesiam et arcam Noe, extra quam nulla erat salus.

Hæc autem Ecclesiæ necessitas, quæ tam aperte demonstratur ex S. Scriptura, et tam luculenter docetur a Patribus, explicite proponitur ab Ecclesia catholica. In Conc. Later. IV contra Albigenses; in professione fidei prolata contra Waldenses; necnon in decreto Eugenii IV ad Armenos expresse docetur : *Extra Ecclesiam nullum omnino salvari.* Idem testatur Gregorius XVI in Brevi ad Episcopos Bavariæ, 27 Maii 1832, et Pius IX in allocutione habita 9 Dec. 1854.

Corollaria ex doctrina de Ecclesiæ necessitate deducta.

I.

Ubi asserimus æternam salutem sperandam non esse extra veram Ecclesiam Christi, nequaquam contendimus eos omnes damnari, quotquot decedunt extra communionem *externam* Ecclesiæ. Dicimus enim *a)* infantes et amentes decedentes sine baptismo tantum privandos esse visione beatifica, non autem puniendos esse pœna sensus; *b)* adultos ratione utentes posse salutem obtinere, mediante voto implicito baptismi seu ingressus in Ecclesiam. Jamvero hanc dispositionem possunt habere omnes; et illi soli eam non habent, qui positiva voluntate eam rejiciunt.

II.

Quale requiritur votum implicitum intrandi in Ecclesiam, ut quis salvus fieri possit?

Requiritur votum procedens ex fide in Deum. « *Sine fide*, ait S. Paulus (*Hebr.* XI, 6), *impossibile est placere* Deo. » Porro hic intelligendam esse fidem proprie dictam, in Deum revelantem, constat ex prop. 23ª damnata ab Innoc. III; nec proinde sufficit ut actus procedat ex mera naturali Dei cognitione, e creaturis hausta.

Verum potestne hæc fides dari in omnibus adultis? Pro illis, qui aliquando prædicationem evangelii audierunt, nulla datur difficultas; possunt enim quæ audierunt, vero actu fidei credere; atque ex hac fide concipere votum intrandi in Ecclesiam, eaque omnia faciendi, quæ Deus in hac revelatione ab homine exigit.

Major autem datur difficultas pro iis, qui nunquam evangelii prædicationem audierunt; et quæritur quomodo ipsi tale votum

habere possint? Ex communi quidem theologorum doctrina, necnon universali Ecclesiæ sensu, constat a Deo hosce homines non derelinqui sed auxilio opportune accepto, actum fidei elicere posse ita ut nemo sine propria culpa excidat e salute.

Verum de modo quo isti ad fidem perveniant, multum disputant theologi. Card. De Lugo *(De Fide.* Disp. XII, n. 50 et 51) putat notitiam quam habent homines omnes de Deo, rerum omnium auctore, et justo remuneratore, non unice haustam esse ex ratione, sed etiam ex universali traditione, quæ sit testis perpetua divinæ revelationis, et ut talis innotescat. Unde concludit hosce homines, agnoscendo Deum, elicere verum fidei actum, actum nempe adhæsionis veritati quam habent ut a Deo revelatam.

Multi autem alii theologi sequuntur hac in quæstione S. Thomam, qui probabilius censet Deum in infidelibus præsertim enutritis inter idololatras, qui de revelatione nihil audierunt, supplere defectum externæ propositionis interna illustratione. Hæc autem S. Thomæ sententia ita exponenda videtur : Deus nunquam denegat auxilium opportunum ut adducat infideles ad fidem, modo ipsi non peccent graviter contra legem naturæ. Si enim gravibus se inquinent peccatis, jam damnationis æternæ sunt rei per peccata sua personalia. Iis vero, qui servant legem naturæ, dabit Deus illustrationem intellectus supernaturalem, qua ipsis se manifestabit uti revelationis auctorem; et hoc modo isti infideles poterunt elicere actum fidei, atque ex fide concipere votum implicitum Ecclesiam ingrediendi. (Cfr. S. Thomas, Quæst. XIV de Verit. a. 11 ad 1, et Hugo a S. Charo, Scholia ad Rom. II, 12.)

Nonnulli etiam theologi opinati sunt ad salutem sufficere fidem implicite contentam in actu, quo quis agnoscit Deum ut supremum suum Dominum et Judicem, et se declarat paratum ad ea omnia præstanda, quæ Deus ab ipso postularet; ac proinde etiam ad credendum, quæcumque revelaret. De hac autem sententia dicemus postea, ubi de *fide et ratione.*

III.

Quibus omnibus perspectis, jam poterimus solvere quæstionem, an revera hæc doctrina : *Extra Ecclesiam non dari salutem,* cum divina bonitate et justitia componi non valeat; quod multi impii hodierni catholicis exprobrant.

Concedimus imprimis divinæ bonitati et justitiæ repugnans videri, quod homo sine propria sua culpa æternis pœnis ita addiceretur ut melius ipsi fuisset non existere quam ista frui existentia. Nam, cum Deus sit essentialiter bonus, et bonum sit sui diffusivum, non intelligitur quomodo Deus posset ita derelinquere creaturam suam, ut eam devoveret æternæ infelicitati sine propria ejus culpa, incurrendæ.

At contendimus secundum doctrinam hic traditam, neminem sine propria culpa infelici sorti in æternum devoveri.

Etenim in primis quoad infantes, qui sine baptismate e vita discedunt, dicimus quidem eos felicitate visionis beatificæ privari; sed hæc felicitas est donum supernaturale, naturæ humanæ indebitum quod Deus potest quidem ex benevolentia concedere, sed etiam sine injustitia negare. Verum nonne isti infantes, vere sunt infelices et æternis devoventur pœnis? Non negamus aliquos theologos censere istos infantes etiam quibusdam affici pœnis sensibilibus; isti tamen omnes contendunt hos infantes talem obtinere sortem, ut ipsis melius sit ita existere, quam non existere, et eorum sortem non esse sortem luctus et miseriæ. Dein hæc sententia est paucorum, communis autem inter theologos opinio firmissimis rationibus nixa, tenet hosce infantes nulla pœna sensus affici, et proinde plenam obtinere beatitudinem naturalem; quæ sententia irrefragabilia pro se habet argumenta, et fere sola a modernis defenditur theologis (1).

Quod nunc ad adultos pertinet, qui rationis usu fruuntur, ipsi

(1) Cf. Tractatus *De Novissimis.*

uti supra ostendimus, possunt, si velint cooperari gratiæ, ex fide concipere votum saltem implicitum intrandi in Ecclesiam. Idcirco, quando illi adulti, ratione utentes, damnantur pœnis inferni, propterea quod extra Ecclesiam sint defuncti, damnantur propter suam culpam, quia nempe voluntarie recusarunt observare hoc Dei mandatum de Ecclesia, saltem voto implicito, ingredienda.

Quibus attentis, nemo sane non videt hanc doctrinam : *Extra Ecclesiam non dari salutem,* ut bonitati et justitiæ divinæ repugnantem traduci non posse, nisi contendatur quodvis mandatum a Deo homini impositum adversari divinis attributis, aut Deum debere cœlum dare indistincte omnibus infantibus; quod a nemine serio potest defendi.

IV.

Haud pauci indifferentistæ hodierno tempore etiam impugnant nostram doctrinam de necessitate Ecclesiæ, dicendo hanc theoriam fovere *obscurantismum;* sed nimis liquet quam injusta sit hæc querela. Vera quidem foret objectio, si auctoritas Ecclesiæ docentis, cui fideles se debent submittere, esset mere humana; nam in hoc casu, cum omnis humanus intellectus errare possit, accideret aliquando ut cogeremur amplecti doctrinam falsam. Verum nonne est summe iniquum obscurantismi accusare eam Ecclesiam, quæ ut infra demonstrabimus, in docendo illuminatur a Spiritu Sancto? Nonne isti accusatores anteponunt lumen rationis creatæ, quæ multoties errat, multaque ignorat, lumini rationis increatæ, quæ est infinita, et cui omnia sunt nuda et aperta? Nonne e contra, grati in Deum propter summum ejus revelationis beneficium, debemus dicere cum Davide, Ps. XXII, 3, 4 : « *Nam et si ambulavero in medio* » *umbræ mortis, non timebo mala : quoniam tu mecum es.* » *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* »

V.

Contendunt etiam fidei nostræ adversarii hanc doctrinam de Ecclesiæ necessitate, charitatem in proximum destruere, et odia inimicitiasque in mundo generare. Verum quo jure id asserant, sane non liquet. Nocivum quidem charitati foret, si doceremus Ecclesiam esse necessariam, et nihilominus quosdam sine sua culpa ex ea excludendos esse atque idcirco in æternum pœnis inferni esse devovendos; sed hæc non est catholica doctrina.

Ecclesia declarat tantummodo quid necessarium 'sit ad salutem; declarat præterea nullum hominem a fine felici decidere sine propria culpa; et eadem illa doctrina mandat suis ministris et excitat omnes fideles, ut quantum possunt, se impendant conversioni totius mundi et æternam salutem omnibus procurent.

Quod autem dici solet, *tolerantia* utendum esse erga errantes, triplici ratione intelligi potest, prout respicitur vel tolerantia *dogmatica* seu *religiosa*, vel tolerantia *civilis* seu *publica et politica*, vel demum tolerantia *privata*.

1° Qui *tolerantiam dogmaticam* propugnant, contendunt omnes cultus eodem modo ad salutem conducere, nemini autem officium incumbere in Ecclesiam ingrediendi. — Hæc doctrina non solum, quoad primam partem saltem, repugnat rationi (ut ostensum est in Demonstratione Christiana, p. 100); verum in toto suo complexu, tum S. Scripturæ, tum Traditioni Christianæ adversatur (Cf. Syllab. a. 1864 prop. XV).

2° *Tolerantiam civilem* definivimus legum dispositionem qua variorum cultuum liberum permittitur exercitium (*loc. cit.* p. 99). Per se, igitur, non est doctrinalis, sed pratica tantum.

Estne hæc tolerantia civilis ut bona habenda? A vero sane aberraret, qui adeo præfracte libertati cultus inhæreret, ut non solum eam tolerandam contenderet, sed doceret ipsam omnino habendam esse loco veri juris, et fovendam propugnandamque, uti præsenti rerum conditioni progressuique promovendo ne-

cessariam; quod enim veræ religioni opponitur, quod hominem ita autonomum facit, ut eum divino solvat imperio, quod viam aperit erroribus et corruptioni, nequit nationibus prosperitatem et gloriam afferre. Atvero ab altera parte falso assereretur, illam libertatem cultus, imperantibus rerum adjunctis, ad majora mala vitanda nunquam tolerari posse, nam nemo tenetur aliquod impedire malum, quando ex hoc apposito impedimento fluerent pejora. Unde eadem ratione, qua potestas civilis intuitu majoris mali vitandi tolerare potest alios abusus, etiam tolerare potest, ubi adjuncta id postulant, libertatem cultus.

Tandem 3° *tolerantia privata*, respicit modum agendi singulorum cum iis, qui ad Ecclesiam non pertinent; et in eo consistit, ut cum benevolentia et amore eos externe etiam tractemus. Hæc sane licita, imo præcepta est, in quantum complectitur officia quævis charitatis in proximum; illicita autem fieret in eo casu, quo transgrederemur leges ab Ecclesia circa commercium cum iis qui extra Ecclesiam sunt statutas; aut casu quo modus noster agendi scandalum pareret.

CAPUT SECUNDUM

De dotibus Ecclesiæ sub respectu membrorum

—

ARTICULUS I

Christus instituit Ecclesiam suam universalem

I. Status quæstionis. Hic inquiritur utrum Christus voluerit Ecclesiam suam ad partem tantummodo mundi extendere, ita ut esset Ecclesia particularis; an vero voluerit ut Ecclesia sua se diffunderet per omnes gentes, seu esset societas *universalis*. Cui quæstioni respondemus Christum voluisse, ut Ecclesia sua se diffunderet per totum orbem. Hac in re differt Ecclesia Christi ab Ecclesia Judaica, quæ unam tantum familiam, gentem nempe ex Jacob seu Israel ortam comprehendit; cujusque leges huc tendunt, ut Judæos ab exterorum commercio separent.

Ad universalitatem pertinet 1° ut Ecclesia ita sit constituta atque comparata, ut *possit* communis fieri omnibus hominibus. 2° Ut ad id ex natura sua *revera* tendat, ideoque majorem semper ambitum quærat neque alios sibi limites præfigat, quam fines orbis terrarum. 3° Ut revera omnibus gentibus prædicetur, totumque orbem pervadat. Hic autem non intelligi debet universalitas physica; sed moralis, quæ sola possibilis est, quando de re agitur ad salutis œconomiam pertinente, salus enim nonnisi convictione et libera voluntatis submissione perficitur.

II. Demonstratio. Universalem Ecclesiæ destinationem ex parte Dei, nullis locorum aut nationum limitibus restrictam, demonstrant :

1° Vaticinia Veteris Testamenti. Prophetæ imprimis expresse

affirmant, quod omnes gentes pertinerent ad regnum Christi : ita in *Ps.* II, 8 legitur Patrem ad Messiam dixisse : « *Postula* » *a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem* » *tuam terminos terræ;* » ex qua sententia docemur, juxta decretum Patris cœlestis, regnum Messiæ extendendum esse, non ad unam tantum nationem, aut ad aliquot gentes; sed ad mundum universum. Idem docemur in *Ps.* CIX : *Dixit Dominus Domino meo,* in quo describitur Messias uti rex et sacerdos. — In hoc nempe psalmo, David, in extasim propheticam raptus, audit Patrem cœlestem hæc verba facientem ad Messiam qui in cœlum gloriose ascendit : « *Sede a dextris meis, donec ponam* » *inimicos tuos scabellum pedum tuorum;* » h. e. fruere nunc perfectissima quiete, suprema potestate regia, divinoque honore, dum ego interea tibi submittam seu ponam uti scabellum pedum tuorum, omnes inimicos tuos, seu eos omnes qui verum Deum non colunt. — Dein determinat Pater, quomodo extensurus sit regnum Messiæ : « *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus* » *ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum;* » quæ verba hunc habent sensum : *virgam virtutis tuæ* h. e. potentem tuam dominationem, extendet Dominus (Pater cœlestis) ex Sion, ubi initium sumet, in omnes hostium tuorum (gentilium) regiones, in quarum medio dominaberis. Quæ omnia optime in Ecclesia Christi verificata sunt : incepit nempe regnum Christi seu Ecclesia in urbe Sion seu Jerusalem, ubi Petrus in die Pentecostes, accepto Spiritu S^to^, primum prædicavit, et magnam hominum multitudinem Ecclesiæ aggregavit *(Act. Ap.* II). Ex Jerusalem vero profecti sunt apostoli in omnes nationes, ubique prædicantes, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis *(Marc.* XVI, 20). Tandem ubi Petrus sedem suam Christi vicariam Romæ fixit, et huic sedi romanæ dignitatem pontificiam annexuit, impletum est verbum : « *dominare* » *in medio inimicorum tuorum.* » Quum cultus idolorum intime esset connexus cum legibus et vita imperii romani, urbs

Roma non tantum imperii romani, sed et paganismi erat centrum. Idcirco in Apocalypsi depingitur tamquam *Bestia*, quæ præcipua est Christi inimica, et omnes gentes a Christo avertit.

Verum non *nude* nuntiant libri Veteris Testamenti, quod Ecclesia Christi extenderetur ad omnes gentes; sed insuper hanc Ecclesiæ universalem extensionem opponunt restrictioni synagogæ ad unam nationem judaicam. Ita apud *Malachiam* I, 10 legimus : « *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus* » *exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab* » *ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen* » *meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur* » *nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen* » *meum in gentibus.* » Quo in textu aperte opponitur cultui Judaico, qui rejicitur, cultus novus Deo exhibendus *ab ortu solis usque ad occasum, in omni loco, in omnibus gentibus;* (hebraice *goy*, quod in plurali speciatim dicitur de gentibus, ab Israel distinctis.) — Hic autem cultus universalis alius non est ac cultus Christianus, qui solus cultui Judaico subrogatus est. Quum autem cultus a Christo institutus complectatur necessitatem intrandi in Ecclesiam; extensio cultus ipsius non est distincta ab Ecclesiæ extensione. Ergo in hoc textu Malachiæ, universalitas Ecclesiæ particulari destinationi cultus mosaici manifeste opponitur.

2° Hæc universalis Ecclesiæ missio etiam aperte demonstratur ex verbis quibus Christus, Ecclesiæ institutor, alloquitur Apostolos : « *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra :* » *Euntes ergo docete* (μαθητευσατε, *discipulos facite) omnes* » *gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spi-* » *ritus Sancti* » *(Matth.* XXVIII, 18, 19). « *Euntes in mun-* » *dum universum prædicate evangelium omni creaturæ* » *(Marc.* XVI, 15).

3° Tandem universalitas Ecclesiæ deducitur ex aliis dogma-

tibus revelationis Christianæ. Etenim Christus Dominus sanguinem suum fudit ut mundum universum redimeret; et simul statuit neminem suæ redemptionis fore participem, nisi in Ecclesiam intraret; jamvero hæc duo inter se componi non possunt, nisi admissa Ecclesiæ universalitate.

Quod autem redemptio Christi fuerit universalis, expresse docemur ex S. Joanne, *Epist.* I, Cap. II, 2. : « *Ipse est propiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantum ; sed etiam pro totius mundi* ; » et S. Paulo I *Timoth.* II, 4, 5, 6 : « *Deus omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire ; unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* »

4° Hisce positis haud difficile erit in Ecclesia detegere tres illas notas quæ, uti in initio hujus articuli diximus, universalitatis dotem constituunt. In primis nihil obstat a parte *doctrinæ* aut *disciplinæ* suæ quominus hæc Ecclesia extendatur ad totum mundum; nam nihil docet aut præcipit, quod omnibus gentibus haud conveniat; neque etiam ex constitutione sua restringitur ad aliquam tantum partem mundi, uti olim lex Mosaica, in qua a Deo dictum legitur, *Exod.* XIX, 5 : « *Si audieritis vocem meam et custodieritis pactum meum, eritis mihi in* peculium *de cunctis populis.* » — Etiam a parte *constitutionis* Ecclesiæ nihil obstat, quum numerus Episcoporum, qui in Ecclesia veri sunt pastores et doctores, indefinite juxta varias rerum circumstantias, valeat angeri.

Præterea in Ecclesia Christi non solum nihil impedit, quominus se per totum mundum diffundat; sed ad hanc extensionem obtinendam ex sua natura tendit. Etenim docet salutem non posse obtineri nisi in ipsa; et ab altera parte imponendo unicuique fideli, præceptum amandi quemvis hominem sicuti seipsum, omnibus inspirat zelum ad convertendas gentes universas ad regnum Christi. Unde liquet, quod Ecclesia nullum

alium admittit ambitum quam ipsos fines mundi; et quod ex ipsa natura sua inducitur ut regnum suum quotidie dilatet.

Tandem hanc missionem convertendi omnes gentes, Ecclesiæ suæ expresse dedit Christus, mandans Apostolis suis ut prædicarent evangelium omni creaturæ. Ab initio autem se manifestavit hæc Ecclesia uti universalem; nam Apostoli, post ascensum Christi in cœlum, « *profecti sunt et prædicaverunt ubique*, » *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus* » *signis* » (*Marc.* XVI, 20), et Paulo ad Romanos scribens jam dicere non dubitavit : « *græcis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum.* » Quæ verba significant : hominibus omnibus sine ulla aut generis aut culturæ discrimine, debeo Apostolatus mei ministerium (Cf. *Rom.* I, 14).

III. Objectiones. Contra ea, quæ tum de Ecclesiæ necessitate, tum de ejus universalitate diximus, sequentia cum aliqua veritatis specie, objici possent.

1° E textibus S. Scripturæ : « *Qui crediderit et baptizatus* » *fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit condemna-* » *bitur.* » (*Marc.* XVI, 16); et : « *Nisi quis renatus fuerit ex* » *aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum* » *cœli* » (*Joan.* III, 5), demonstrari non potest Ecclesiam necessariam esse necessitate medii; nam secus dicendum esset, etiam Eucharistiam necessariam esse necessitate medii, quod omnes catholici negant. Etenim Christus Dominus eodem modo locutus est de necessitate sumendæ Eucharistiæ ac de necessitate ingrediendi in Ecclesiam, dicens : « *Nisi manducaveritis carnem* » *filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis* » *vitam in vobis* » (*Joan.* VI, 54).

Ubi varios hos textus attente consideramus, diversus dicendi modus, qui in eis apparet, sufficienter patefacit haud eodem modo necessaria declarari ingressum in Ecclesiam, et sacramenti Eucharistiæ receptionem. Etenim ubi Christus sermonem facit de Ecclesiæ ingressu, non tantum imponit hominibus man-

datum de ingredienda Ecclesia, sed absolute declarat hunc ingressum esse conditionem *sine qua non* salutis æternæ. Non definit quid homines debeant facere, sed quali in *conditione* debeant versari ut æternam valeant obtinere salutem. Dicit nempe ad salutem hanc conditionem absolute esse necessariam, ut quis credat et renatus sit ex aqua et Spiritu Sancto. — Idem dicendi modus habetur in hac sententia : « *Quorum remiseri-* » *tis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis retenta* » *sunt* » (*Joan.* XX, 23); hic etiam ponitur remissio peccati per absolutionem sacerdotis uti conditio *sine qua non* salutis æternæ. Non tantum imponit Christus fidelibus suis ut confiteantur sacerdoti sua peccata, sed declarat unicum medium obtinendi remissionem peccatorum post baptisma admissorum, esse absolutionem sacerdotalem, et proinde eam esse de necessitate medii.

E contra, ubi Jesus sermonem habet de Eucharistia sumenda, unice imponit mandatum, insistendo vehementer in mandati sanctione. Ubi nempe Jesus promiserat se daturum corpus suum et sanguinem in cibum et potum, murmurarunt Judæi dicentes : « *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad mandu-* » *candum?* » Et Jesus respondit eis : « *nisi manducaveritis* » *carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non ha-* » *bebitis vitam in vobis.* » Quibus verbis Jesus eos jubet manducare corpus suum et bibere suum sanguinem, sub hac nempe sanctione, quod secus vitam non haberent in se; vitam nimirum gratiæ, ad quam nutriendam instituta fuit Eucharistia. Non declarat hic Jesus conditionem *sine qua non* salutis æternæ; nam non habet sermonem de habitu quodam omnino requisito ad salutem, sed tantum lege definit quid fideles sui debeant facere. Atque idcirco Eucharistiæ sumptio non est de necessitate medii, sed de necessitate præcepti tantum.

Obj. 2° Catholici versantur in circulo vitioso, quando ad demonstrandam Ecclesiam appellant ad definitiones quas Ecclesia dedit de semetipsa.

Respondetur : hæc objectio valeret, si ista appellatione ad Ecclesiæ definitiones intenderemus hæreticos aut schismaticos de veritate Ecclesiæ Romanæ convincere ; verum in hunc præsertim finem harum definitionum memoriam facimus, ut *catholicos* plene instruamus de variis doctrinæ punctis, quæ de Ecclesia, per fidem admittere debent. Qua occasione hæc advertantur :

1° Ex tractatu de *Locis theologicis* jam constat Traditionem esse fontem authenticum doctrinæ a Christo prædicatæ. Quare ea monumenta ecclesiastica, quæ omnium consensu exhibent fidem cœtus Christiani, tuto afferri possunt ad demonstrandum quid Christus Dominus de Ecclesia sua docuerit. Huc maxime spectant scripta Patrum qui propius accedunt ad tempus quo Jesus inter homines versatus est. Fuerunt nempe discipuli ipsorum apostolorum ; eo vixerunt tempore quo adhuc vox Jesus quasi in auribus resonabat ; insuper prudentia et integritate ut doctrinæ Christianæ testes veraces summe commendantur.

2° Prophetiæ in *Demonstratione Catholica* adductæ, duplici ex capite ut divinæ sunt habendæ. Nam imprimis continentur libris quos a Deo inspiratos esse, in eodem tractatu de *Locis theologicis* probavimus ; et præterea ex *Demonstratione Christiana* jam constat prophetias Veteris Legis in persona Messiæ plene fuisse impletas. Jamvero prophetiæ eventus, ipsius prophetiæ veritatem et proinde divinam ejus inspirationem demonstrat. Ergo exinde etiam jam novimus veteris legis prophetias fidem mereri, et recte ex eis depromi argumenta.

ARTICULUS II

Christus Ecclesiam suam voluit esse perpetuam ad finem mundi usque

I. Explicatio. In antecedenti articulo sermonem habuimus de Ecclesiæ Christi extensione quoad spatium, nunc autem de ejus agimus extensione quoad tempus ; et dicimus Christum voluisse ut Ecclesia sua perenniter usque ad consummationem sæculi absque ulla substantiali mutatione existeret.

Ecclesia igitur Christi perenniter usque ad finem mundi existet necessario. At duplex potest distingui necessitas : *absoluta et hypothetica* : prima est ex ipsa rerum natura, independenter a quavis contingente hypothesi, et valet in quavis hypothesi : altera supponit aliquam contingentem hypothesim, ex qua sequitur. Necessitas vero existentiæ perennis Ecclesiæ est hypothetica; hypothesis nempe ex qua ipsa sequitur est institutio libera et voluntaria Christi, decernentis voluntate efficaci et inconditionata ut Ecclesia sua esset perennis. — Dictum est Ecclesiam perenniter exstituram absque ulla substantiali mutatione. Potest nempe aliquid desinere non tantum, totali rei, quæ prius erat, destructione; sed etiam substantiali ejus immutatione; res enim cujus substantia mutatur, desinit res esse quod prius erat. Perennitas igitur Ecclesiæ excludit tum totalem Ecclesiæ destructionem, tum substantialem ejus immutationem. Essentia vero Ecclesiæ unice determinata est a libera voluntate Christi conditoris, ita ut tamquam Ecclesiæ essentialia reputari debeant omnia illa, sine quibus Christus Ecclesiam esse noluit. Unde in Ecclesiæ perennitate includitur quod Ecclesia Christi non qualicumque ratione in existentia perseveret, sed semper talis sit, qualis secundum Christi voluntatem esse debet.

Ecclesiæ perennitas ab aliis vocatur *indefectibilitas*, quæ vox haud minus ac prior, plene exprimit Ecclesiam usque ad finem mundi exstituram, quin ullam essentialem subeat mutationem.

II. Demonstratio 1° *ex infallibili promissione Dei.* Deum cujus infallibile est verbum, Ecclesiæ promisisse perennitatem, expresse docemur e S. Scriptura. In *Isaia* IX, 6. seqq. legimus : « *Parvulus natus est nobis.... multiplicabitur ejus impe-* » *rium, et pacis non erit finis : super solium David et super* » *regnum ejus sedebit, ut confirmet illud.... amodo et usque* » *in sempiternum;* » et in *Daniele* II, 44 : « *In diebus regno-*

» *rum illorum suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum* » *non dissipabitur.... et ipsum stabit in æternum;* » et apud *Lucam* I, 32 : « *Dabit illi Dominus Deus sedem David* » *Patris ejus : et regnabit in domo Jacob in æternum, et* » *regni non erit finis.* » Jamvero collatis hisce textibus patet *a)* promitti regnum Christi in hac terra existens, quod uti ex innumeris aliis textibus constat, est cultui divino dedicatum, et ex hominibus salvandis collectum; et *b)* significari ibi non solum voluntatem Dei conditionatam, quod nempe semper sit futurum hoc regnum quantum est ex parte Dei, dummodo tamen homines velint; sed significari voluntatem absolutam, quæ effectum obtineat, efficiendo ut homines velint. Etenim non solum profertur decretum, sed prædicitur factum futurum; et veritas prædictionis postulat ut ipsum factum actu eveniat. Præterea, promissio hæc fit ipsi Christo, et quidem tamquam merces et præmium (Cfr. *Ps.* II, 8. *Isai* LIII, 10, 11; et *Luc.* XXIV, 25.); atqui promissiones hujusmodi sunt absolutæ; nam repugnat promissiones Christo merenti factas unquam frustrari propter hominum voluntates. Ergo.

Promissio perennitatis Ecclesiæ colligitur quoque ex verbis Domini, penes *Aggæum* II, 7, 8, quæ interpretatus est S. Paulus *Hebr.* XII, 25 seqq. Ibi enim oppositio instituitur inter fœdus vetus et novum sub hac ratione, quod vetus fuerit fœdus mobile, novum sit immobile; homines veteris fœderis Deus fastidiat et contemnat, homines viro novi fœderis charitate sibi devinciat; atqui hæc oppositio postulat absolutam perennitatem Ecclesiæ : ergo ex promissione divina, Ecclesia dicenda est perennis. — Verba autem S. Pauli sunt sequentia : « *Cujus vox* » *movit terram tunc, nunc autem repromittit dicens : Adhuc* » *semel et ego movebo non solum terram, sed et cœlum.* » *Quod autem : adhuc semel dicit, declarat mobilium trans-* » *lationem tamquam factorum, ut maneant ea, quæ sunt* » *immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus*

» *gratiam, per quam serviamus placentes Deo cum metu et* » *reverentia.* »

Christus expresse etiam promisit Ecclesiæ suæ perennitatem, ubi Apostolis suis dedit missionem prædicandi doctrinam suam omnibus gentibus; dicit enim : « *Euntes ergo docete omnes* » *gentes baptizantes eos.... Et ecce ego vobiscum sum usque* » *ad consummationem sæculi.* » Porro verba : *consummatio sæculi*, nemine diffitente, exprimunt mundi interitum; et vox *vobis* significat, uti liquet, Apostolos et successores eorum in missione sua; non autem ministros futuræ cujusdam Ecclesiæ, quæ Ecclesiæ Christi succederet. Ergo patet Christum Dominum promittere se semper futurum cum Apostolis eorumque successoribus usque ad finem mundi. — Nec potest opponi Christum Dominum tantum promittere hanc suam assistentiam, modo fideles sui et ministri sacri non deficiant; nam ex alio textu constat quod potestas diabolica non poterit evertere Ecclesiam, corrumpendo ejus membra. Dixit nempe Christus ad Petrum (*Matth.* XVI, 18.) : « *Tu es Petrus, et super hanc petram* » *ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non præ-* » *valebunt adversus eam.* » Istæ *portæ inferi* significant per synecdochen, *totam civitatem vel arcem inferni.* Tropus hic apud veteres erat valde usitatus, eo quod apud illos civitates munitæ in portis præcipue et impugnari et defendi solebant, ita ut, salvis portis, salva esset civitas. Unde ista expressio *portæ inferi,* hic significat : potestatem diaboli et eorum omnium qui a dæmone aguntur, aut ejus ductum sequuntur.

2° Ex propria Ecclesiæ indole. Etenim, uti supra demonstravimus, hæc Ecclesia est necessaria necessitate medii omnibus hominibus usque ad finem mundi. Jamvero non potest Deus velle ut hæc Ecclesia sit omnibus necessaria, si ipsa non existat perenniter; siquidem Deus seria voluntate omnium hominum vult salutem.

3° Ex constanti traditione, quæ clare apparet in antiquissimo

universalis Ecclesiæ symbolo : credo in sanctam *Ecclesiam catholicam*.

Hæc autem omnia argumenta non tantum valent ad probandum quod Ecclesia nunquam penitus deleretur, sed quod etiam nunquam ullam essentialem subiret immutationem; nam una solum essentiali nota mutata, jam aliud datur ens; nec amplius existit ens pristinum.

III. Errores. Ecclesiæ perennitatem negarunt multi Protestantes, non quidem hoc sensu, quasi Ecclesia omnino interiret, sed ita ut tali modo obscuraretur, ut ejus cœtus publicus amplius non appareat; quod quidem fecerunt, ut se expedirent ab ea quæstione, ubi nempe ante Lutheri reformationem, fuerit eorum Ecclesia.

Alii autem Protestantes, inter quos anabaptistæ, censuerunt Ecclesiam Christi transformandam esse per novam aliquam œconomiam, per tertiam nempe œconomiam, quæ Spiritus S^ti^ diceretur, et œconomiæ Christi succederet, sicut hæc successit œconomiæ Veteris Testamenti, quam œconomiam Patris vocant. Verum quam falsæ sint illæ opiniones manifeste liquet ex superioribus argumentis, quæ luculenter ostendunt œconomiam Christi esse immobilem, et usque ad mundi finem perseveraturam.

IV. Objectiones. 1° Apud S. Lucam XVIII, 8 legitur : « *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem?* » ergo in fine mundi penitus fides, et proinde etiam ipsa Ecclesia, quæ in fide nititur, deficiet.

R. Non affirmat hic Christus omnino defuturam esse fidem, sed sub dubitantis specie fidei raritatem significat. Ergo ex hoc textu nihil contra thesim nostram depromi potest.

Obj. 2° Nulla est diœcesis particularis, quæ non possit a vera fidei professione deficere; ergo et tota Ecclesia deficere potest.

R. Objectio valeret, si adversarii possent ostendere, toti corpori

nihil aliud competere, quam id quod competit singulis ejus partibus; verum ex theseos nostræ demonstratione, præcise liquet, factam fuisse a Christo promissionem perennitatis toti Ecclesiæ, quam e contra non legimus ab ipso factam esse singulis Ecclesiæ partibus. Cum igitur ex speciali promissione corpus Ecclesiæ perennitatis dotem acceperit; ex eo quod Ecclesiæ partes omnes singulatim sumptæ, possint deficere, non licet concludere easdem simul, sive totam Ecclesiam deficere posse.

ARTICULUS III

Ut quis Ecclesiæ membrum constituatur, requiritur ut baptismum suscipiat, fidei doctrinam ab Ecclesia propositam amplectatur interne et externe, et legitimos Ecclesiæ pastores interne atque externe agnoscat

I. Status quæstionis. Hucusque vidimus omnes omnino homines cujusvis nationis aut ætatis, ad finem mundi usque, a Deo vocari, ut Ecclesiæ a Christo institutæ fiant membra. Nunc autem quæritur quænam conditiones debeant impleri, ut quis Ecclesiæ sit membrum; jamvero huic quæsito respondemus has tres requiri conditiones. 1° ut suscipiatur baptismus; 2° ut admittatur fides ab Ecclesia proposita; et 3° ut agnoscatur Ecclesiæ regimen pro tempore existens; hæc autem fides et legitimorum superiorum agnitio, debent simul esse et externæ et internæ.

II. Demonstratio. Hasce conditiones requiri expresse docemur ex verbis Christi Domini *Marc.* XVI, 15, 16: « *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.* » Etenim ea quæ Dominus Jesus hic ab hominibus exigit, ut salutem assequantur, sunt simul, uti supra fuit ostensum, conditiones ad Ecclesiæ ingressum necessariæ. Jam

autem in eis præcise invenimus hæc tria quæ dicimus requiri, ut quis Ecclesiæ membrum constituatur. Expresse enim exigit Christus fidem in doctrinam ab Apostolis seu ab Ecclesia propositam, necnon baptismum, ac dein implicite declarat agnoscendum esse Ecclesiæ regimen pro tempore existens, cum imponat ut credant Apostolorum prædicationi et ab eis baptismum suscipiant. Postquam enim Jesus ad potestatem suam supremam appellans, Apostolis prædicandi et baptizandi missionem dedit, statim addit : *qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit;* quibus in verbis indubie sermonem facit de fide ab *Apostolis* proposita et de baptismo *ab eis* ministrato.

Verum debentne hæc fides et erga legitimos Ecclesiæ superiores submissio esse simul internæ et externæ, an sufficit ut sint externæ aut internæ ut quis Ecclesiæ membrum censeatur?

Juxta aliquos sufficiunt fides et submissio mere externæ; verum id videtur negandum; quia ingressus in societatem est quasi contractus, et contractus in se non valet, nisi per consensum internum. Ab altera autem parte etiam non sufficit actus mere internus, uti colligitur ex verbis Christi, mandantis Apostolis suis ut eos solos baptizarent, qui ipsis crederent. Jamvero Apostoli distinguere non poterant credentes a non credentibus, nisi per actus externos. — Ergo respondemus fidem et submissionem in superiores debere esse internas et externas.

Quibus statutis facile erit, varias solvere quæstiones, quæ de Ecclesiæ membris moveri solent.

Q. I. *Nonne charitas requiritur ut quis Ecclesiæ sit membrum; et proinde nonne Ecclesia solos justos comprehendit, excludens omnes peccatores gravi peccato reos?*

R. Multi hæretici a primis Ecclesiæ sæculis, uti Montanistæ et Novatiani contenderunt peccatores gravi peccato reos, Ecclesiæ adnumerari non posse; quam opinionem renovarunt et multis argumentis stabilire conati sunt Novatores sæculi XV. Isti autem omnes id fecerunt ut demonstrare possent

Ecclesiam Christi haud visibilem esse, et ita Romanæ Ecclesiæ auctoritatem rejicerent.

Verum falso prorsus asseritur statum gratiæ requiri, ut quis Ecclesiæ sit membrum. Etenim nullus datur Scripturæ locus, neque ullum datur Patrum testimonium, e quo aliquatenus id concludere liceret. E contra Christus Dominus, uti narrat Scriptura, sat clare indicavit in Ecclesia sua præter justos, etiam peccatores futuros esse; nam comparavit Ecclesiam suam *agro,* in quo cum tritico etiam zizania crescunt; *sagenæ* missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti bonorum æque ac malorum; *convivio nuptiali,* in quo comparuerat homo non indutus veste nuptiali, i. e. gratia sanctificante non ornatus (*Matth.* XIII, 24; — XXII, 11; — XVIII, 17). — SS. Patres quoque docent, Ecclesiam ex justis et peccatoribus constare. Sic S. Chrysostomus in Psalm. 39, dixit : « Alioquin nec ex » perfectis solum universa constat Dei Ecclesia; sed habet eos » etiam, qui otio et socordiæ se dederunt, mollemque et disso- » lutam vitam amplectuntur, et libenter serviunt voluptatibus : » et quoniam est unum corpus, tamquam ex una persona hæc » illa Ecclesia pronuntiat : comprehenderunt me iniquitates » meæ. »

Ergo falso asseritur ad Ecclesiæ membrum constituendum, præter illas tres notas, quas supra indicavimus, etiam requiri charitatem seu gratiam sanctificantem.

Q. II. *An recte docent Wicclef et Lutherus solos prædestinatos Ecclesiæ esse membra?*

R. Id prorsus est falsum. Nam ab una parte non omnes prædestinati sunt Ecclesiæ membra; multi enim sunt aut saltem esse possunt prædestinati qui pro tempore, Ecclesiæ nondum sunt membra. Ita S. Paulus, ubi tam dire Ecclesiam Christi prosecutus est, ejus membrum sane non fuit. — Nec ab altera parte soli prædestinati sunt Ecclesiæ membra, nam contingere potest, ut aliqui ad tempus sint viva Ecclesiæ membra, ac postea deficiant.

labantur in peccatum, et reprobentur, sicut Judas ex cœtu Apostolorum defecit et reprobatus fuit.

Q. III. *An hæretici membra sunt Ecclesiæ?*

R. Per hæreticos, eos intelligimus baptizatos qui spreta Ecclesiæ auctoritate, doctrinam, ab Ecclesia uti fide credendam propositam, pertinaciter rejiciunt. Illi vocantur hæretici *formales* ut distinguantur ab hæreticis *materialibus*, qui omnino inculpabiliter errorem fidei oppositum tenent. — Præterea illi hæretici formales aut materiales possunt esse aut *publici*, h. e. ab Ecclesia solemni judicio declarati, vel visibiliter alienæ doctrinæ adhærentes; aut *occulti*, qui in corde tantum aut clam errori in fide adhærent, sed id visibiliter non manifestant.

Jamvero de hæreticis formalibus publicis constat eos esse extra Ecclesiam; deest nempe in eis una e tribus notis, quæ requiruntur ut quis sit Ecclesiæ membrum, deest nempe fides, et quidem deficit totaliter, tam interne scilicet, quam externe.

Hæretici autem materiales occulti, certocertius ad Ecclesiam pertinent; nam in ipsis non deficit fides interna, quæ consistit in libero et obsequioso assensu mentis in revelationem Dei, sed unice eis deest recta notitia objecti materialis fidei; neque etiam in ipsis deficit, uti supponitur, fides externa.

Hæretici materiales publici, voto quidem seu animo ad veram Ecclesiam pertinent, sed realiter, ad eam non pertinent; una enim carent nota quæ Ecclesiæ membra ab aliis distinguit; carent nempe fide externa.

Hæretici formales occulti, a quibusdam censentur ad Ecclesiam pertinere, quia saltem externe fidem retinent; verum dicendum videtur eos nonnisi *putative*, non vero *realiter* de Ecclesia esse; nam Christus dominus tamquam conditiones in membris Ecclesiæ suæ requisitas, non tantum exegit fidem quamdam externam, sed fidem internam simul et externam. Ecclesia autem cum eis agit, quasi ad se pertinerent, quia de interioribus actibus judicium ferre non potest.

Q. IV. *An schismatici sunt Ecclesiæ membra?*

R. Per schismaticos eos intelligimus baptizatos qui legitimos Ecclesiæ superiores uti superiores suos agnoscere, pertinaciter recusant. Jamvero qui interne et externe schismatici sunt, prorsus sunt extra Ecclesiam, cum ipsis desit una e conditionibus, ad Ecclesiæ membrum constituendum, requisitis. Qui autem externe tantum schismatici sunt, voto ad Ecclesiam pertinent sed inter ejus vera membra computari non possunt; illi tandem qui interne tantum sunt schismatici, sunt putative Ecclesiæ membra quamvis revera ad eam non pertineant.

Q. V. *An excommunicati sunt Ecclesiæ membra?*

R. Uti ipsa vox innuit, excommunicati (excommunicatione nempe majori) a corpore Ecclesiæ abscinduntur, seu a communione Ecclesiæ excluduntur, et ideo membra Ecclesiæ non amplius manent. Posset autem quæri quomodo isti excommunicati sint extra Ecclesiam, cum tamen sint baptizati, possint servare fidem in Ecclesiæ doctrinam, necnon agnoscere Ecclesiæ superiores uti legitimos suos pastores et ita in se habere omnes illas notas quas Christus Dominus Ecclesiæ suæ membris inesse voluit? Verum facile solvitur hæc difficultas. Christus Dominus determinavit quidem conditiones, quæ omnino requiruntur ut quis sit Ecclesiæ membrum, sed non statuit, quod illi omnes, in quibus hæ conditiones implerentur, necessario et semper essent Ecclesiæ membra. E contra dedit Ecclesiæ suæ hanc potestatem, quæ omni societati competit, e sinu suo eos expellendi quos propter bonum animarum expellendos judicat. Ergo quamvis quis ex sua parte servet conditiones a Christo generatim statutas, potest tamen ab Ecclesia expelli per auctoritativam sententiam.

Q. VI. *An catechumeni ad Ecclesiam pertinent?*

R. In utramque partem hac de re in scholis disputatum fuit, verum re serio perpensa, dicendum omnino videtur, catechumenos voto quidem ad Ecclesiam pertinere, sed Ecclesiæ nondum

realiter esse membra, quia nemo Ecclesiæ adscribitur, nisi baptismum susceperit.

Quibus disputatis, totam quæstionem de Ecclesiæ membris hisce verbis possumus compendiose proponere : Christus Dominus tamquam conditiones requisitas ut quis sit membrum Ecclesiæ, statuit baptismi susceptionem, fidem internam et externam in doctrinam ab Ecclesia propositam et agnitionem internam et externam legitimorum Ecclesiæ superiorum pro tempore existentium. Unde sequitur peccatum mortale non obstare per se, quominus quis ad Ecclesiam pertineat, et proinde peccatores Ecclesiæ membris vere adnumerari posse. E contra Ecclesiæ non sunt membra *apostatæ*, utpote tum fide, tum submissione erga legitimos pastores destituti; *hæretici formales publici*, utpote fide interna et externa destituti; *hæretici formales occulti*, utpote fide interna destituti; *hæretici materiales publici*, utpote fide externa destituti; *schismatici formales, aut publici aut occulti*, utpote externe et interne, aut saltem externe vel interne legitimos Ecclesiæ superiores pro tempore existentes non agnoscentes; *schismatici materiales externi*, utpote externe legitimos superiores non agnoscentes; *catechumeni*, utpote non baptizati; et *excommunicati* excommunicatione majori, utpote per decretum superiorum ex Ecclesiæ sinu ejecti.

III. Corollaria. *a)* Hæresis essentialiter differt a schismate. Hæresis nempe in eo consistit, quod quis pertinaciter recusat ea credere quæ Ecclesia credenda proponit; schisma autem non supponit ut aliquod Ecclesiæ dogma negetur, sed in eo consistit quod quis legitimos Ecclesiæ superiores ut tales agnoscere nolit. Ergo in schismate non negatur talem aut talem potestatem Ecclesiæ competere, quæ ipsi reapse competit; sed illi, qui superiores in Ecclesia legitime sunt constituti, uti tales non agnoscuntur.

b) Schisma non consistit in mera insubordinatione contra superiorem ecclesiasticum, sed in eo, quod superior quidam

legitime constitutus, ut talis non agnoscatur. Et ita ille non est schismaticus qui Episcopo inobediens est; sed ille est schismate reus, qui Episcopum suum legitimum, uti Episcopum suum agnoscere recusat.

IV. Objectiones. 1° Theologi, qui contendunt hæreticos et schismaticos formales sed occultos, Ecclesiæ esse membra, ita doctrinam nostram impugnant : si fides externa, et externa superiorum legitimorum agnitio non sufficiant, ut quis Ecclesiæ membrum constituatur, nemini unquam certo constabit, quinam vere ad Ecclesiam pertineant ac proinde fideles non noscent an pastores sui vera Ecclesiæ sint membra, et idem ignorabunt pastores de suis fidelibus. Quod videtur esse absurdum et omnis boni Ecclesiæ regiminis eversivum.

R. *a)* Si allatum inconveniens sufficiens sit ad concludendum nihil aliud posse requiri, ut quis sit Ecclesiæ membrum, quam actus mere externos; idem illud valeret ad demonstrandum quod sacramenta valide ministrari possunt absque intentione interna. Etenim si ad validam sacramentorum collationem requiratur *interna intentio faciendi id quod facit Ecclesia*, non magis constabit quinam sint vere baptizati, quinam veri sacerdotes et Pontifices, quænam hostiæ valide sint consecratæ, ac constare potest quinam veram habeant fidem, et in corde legitimos Ecclesiæ superiores agnoscant. — Jamvero vera doctrina theologica tenet ad sacramenta valide ministranda requiri intentionem internam.

b) Inconveniens allatum, si verum esset, gravius foret in re sacramentali, quam in nostra materia. Etenim ubi sacramenta conferuntur sine intentione interna faciendi id quod facit Ecclesia, invalide conferuntur; et inde fideles summum damnum pati possunt; dum e contra ubi quis est vere baptizatus, sed externe tantum credit atque Ecclesiæ superiores agnoscit, inde fere nullum damnum oritur fidelibus; si enim talis accipit aliquod ecclesiasticum munus, illud valide exercebit, quia saltem omnis

baptizatus juridictionis est capax. Patet igitur, quod si allegatum inconveniens vere subsisteret, potius inde concludendum foret, sacramenta valide conferri sine intentione interna, quam ad ingressum Ecclesiæ sufficientem esse fidem externam et externam superiorum legitimorum agnitionem.

c) Istud inconveniens, quamvis primo aspectu magnum esse videatur, in se tamen momentosum non est. Etenim quamvis omnis homo possit aliud fingere exterius, quam quod sentit interius; tamen certissime ex legibus moralibus constat id non communiter, sed raro tantum, et a perditis hominibus fieri. Hic quidem non habemus certitudinem metaphysicam aut physicam sed certitudinem moralem, quæ versatur circa ea quæ communiter contingere solent, quamque solam habemus in toto commercio humano. Porro quamvis in singulis casibus accidere valeat ut a lege communi recedatur, licet tamen exceptionis possibilis practice nullam habere rationem, si prudens ratio non adsit ut deceptionem suspicemur. Ita, v. g. quum in diversorio dapes nobis apponuntur, non est impossibile eas veneno fuisse infectas; et tamen sine timore eas sumimus, quia judicamus id communiter contigere non solere. Idem dicatur de sexcentis aliis, quæ in humanæ vitæ cursu frequentissima sunt. Pariter quamvis absolute non constet, talem aut talem in particulari, vere ad Ecclesiam pertinere, certissime tamen constat non omnes neque etiam multos tantum ficte Ecclesiæ membra esse.

Præterea absoluta illa certitudo nequidem obtineri potest in casu quo externi actus sufficerent ut quis constituatur Ecclesiæ membrum; nam etiam posset dari fraus in istis actibus externis. Non est ergo cur in hoc incommodo multum insistatur; quia occurrit in tota humana vita, et in omni humano commercio.

Obj. 2° In republica civili et etiam in foro externo Ecclesiæ, actus omnes validi censentur in judiciis externis, dummodo externe serio et graviter positi fuerint.

R. Actus omnes in foro externo, tum civili tum ecclesiastico,

validos censeri, concedimus; verum cur censentur validi? Non quidem quasi in se validi essent sed quia secus ordo socialis servari non posset. Ita Ecclesia in foro externo validum judicabit matrimonium quoad formam externam serio et graviter contractum, quamvis unus e conjugibus affirmet se interne non præbuisse consensum. Constat tamen hoc matrimonium in se validum non esse et eos qui nonnisi hoc modo consensum præbuissent, haud sine gravi peccato matrimonio uti posse. Pari modo Ecclesia judicat eos sibi pertinere, qui externe credunt atque legitimos Ecclesiæ superiores agnoscunt, eisque jurisdictionem conferre posset; verum qui in hac conditione constituuntur jurisdictione sua uti licite non possent, quippe qui extra Ecclesiam versentur.

ARTICULUS IV

Recte distinguunt Theologi duplex elementum in Ecclesia, aliud interius, aliud vero exterius, seu animam et corpus; et inde etiam recte distinguunt duplicem Ecclesiæ aggregationem, quarum altera fit animæ, altera vero corpori Ecclesiæ

I. Explicatio et demonstratio. Quemadmodum in humana natura datur corpus et anima, et corpus in se vitam non habet, sed ab anima vivificatur (quæ vita in hoc consistit, quod corpus per actus suos ad finem quemdam tendit); ita in omni societate datur tum *cœtus socialis*, aptus de se ut tendat ad suum finem, sed ex se tamen non operans, tum mens hunc cœtum vivificans, seu ad actionem movens. Cœtus socialis, cum toto suo organismo, est corpus, quod de se est destinatum ad operandum; principium autem internum, seu voluntatis dispositio, ex qua agunt et moventur istius corporis membra, est societatis anima.

Quod autem datur in quavis societate, datur etiam in Ecclesia;

cum hac tamen differentia quod in cœteris societatibus, anima est ea naturalis dispositio voluntatis, e qua membra agunt; sed in Ecclesia principium e quo membra actiones ponunt, in ordine ad attingendum finem sibi propositum, sunt virtutes supernaturales infusæ a Spiritu S^to^, non vero dispositio mere naturalis; uti postea latius dicemus.

In aliis societatibus principium actionum habetur in sequentibus dispositionibus : in scientia nempe, in spe bonorum et timore malorum, et tandem in rei amore; nam homo ubi opus ponit, agit primario ex rei faciendæ scientia, sine qua nullus actus est possibilis; dein accedit spes boni aut timor mali, nam homo necessario tendit ad bonum suum, et tandem accedit amor perfectus aut imperfectus, et tunc re cognita, bono inde sperato, et re amata, homo agit.

In Ecclesia autem principium agendi habetur in virtutibus a Spiritu Sancto infusis, quarum prima est *fides*, secunda *spes*, et tertia *charitas*; quæ tres virtutes supernaturales correspondent illis tribus habitibus naturalibus : *scientiæ, spei* et *amori*. Porro habitus fidei, spei et charitatis simul infunduntur cum actibus propriis earum virtutum; quare opus non est ut spectemus seorsim actus ab habitibus. — Gratiæ vero actuales præparatio quidem sunt ad actus virtutum, et complementum habituum; quapropter et ipsæ ad animam Ecclesiæ referuntur; verum, si absque habitibus sint solæ, citra consensum voluntatis, animæ rationem non habent, siquidem anima necessario censetur esse *principium stabile, immobile et fixum vitæ*, et istæ actuales gratiæ, habitibus destitutæ, unice disponunt ad obtinendum tale principium, habitus nempe infusos a Spiritu Sancto.

Ex iis autem quæ hic notavimus sequentes deducimus conclusiones.

a) Aperte liquet in Ecclesia duo distingui elementa quæ sunt : 1° *Corpus sociale Ecclesiæ*, seu cœtus eorum hominum, qui

sunt baptizati, qui externe et interne credunt doctrinam ab Ecclesiæ propositam, et externe et interne legitimos Ecclesiæ superiores agnoscunt. Isti omnes homines hoc sociali vinculo inter se uniti, in ea versantur conditione, quam Deus in eis requirit, ut salutem obtinere valeant; sed ex eo solo, quod sunt membra Ecclesiæ, nondum operantur, in ordine ad salutem, seu nondum vivunt illa vita quæ Ecclesiæ est propria, vita nempe supernaturali et meritoria cœli; et idcirco vocantur Ecclesiæ *corpus*, non vero *anima*, simulitudine ducta a corpore humano, quod ex se est constitutum et ordinatum ut vivat, sed ex se vitam non habet.

2° *Anima Ecclesiæ*; h. e. virtutes supernaturales a Spiritu S. fidelibus infusæ; nempe *spes* et *charitas*. Isti enim habitus efficiunt ut Ecclesiæ membra operentur, seu vivant hac vita Ecclesiæ propria. Qui enim credunt, sperant et amant, continuo ponunt actus, quibus merentur cœlum; et inde dicuntur vivere; habitus autem isti, qui hanc vitam efficiunt, dicuntur *anima*, similitudine ducta ab humana natura, in qua anima corpus vivificat.

b) Etiam liquet distinguendam omnino esse quoad membra, duplicem Ecclesiæ aggregationem, aliam nempe corpori, aliam animæ Ecclesiæ. Cum autem organismus socialis Ecclesiæ sit ejus corpus, illi omnes ad corpus Ecclesiæ pertinebunt, qui huic per baptismum sunt inserti, fidem Ecclesiæ interne et externe amplectuntur, legitimos ejus pastores interne et externe agnoscunt, et per excommunicationem majorem ab Ecclesia separati non sunt.

Ad animam autem Ecclesiæ primario pertinent, ut dictum est, qui habent fidem, spem et charitatem, seu qui sunt ornati gratia sanctificante. Secundario autem ad animam quoque pertinent, illi omnes qui hanc supernaturalem vitam, aliquatenus, id est, per spem et fidem vel saltem per fidem, participant; in quibus duabus virtutibus, inchoatio habetur vitæ supernaturalis.

Quum juxta sententiam, quam supra defendimus nemo ad corpus Ecclesiæ pertineat, nisi et interne et externe fidem ab Ecclesia propositam amplectatur, liquet inde concludendum esse, quod illi omnes qui ad Ecclesiæ corpus pertinent, etiam inchoative, scilicet per fidem, pertinent ad animam ejus. — Optime autem potest quis pertinere ad animam Ecclesiæ, quin *realiter* pertineat ad ejus corpus. Etenim illi omnes, qui intrare in Ecclesiam non possunt, sed votum habent intrandi in eam, et insuper sperant in Deum Eumque diligunt amore perfecto, plenarie pertinent ad animam Ecclesiæ, utpote viventes vita supernaturali et meritoria cœli.

Ita ad animam Ecclesiæ pertinere possunt infideles qui desiderant suscipere baptismum, hæretici et schismatici qui in bona fide versantur. Verum nemo ad animam Ecclesiæ pertinere potest, quin saltem voto pertineat ad Ecclesiæ corpus.

c) Corpus Ecclesiæ est principium formale *societatis*, seu illud est Ecclesiæ essentiale, ut ipsa sit societas mediumque idoneum hominibus pro consequenda sanctitate; anima autem est principium formale vitæ supernaturalis in membris; quod membris est necessarium ut illud assequantur, propter quod ad Ecclesiam sunt vocati.

d) Ubi quæstio est de necessitate intrandi in Ecclesiam, ad salutem obtinendam (quam quæstionem supra solvimus), non agitur, uti patet, de necessitate pertinendi ad animam Ecclesiæ; nam hac de re dubium moveri a nemine potest. Etenim anima Ecclesiæ est principium vitæ supernaturalis et justificationis; et nemo sine gratia sanctificante potest obtinere salutem; ergo repugnat, ut quis fieret salvus, qui ad animam Ecclesiæ non pertineret.

Verum quæstio movetur de corpore Ecclesiæ, an nempe necessarium sit, et quomodo sit necessarium ut quis ad salutem æternam obtinendam, ad Ecclesiæ corpus pertineat; et ad hanc quæstionem solvendam diximus : ingressum in Ecclesiam in re aut saltem in voto necessarium esse necessitate medii; seu

Ecclesiam esse medium necessariam necessitate medii adhibendum ad salutem obtinendam. Quia nempe principum vitæ supernaturalis ex voluntate Christi solum vivificat Ecclesiæ corpus, et cum ipso quid unum efficit; ut influxus istius principii simus participes, debemus ad corpus istud pertinere. Quemadmodum in humana natura, anima non vivificat nisi corpus sibi unitum, ita et anima Ecclesiæ seu habitus infusi non vivificant nisi eos, qui corpori Ecclesiæ sunt inserti, aut in re, aut saltem in voto, uti supra fuit dictum.

ARTICULUS V

Ecclesia, quam Christus fundavit, essentialiter et perpetuo visibilis est

I. Explicatio. Quid intelligimus in hac quæstione per *visibilitatem* Ecclesiæ? Hic agimus de visibilitate illa, quæ vocari solet *materialis*, et quæ in hoc consistit, quod membra ex quibus Ecclesia constituitur visibilibus quibusdam vinculis colligantur, ita ut Ecclesia constituat societatem ab hominibus cognoscibilem, seu de qua homines cognoscere possunt, quod existat, ubinam existat, quomodo constituatur, quinam ad eam pertineant etc. — Alia autem datur visibilitas quæ *formalis* dicitur, et quæ in hoc consistit, quod Ecclesia Christi non tantum cognosci possit ut existens, sed etiam uti *vera* Christi Ecclesia, uti illa nempe Ecclesia quæ inter omnes cæteras illas diversas Ecclesias, quæ se christianas dicunt, sola jure id de se affirmat. De hac visibilitate agemus in ultima parte tractatus, ubi ostendemus notas veræ Ecclesiæ Christi, soli Ecclesiæ Romanæ competere. — Defendimus autem hanc visibilitatem materialem esse Ecclesiæ essentialem, et proinde etiam constantem seu perpetuam.

II. Errores. Circa Ecclesiæ visibilitatem præcipue errarunt Reformatores sæculi XV; verum non una et eadem fuit eorum sententia. Initio reformationis, Lutherani visibilem illam esse et

quidem visibilitate permanente asseruerunt. Etenim in Confessione Augustana art. 7, profitentur se « *credere unam sanctam Ecclesiam, quæ in perpetuum duratura est, eamque esse societatem sanctorum, in qua recte annuntiatur Evangelium, et administrantur sacramenta.* » Sed mox asseruerunt Ecclesiam aliquando esse invisibilem; quod nempe fecerunt, ut se expedirent ab hac quæstione a catholicis posita, ubi nempe esset Reformata Ecclesia ante Lutherum. Verum quam falsa sit hæc opinio de temporali Ecclesiæ invisibilitate, liquet ex eo quod demonstravimus visibilitatem ad Ecclesiæ pertinere essentiam; jamvero uti constat ex Art. II, Ecclesia in suis essentialibus mutari non potest; ergo neque deficere potest a sua visibilitate.

III. Demonstratio *e S. Scriptura* in qua constantem hanc Ecclesiæ visibilitatem prædixerunt Prophetæ, docuit Christus et confirmarunt Apostoli.

1° Prophetæ prædixerunt visibilem fore Christi Ecclesiam. Apud *Isaiam* II, 2 Ecclesia, ut talis religiosa societas proponitur, quæ omnibus sit obvia : « *Erit, inquit, in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.* » Locutio *in novissimis diebus* juxta universalem loquendi usum prophetarum, significat ultimum temporis spatium divinarum dispensationum, tempus nempe religionis messianicæ; inde ipsi Judæi hanc locutionem interpretantur *diem Messiæ.* — Præterea ista conversio universalis gentium est una e notis specialibus, sub quibus Messiæ regnum apud Prophetas depingi solet. Ergo absque dubio hic fit sermo de Ecclesia Christi seu Messiæ. — Quomodo autem intelligi debent verba : *mons domus Domini?* Liquet hæc figurate intelligenda esse, uti patet ex sequentibus : *fluent ad eum omnes gentes,* quæ aperte denotant hic agi de regno, et sane de regno Messiæ, de quo solo hoc gentium obsequium fuit prænuntiatum et in quo solo est

verificatum. — Verum qua ratione vocatur hæc Ecclesia Christi *mons templi Domini?* Mons Sion erat sedes religionis mosaicæ, quæ tota typus fuit religionis christianæ; et inde mons Sion, qui synecdochice sumitur pro toto cultu mosaico, quippe qui fuerit sedes templi Salomonis et domus regiæ, figurate assumitur ut signum et typus Ecclesiæ Christi. — In oculos igitur incurrit hic annuntiari visibilitatem Ecclesiæ; quum dicatur montem illum, Ecclesiæ scilicet, elevandum esse super omnes colles, et omnes gentes sese conversuras esse ad illum.

2° Quod prædixerunt prophetæ, instituit Christus. Nihil enim clarius ostendit Ecclesiam visibilem esse, ac instituta Christi Domini : Baptismus de necessitate salutis suscipiendus, Eucharistia ex necessitate præcepti accipienda, Petrus fundamentum totius Ecclesiæ constitutus, prædicatores Evangelii et gratiæ dispensatores, homines hoc ministerio sanctificandi, prædicatio et confessio fidei, administratio et susceptio sacramentorum, impositio manuum, absolutio a peccatis, excommunicatio hæreticorum et schismaticorum.

Hæc enim omnia supponunt inter fideles relationes externas, quæ necessario sunt visibiles.

3° Apostoli autem idem docuerunt; atque inter alios S. Paulus *Act. Ap.* XX, 28, ubi advocatis ex Epheso episcopis, eos hortatur ut vigilantes sint in regenda Ecclesia et universo grege, in quo Dominus posuerat eos Episcopos; quis enim regere potest, quod non novit? Et *Ephes.* IV, 11, cum dicit Christum dedisse Ecclesiæ suæ « *Pastores et Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.... ut non circumferamur omni vento doctrinæ.* » Quæ certe omnia perfici non possunt absque mutuis et externis inter Pastores et oves officiis.

Objectiones. 1° Si Ecclesia est visibilis, est visibilis per sua membra, quæ ut talia agnosci possunt; atqui Ecclesiæ membra ut talia agnosci certo non possunt; nam ut quis Ecclesiæ membrum

constituatur, requiruntur actus interni, uti supra dictum fuit; ergo Ecclesia visibilis non est.

R. *Conc. majorem. Dist. minorem.* Ecclesiæ membra ut talia externe agnosci certo non possunt, si sermo fiat de membris singulatim sumptis, *trans;* si fiat sermo de tota multitudine seu de toto cœtu, *nego.* Etenim de singulis individuis personis haud absoluta certitudine constat, an posuerint eos actus internos, qui ad Ecclesiæ membrum constituendum necessarii sunt; quia unusquisque potest, si velit, aliud fingere exterius, ac quod sentit interius. Verum ratione habita legum moralium, seu modi agendi hominibus communi, constat fieri non posse ut in multitudine ingenti quæ externe ad Ecclesiam pertinet, plures non sint veri fideles. Ergo certissime constat externum Ecclesiæ *cœtum*, quem oculis conspicimus esse verum cœtum fidelium, qui saltem quoad longe majorem partem interne atque externe ad Ecclesiam pertinent. — Quod autem in cœtu externo semper multi erunt, qui vere et interne ad Ecclesiam pertinent, id non tantum constat ex lege morali, sed etiam ex solemni promissione Christi, qui dixit Petro, portas inferi nunquam prævalituras esse contra Ecclesiam. Verum Ecclesia non potest existere sine membris; quæ membra necessario sunt quærenda in iis qui saltem externe ad Ecclesiam videntur pertinere; ergo ut impleatur promissio Christi, debent semper dari membra vere fidelia Ecclesiæ, inter eos qui externum ejus cœtum constituunt.

Obj. 2° Idem non potest simul credi et videri. Atqui juxta symbolum, Ecclesia creditur. Ergo non videtur.

R. Idem non potest simul credi et videri, *dist.* : sub eadem ratione *conc.;* sub diversa ratione, *nego.*

Defendimus quidem hæc duo : Ecclesiam esse visibilem, et Ecclesiam credi; verum non dicimus quod Ecclesiam credimus, quatenus eam ratione noverimus. Visibilitas enim Ecclesiæ efficit, ut eam noscamus; et postquam ratione novimus Ecclesiam, ut dispensatricem mysteriorum et doctrinæ Christi, tunc

accipimus ab ea symbolum, in quo de se ipsa asserit, quod sit vera Christi Ecclesia. Unde liquet nos nullatenus credere Ecclesiam, quatenus nobis visibilis est, et proinde propositam objectionem contra nostram doctrinam nihil efficere.

Obj. 3° Ipse Christus expresse dixit de essentia suæ Ecclesiæ esse, ut sit tota *interna*. Dicit nempe ad Samaritanam *Joan.* IV, 23 : « *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabant Patrem in spiritu et veritate.* »

R. Hisce verbis Christus Dominus tantum significare intendit abolitionem cultus mosaici, et novi cultus, quem ipse attulit excellentiam. Cultus nempe mosaicus pro fine non habebat ut hominem justificaret, seu gratiam sanctificantem ipsi conferret; sed unice ut præmuniret populum Judaicum, ne amitteret cognitionem veri Dei et fidem in futurum Messiam. Inde lex Mosaica non imponebat nisi opera externa, apta ad populum ab idololatria retinendum. E contra, nova lex Christi immediate inservit ad gratiam sanctificantem conferendam; et idcirco imponit cultum internum, qui tamen in cultu externo necessario manifestetur. — Ergo Christus Dominus supra citatis verbis unice exprimit cultum mosaicum abolendum esse, et ei substitui cultum novum, in quo non imponerentur tantum opera externa, sicuti in antiqua lege, sed opera interna externis perficienda.

ARTICULUS VI

Christus Dominus voluit Ecclesiam suam esse unam

I. Explicatio. Quemadmodum ex conditionibus requisitis, ut quis Ecclesiæ membrum constituatur, immediate fluit Ecclesiam Christi esse visibilem; ita ex Ecclesiæ visibilitate, necnon ex ejus universalitate et perpetuitate aperte deducitur Ecclesiæ unitas, de qua in præsenti articulo tractabimus.

Ubi autem agimus de Ecclesiæ unitate, intelligimus unitatem non quidem logicam, sed realem. Unitas logica existeret, si plures essent Ecclesiæ Christi, quæ omnes eamdem haberent logicam essentiam; verum hic asserimus Ecclesiæ essentiam nonnisi unice realiter existere, idque ex ipsa Christi voluntate. Defendimus ergo Ecclesiæ unitatem, in eo consistentem quod omnes per orbem dispersi fideles, nonnisi unam numerice societatem efficiant.

Cum autem societas formaliter constituatur ex sociale vinculo; unitas Ecclesiæ ex eo orietur, quod omnes Christi fideles ex Christi voluntate uno sociantur vinculo. Jamvero hoc sociale vinculum consistit in societatis potestate in socios suos. Ergo, ad probandam Ecclesiæ unitatem, nobis probandum est omnes Christi discipulos, ex ejus voluntate, uni et eidem potestati esse submissos.

Non repugnabat quidem ut Christus, aliam œconomiam secutus, tot societates ab invicem independentes constitueret, quot sunt episcopales sedes; revera tamen factum est ut Christus in unam societatem coadunaret omnes fideles, qui sub uno regimine in eumdem finem conspirarent. Quare hæc unitas excludit multiplicitatem Ecclesiarum, quarum singulæ sint completæ, proprium independens habeant regimen, nec alio quam amicitiæ fœdere inter se uniantur. Ideo huc redit unitas Ecclesiæ, ut ipsa *unica sit*. Hæc autem Ecclesiæ unicitas, attentis conditionibus ad Ecclesiæ membrum constituendum requisitis, necessario secum fert, quod fideles inter se uniti sunt tum eadem fide, tum eodem regimine, tum eodem baptismo et eodem cultu.

Demonstrandum igitur nobis est Christum Dominum voluisse, ut omnes sui fideles nonnisi unam numero societatem constituerent; ac præterea omnes fideles inter se unitos esse eadem fide, eadem communione seu eodem regimine, et eodem cultu.

II. Demonstratio. Ecclesiæ unicitas directe demonstratur ex institutione potestatis, quam Christus uni Petro contulit, et cui

omnes suas oves subesse voluit. Si enim una tantum datur suprema potestas cui omnes Christi fideles sese debent submittere, liquet ex Christi expressa voluntate nonnisi unum existere sociale vinculum, quo omnes fideles coadunentur, eorumque cœtum etiam numerice unicum esse debere. — Talem autem potestatem regiminis, cui omnes fideles se debent submittere, a Christo fuisse institutam luculenter docemur, ex illis S. Scripturæ textibus, quibus infra demonstrabimus supremum Pontificatum ex Christi voluntate in Ecclesia existere. Hic satis erit unum referre textum, *S. Joannis* XXI, 15, 16, 17 : « *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus : Simon* » *Joannis, diligis me plus his? Dicit eis : Etiam Domine, tu* » *scis, quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. Dicit ei* » *iterum : Simon Joannis, diligis me? Ait illi : Etiam* » *Domine tu scis, quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos.* » *Dicit ei tertio : Simon Joannis amas me? Contristatus est* » *Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? et dixit ei : Domine* » *tu omnia nosti; tu scis, quia amo te. Dixit ei : Pasce oves* » *meas.* » Jamvero contendimus hæc verba in sensu litterali et immediato ad unum Simonem Petrum spectare; unum Simonem Petrum iis verbis constitui universalem omnium fidelium pastorem; et proinde, quod nobis erat demonstrandum, potestatem regiminis in Christi Ecclesia uni pertinere, non vero pluribus ab invicem independentibus.

a) Verba Christi ad *unum* Simonem Petrum sensu litterali et immediato referri, probant 1° manifestus orationis transitus, significatus verbis : *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro.* Antea dirigebantur verba indiscriminatim ad omnes discipulos; nunc autem referuntur ad unum Simonem Petrum; et formulis pluralis numeri plures designantibus : *dicit eis Jesus, afferte, venite* jam constanter succedunt formulæ singularis numeri, et quæ unum Simonem Petrum ostendunt. 2° Nomen proprium et appellativum *Simon Petrus,* quo Christus

se *unum* Petrum, alloqui significat. 3° Hæc comparatio : *diligis me plus his,* qua Petrus a cœteris, qui aderant, secernitur.

b) Petrum constitui *omnium* Christi fidelium *pastorem,* aperte patet ex propria verborum significatione. Instituitur Petrus *pastor,* per verbum *pasce,* quod hic metaphorice significat *regere, gubernare,* uti liquet ex alia illa metaphorica locutione qua Christus de Ecclesia sua sermonem fecit : « *Fiet unum ovile et unus pastor.* » — Instituitur quoque *pastor universalis,* quia Christus ei dixit : *pasce agnos meos, pasce oves meas;* jamvero hisce verbis intelliguntur omnes Christi fideles, seu universum qua late patet ovile Christi, quum integrum ovili nonnisi agnis et ovibus componatur. Nunc autem in ovili Christi sunt etiam Episcopi; ergo et ipsi episcopi commissi sunt regimini Simonis Petri.

Nec opponatur hæc verba Domini intelligi posse de parte gregis; ac proinde non excludere multiplicitatem supremi Pontificatus in Ecclesia. Etenim attentis adjunctis, dubitare nequit, Christum Dominum hic de toto grege habere sermonem. Petrus enim cum reliquis Apostolis jam acceperat dignitatem apostolatus seu pascendi fideles; nam omnibus dictum fuerat : « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos;* » nunc autem, præsentibus cœteris Apostolis, unus compellatur Petrus, ac *specialem* accipit potestatem in gregem Christi; ergo hic agitur de potestate œcumenica, seu universali in totam Ecclesiam; hæc enim sola, dignitatem apostolicam prætergreditur.

Eadem Petri suprema potestas demonstratur ex verbis *Matth.* XVI, 18. « *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* » Etenim voce *Ecclesia Christi* illi omnes intelliguntur, qui Christi sunt discipuli; et præterea hic agitur de unica persona Petri, quæ supremam obtinet in Christi discipulos potestatem. Per metaphoram enim *fundamenti* exprimitur suprema potestas in totam Ecclesiam; uti supra demonstratum est.

Ergo liquet ex Christi institutione omnes Ejus fideles uno sociali vinculo seu uno regimine conjunctos esse; ac proinde nonnisi unam efformare societatem.

Huic argumento ex ipsa Christi voluntate deprompto, addi potest argumentum congruentiæ ex ratione haustum, quod unitatis institutionem a priori quidem non probat, maxime tamen commendat. — Christus nempe unam tantum religionem ad homines attulit, hancque ita voluit per omnes gentes disseminari, ut una esset et eadem ubique; ergo et Ecclesiam, quæ propter religionem instituta fuit, unam sane voluerit; quum in natura hominum positum sit, ut ii qui diversos in cœtus dividuntur, in eodem sensu vix permanere possint.

Ex hac autem unitate societatis oritur in Ecclesia unitas fidei, unitas communionis et unitas cultus; quæ omnia vere et proprie dictam Ecclesiæ unitatem non constituunt, sed potius ejus sunt consectaria. Etenim supposita unitate fidei, charitatis et cultus, nondum Ecclesia est vere una; nam nihil obstat, quominus duæ societates religiosæ idem habeant vinculum doctrinæ communionis et cultus; et tamen ab invicem vere sint distinctæ, Verum socialis vinculi unitas seu societatis unicitas efficit ut detur inter membra Ecclesiæ unitas fidei, unitas communionis et cultus.

Fidei unitas in Ecclesia fluit ex unitate regiminis. Dixit nempe Jesus Petro et Apostolis : « *Prædicate Evangelium omni creaturæ;* » quod evangelium indubitate comprehendit totam Christi doctrinam. Omnibus autem, qui salutem assequi cupiunt, imposuit Jesus officium totum hoc evangelium fide amplectendi, cum dixit : « *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.* » (*Marc.* XVI, 15, 16). Unde aperte liquet nonnisi unam fidei doctrinam in Ecclesia prædicari, et omnes fideles teneri totam hanc fidei doctrinam credere; ac proinde dari in Ecclesia fidei unitatem.

Unitas *communionis* seu charitatis arctius adhuc connectitur

cum unitate regiminis. Hæc enim communionis unitas in eo consistit, quod omnes fideles sibi mutuum præstent auxilium, ac nonnisi unum constituant agmen tendens ad unum finem. Jamvero talis est Ecclesiæ conditio ex unitate ejus regiminis; nam ubi nonnisi unum datur caput, ibi etiam non datur nisi corpus unum, in quo omnia membra se mutuo juvant ad finem communem.

Tandem, ubi eadem datur fides, quæ cultus est fundamentum, et idem cultus regimen, quasi necessario datur et unitas *cultus*. Quamvis enim absolute fieri potuisset, ut nullus ritus identico modo per totam Ecclesiam adhiberetur; id tamen haud fuisset conveniens; nam naturale unitatis fidei et communionis firmamentum indubie consistit in praxi ejusdem externi ritus. Idcirco Christus Dominus sapientissime ordinavit, ut in tota sua Ecclesia nonnisi unicum sacrificium (in sacrificio autem comprehenditur tota cultus externi substantia) celebraretur; et eadem ubique ministrarentur sacramenta, quæ canalia sunt gratiæ et fontes vitæ spiritualis. — Totam hanc Ecclesiæ unitatem dilucide exposuit S. Paulus, *Eph.* XVIII, 4, et seqq; ubi ita adhortatur fideles ut unionem inter se servent : « *Unum* » *corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe voca-* » *tionis vestræ; unus Dominus, una fides, unum baptisma;* » *unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per* » *omnia et in omnibus nobis.* » Quorum verborum sensus est : Unum datur mysticum corpus, cujus vos omnes estis membra; et unus Spiritus Sanctus, qui vos omnes vivificat, cui unitati respondet unitas vocationis vestræ, vocationis nempe ad cœlum; quorum omnium ratio est quod non datur nisi unus Dominus Jesus Christus, salvator hominum, una fides ad cœlum ducens; unum baptisma regenerationem ad statum filiorum Dei conferens; et tandem unus Deus qui dominatur super omnes homines, et omnes gubernat atque dirigit.

ARTICULUS VII

Protestantes, ad unitatis speciem in suo cœtu servandam, frustra appellant ad distinctionem inter articulos fidei fundamentales, et non fundamentales

I. Status quæstionis. Cum Protestantes ut principium fundamentale habeant liberum examen doctrinæ revelatæ; omneque magisterium ex Ecclesia rejiciant; in sectas innumeras, diversa dogmata profitentes, mox divisi sunt. Quod cum animadverterunt, ut sibi vindicare possent fidei unitatem quam in Ecclesia Christi requiri Scriptura clarissime testatur, utque varios reformationis cœtus in unum colligerent, distinctionem articulorum *fundamentalium* et *non fundamentalium* excogitarunt.

Per fundamentales articulos ipsi intelligunt ea fidei puncta, quæ negari non possunt absque salutis dispendio et exclusione e vera Christi Ecclesia. Articulos vero non fundamentales ea dicunt fidei dogmata, quæ juxta ipsos, quamvis ut a Deo revelata agnoscantur, tamen absque salutis dispendio et exclusione ab Ecclesia, etiam pertinaciter negari possunt. Ut talia dogmata non fundamentalia, ea habent quæ minoris videntur esse momenti. Hoc igitur systemate conantur Protestantes ostendere, varios reformatorum cœtus non efficere societates fide inter se distinctas; sed unam tantum societatem, eamdem profitentem fidem, quoadusque articulos fundamentales non rejiciant.

Catholici etiam aliquam ponunt inter fidei articulos distinctionem, quatenus nempe non omnium æqualis est necessitas, ut ab omnibus explicite credantur; inde discrimen ponunt inter articulos qui explicite cognosci et credi debent; et eos, quos satis est credere implicite, credendo nempe id omne quod Christus Dominus docuit et Ecclesia tamquam credendum proponit: « *Ali-* » *qua sunt credibilia,* inquit S. Thomas 2. 2. *Q.* 1, *a.* 6. *ad* 1, » *de quibus est fides secundum se, aliqua vero sunt credibilia*

» *de quibus non est fides secundum se, sed solum in ordine*
» *ad alia... Per se ad fidem pertinent illa, quæ directe nos*
» *ordinant ad vitam æternum, sicuti quod sunt tres personæ*
» *omnipotentis Dei, mysterium Incarnationis et alia hujus-*
» *modi.* »

Liquet autem, quantum intercedat discrimen inter systema protestanticum, et doctrinam catholicorum. Protestantes nempe dicunt quosdam fidei articulos, quamvis cognitos ut revelatos a Deo, libere posse rejici et negari; catholici vero docent omnino omnes fidei articulos fide saltem implicita amplectendos esse, et nullum ex eis citra hæresis peccatum, pertinaciter negari posse; verum, aiunt, omnes fidei articuli non debent ab omnibus fidelibus expresse cognosci et explicite credi. Alia nimirum puncta docent catholici noscenda esse necessitate medii, alia autem necessitate præcepti; et alia dari multa quorum notitia explicita non est necessaria, nisi iis quibus incumbit ut per penitiorem fidei scientiam, fidem catholicam contra hostes defendant.

II. Demonstratio. Hanc protestantium distinctionem admitti non posse 1° demonstramus ex eo quod, ubi pertinaciter negatur aliqua veritas a Deo revelata, necessario gravis fit injuria Deo, et grave committitur peccatum contra virtutem fidei. Etenim ubi recuso fide accipere id quod Deus docet, recuso agnoscere aut Dei veracitatem, aut ejus omniscientiam; ac proinde gravem irrigo Deo injuriam. Quod nempe peccatum repugnat virtuti fidei quippe quæ nos moveat ad verbo Dei credendum, propter infallibilem Dei revelantis auctoritatem.

2° Idem demonstramus ex motivo formali fidei. Ratio credendi seu formale motivum fidei est auctoritas Dei revelantis; atqui auctoritas Dei in omnibus veritatibus per revelationem Christi patefactis invenitur; ergo omnes illæ veritates credi debent; nam quo jure una alterave rejiceretur, eodem reliquæ omnes rejici possent. Idcirco Scripturæ generatim et sine ulla exceptione

dicunt, *credendum esse evangelio ; amplectendam esse Christi doctrinam;* et Apostolus, *Gal.* 1, postquam dixit : « *Si quis* » *evangelizaverit vobis, præter id, quod accepistis, ana-* » *thema sit* » rationem affert, quæ ad omnia dogmata revelata pertinet; scilicet, quod evangelium, ab eo evangelizatum, non ab homine sit, sed a Deo.

3° Hisce rationibus accedit, quod protestantes medium non habent certum, quo articulos fundamentales, ab iis qui non sunt fundamentales discernant.

Duobus modis articuli fundamentales et non fundamentales discriminari possunt : vel enumeratis nominatim singulis articulis, qui pro fundamentalibus habentur, vel propositis regulis generalibus, quarum ope quisque pro se fundamentalia dogmata possit invenire. Atqui neuter modus illam suppeditat certitudinem, quæ ad fidem divinam requiritur. Omnes enim quos conficiunt indices, omnes regulæ, quas tradunt Protestantes, carent fundamento tum in ratione theologica, tum in auctoritate sufficienti; et indices indicibus, regulæ regulis adversantur. Sic aliqui tamquam regulant proponunt : ea omnia et sola esse fundamentalia, quæ in Scriptura diserte continentur; alii : quæ Scripturæ declarat esse necessaria, vel sub pœna damnationis æternæ aut exclusionis a communione christiana, præcipit credenda. Quidam hanc regulam statuunt : ad articulos fundamentales pertinent omnia dogmata, quæ communi consensu tenent omnes christianæ societates. Alii tandem dicunt ea omnia et sola esse fundamentalia, quæ sunt de essentia religionis christianæ, et quorum aliquo dempto illa prorsus interiret.

Verum *a)* omnes illæ regulæ, sensu ab adversariis intento, nullo nituntur fundamento; *b)* multa diserte continentur in Scripturis, puta geographica, historica, genealogica, quæ nemo Protestantium dixerit esse fundamentalia; *c)* consensus omnium christianorum (quatenus hoc nomine vocantur) est res mutabilis et incerta; *d)* regulæ istæ sunt ambiguæ, nam fere omnes sensu

catholico intelligi possunt, atque usurpari ad evertendam distinctionem a Protestantibus inventam : v. gr. Scriptura diserte et sub pœna æternæ damnationis præcipit fidem omnibus veritatibus revelatis : « *qui non crediderit, condemnabitur.* » Rursum ad essentiam religionis christianæ spectat Dei locutio sufficienter proposita; ergo omnia dogmata et unitas fidei in omnibus dogmatibus, ad essentiam christianæ religionis spectant.

4° Idem demonstramus ex novitate distinctionis. Nullum enim vestigum reperitur distinctionis a Protestantibus invectæ, sive in decretis et actis Conciliorum, sive in operibus Patrum, sive in aliis quibuscumque rerum gestarum monumentis; imo nec in ipsorum hæreticorum et schismaticorum quæ supersunt scriptis. Jamvero in Ecclesiæ constitutione aut doctrina nulla essentiæ mutatio fieri potest, ergo rejiciendum est Protestanticum systema, uti ab Ecclesiæ doctrina alienum.

APPENDIX

An et quomodo pueri ante usum rationis et adulti rationis usu carentes Ecclesiæ fiunt et sunt membra

Ubi definivimus conditiones necessarias ut quis Ecclesiæ constituatur membrum, locuti sumus, uti liquet, de hominibus ratione utentibus; hi enim soli veram et proprie dictam societatem constituunt, præstando nempe sibi invicem mutuum auxilium ad communem finem attingendum. Hic autem agimus de iis qui ratione non utuntur ac proinde actus humanos ponere non possunt, et quærimus an et quomodo isti ad Ecclesiam pertineant.

In primis nihil per se obstat quominus qui ratione non utuntur, ad aliquam societatem pertineant; etenim quis dicere audebit pueros et amentes ad societatem familiæ, aut ad societatem civilem non pertinere? Præterea ut quis ad societatem pertineat, satis est, ut a societate auxilium accipiat in ordine ad com-

munem societatis finem; quod sane in iis etiam qui ratione carent locum habere potest.

Pueri et amentes revera Ecclesiæ membra fieri possunt. Etenim omnes omnino homines vocantur a Deo ad hunc finem, quem Ecclesia sibi præfixum habet, sanctitatem nempe et salutem æternam; et insuper Deus instituit baptismum, ut medium omnibus ab Ecclesia administrandum intuitu istius finis attengendi; ergo etiam pueri et amentes eumdem habent finem ac Ecclesia; et ab Ecclesia medium accipere debent ad hunc finem assequendum. Proinde ex voluntate Christi pueri et amentes vocantur ut fiant Ecclesiæ membra.

Conditio autem, quæ impleri debet, ut isti Ecclesiæ membra constituantur, est baptismi susceptio. Hujus enim sacramenti susceptione ab Ecclesia accipiunt juvamen ad finem societatis, vitam æternam, obtinendum; externo signo associantur Ecclesiæ ideoque constituuntur vera Ecclesiæ membra. Non quidem actu tenentur isti infantes eas omnes implere conditiones, quarum soli adulti sunt capaces; attamen ad eas implendas tenentur in radice; nam statim, ubi usum rationis habuerint, obligantur interne et externe eam credere doctrinam, quam tradit Ecclesia; necnon legitimos Ecclesiæ pastores interne et externe agnoscere.

Quibus dictis, luculenter liquet infantes et adultos rationis usu carentes, per baptismum vera Ecclesiæ constitui membra.

Posset quis objicere : num licet baptizare infantes, cum iste baptismus pro infante importet obligationem cultus catholici, post usum rationis, amplectendi seseque Ecclesiæ pastoribus submittendi? Potestne quis alterum ad tantum onus adstringere sine libero ejus consensu?

Huic objectioni respondemus, istis infantibus haud fieri injuriam, sed beneficium præstari, quum ita ponantur in veram salutis viam, onera vero quæ ipsis ex baptismo incumbunt, jam omni homini ex voluntate Christi, sub æternæ damnationis pœna fuerint imposita.

Obtendentibus haud licere tali modo conferre ordines sacros, respondemus, *negando paritatem*. Baptismus nempe omnibus hominibus necessarius est necessitate medii; dum e contra susceptio ordinum est libera. Idcirco qui baptismum confert infanti, non imponit ipsi onera injusta sed juvat eum ad implendam legem Christi, dum e contra qui ordines confert infanti, ipsi imponit onera quæ nemo alteri nisi consentienti, imponere potest.

CAPUT SECUNDUM

De Ecclesiæ dotibus sub respectu ejus finis

Uti supra dictum fuit, finis Ecclesiæ proximus est sanctitas fidelium; finis vero ultimus, beatitudo æterna per sanctitatem obtinenda. Hoc fine cognito, jam penitius investigetur oportet, quænam sint Ecclesiæ dotes, ex suo fine profluentes. Hasce dotes in præsenti capite proponemus atque explicabimus.

ARTICULUS I

Ecclesia Christi habet finem supernaturalem

I. Explicatio. Intelligimus talem finem, qui consistit in participatione et in consortio divinæ naturæ; et qui proinde superat vires non tantum naturæ humanæ, sed et omnis naturæ creatæ aut creabilis. Dicimus ergo imprimis finem proximum Ecclesiæ non consistere in sanctitate naturali, qua homo ex naturæ suæ viribus se convertat ad Deum; sed in sanctitate supernaturali qua homo agat sub influxu Dei, operantis in nobis et *velle* et *perficere;* et vere constituatur adoptivus Dei filius, consors

divinæ naturæ. Dicimus præterea finem ultimum seu cœlum, non esse beatitudinem de se debitam aut naturæ nostræ aut naturæ creatæ cuivis, sed superantem quidquid est creatum, et soli Deo propriam.

II. Demonstratio. 1° Sanctitatem supernaturalem, esse finem proximum Ecclesiæ, luculenter testantur Scripturæ, quoties definiunt quales sint veri fideles. Jamvero S. Paulus I *Cor.* III, 16 eos vocat templum Dei et templum Spiritus sancti; quæ sane locutio intelligi haud potest de communi præsentia Dei in omnibus suis creaturis, sed de speciali inhabitatione qua *operatur et velle et perficere;* uti ipse S. Paulus definit *Philipp.* II, 13. — Dein *Rom.* VIII, 15, 16, S. Paulus fideles ita alloquitur : « *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore,* » *sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. Ipse enim* » *spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus* » *filii Dei.* » Tandem S. Petrus II *Epist.* I, 4 dicit : « *Per quem* » *(Jesum) maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per* » *hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* » Isti omnes textus aperte demonstrant sanctitatem, in fidelibus requisitam, talem esse quæ de se soli divinæ essentiæ sit propria, quippe quæ nos constituat *filios adoptivos Dei et consortes divinæ naturæ.*

Finis autem ultimus, quem Ecclesia sibi præfixum habet, est visio Dei facie ad faciem, uti declarat S. Joannes, I *Epist.* III, 2. « *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus.* » *Scimus, quoniam, quum apparuerit, similes ei erimus,* » *quoniam videbimus eum sicuti est.* » Hanc autem visionem Dei esse vere supernaturalem, non tantum sana ratio docet, sed et ipse S. Paulus affirmat I *Cor.* II, 9 : « *Oculus non vidit, nec* » *auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præpara-* » *vit Deus iis, qui diligunt illum.* »

2° Supernaturalis character Ecclesiæ etiam apparet ex nominibus « *corpus Christi* », « *sponsa Christi* », quæ ipsa obtinet in S. Scriptura. Imprimis enim legimus *Eph.* I, 22 : « *Ipsum*

» *(Christum) dedit (Deus) caput super omnem Ecclesiam* » et II, 19 : « *Caput (Ecclesiæ est Christus) ex quo corpus per* » *nexus et conjunctiones subministratum et constructum* » *crescit in augmentum Dei.* » Quemadmodum igitur Ecclesia vocatur corpus Christi, sic et Christus dicitur Ecclesiæ caput, ita ut Ecclesia cum Christo unum quid completum componere censeatur; qua ex metaphora liquet haberi inter Christum et Ecclesiam illas relationes quæ habentur inter corporis humani truncum et caput; jamvero prima relatio quæ inter ea habetur est relatio similitudinis naturæ et dignitatis; ergo inter Christum et Ecclesiam eadem habebitur similitudo. Proinde liquet Ecclesiam seu Ecclesiæ membra non esse meros servos Dei, sed filios per gratiam, vere Deo similes. Si essent meri servi Dei, non possent dici corpus Christi, qui est persona divina Verbi incarnati; si vero sunt elevati per gratiam ad dignitatem filiorum Dei, vere vocari possunt ejus corpus, et Ipse potest vocari eorum caput. Hæc pulcherrime explanat S. Thomas (III, quæst. VIII, art. I. corp.) :

« Dicendum, ait, quod sicut tota Ecclesia dicitur unum cor-
» pus mysticum per similitudinem ad naturale corpus hominis,
» quod secundum diversa membra habet diversos actus, ut Apo-
» stolus docet *(Rom.* XII, et I *Cor.* XII), ita Christus dicitur
» caput Ecclesiæ secundum similitudinem humani capitis : in
» quo tria possumus considerare, scilicet ordinem, perfectionem
» et virtutem. Ordinem quidem, quia caput est prima pars homi-
» nis incipiendo a superiori : et inde est quod omne principium
» consuevit vocari caput, secundum illud *(Ezech.* XVI, 25) :
» *Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ.*
» Perfectionem autem, quia in capite vigent omnes sensus et inte-
» riores et exteriores, cum in cæteris membris sit solus tactus
» et inde est quod dicitur *(Isai* IX, 15) : *Senex et honorabilis*
» *ipse est caput.* Virtutem vero, quia virtus et motus cætero-
» rum membrorum, et gubernatio eorum in suis actibus est a

« capite, propter vim sensitivam et motivam ibi dominan-
» tem : unde et rector dicitur caput populi, secundum illud
« (I *Reg.* XV, 17) : « *Nonne cum esses parvulus in oculis*
» *tuis, caput in tribubus Israel factus es?* » Hæc autem
» tria competunt Christo spiritualiter. Primo enim secundum
» propinquitatem ad Deum, gratia ejus altior est et prior,
» etsi non tempore; quia omnes alii acceperunt gratiam per
» respectum ad gratiam ipsius, secundum illud *(Rom.* VIII, 29) :
» *Quos præscivit, hos et prædestinavit conformes fieri ima-*
» *ginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratri-*
» *bus.* » Secundo vero perfectionem habet quantum ad pleni-
» tudinem omnium gratiarum, secundum illud *(Joan.* I, 14) :
« *Vidimus eum plenum gratiæ et veritatis.* Tertio virtutem
» habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ, secundum
» illud *(Joan.* I, 16) : *De plenitudine ejus nos accepimus*
» *omnes.* Et sic patet, quod Christus convenienter dicitur Eccle-
« siæ caput. »

Nec minus elucet finis supernaturalis Ecclesiæ ex alia metaphora, qua unio Christi et Ecclesiæ comparatur cum unione inter sponsum et sponsam (*Ephes.* V, 22 et seqq. et *Apocal.* XXI, 29). Etenim inter personas matrimonii vinculo junctas, habetur omnium bonorum communicatio et intimissima vitæ societas, ita quidem ut, ipsa docente Scriptura, sint duo in carne una (cfr. *Gen.* II). Ergo pariter inter Christum et Ecclesiam similis habebitur relatio : omnium nempe bonorum communicatio, intimissima societas, ita quidem ut nonnisi simul unum constituant corpus. Bona autem ad Christum pertinentia indubie sunt supernaturalia; nam nemo sane dicet unionem hypostaticam naturæ humanæ Christi cum persona divina Verbi esse donum naturale; ergo pariter dona Ecclesiæ, quæ sunt communicatio et immediata participatio donorum sponsi sui Christi, erunt supernaturalia.

ARTICULUS II

Ecclesia Christi habet finem distinctum a fine circumcisionis et a fine legis Moysis

I. Explicatio. Circumcisio erat ritus religiosus populo electo impositus a Deo, ad significandum fœdus Deum inter et Abraham ejusque posteros initum. Quod pactum ita se habebat : « Tu » Abraham, et posteri tui, non idola sed me coletis tamquam » Deum vestrum, et ego vicissim faciam te excrescere in gen- » tem numerosissimam, et dabo posteris vestris terram Chanaan » in possessionem. » Legi circumcisionis superaddita fuit lex mosaica, quæ totam Hebræorum vitam religiosam et civilem, in minimis etiam punctis ordinabat.

Duplex autem quæstio hic est distinguenda : quæstio nempe facti, et quæstio de causa. Prior quæstio est, an circumcisi et Israelitæ habuerint vel potuerint habere sanctitatem supernaturalem et internam, necnon an potuerint mereri visionem beatificam. Altera autem quæstio est, an hæc dona habuerint vi circumcisionis aut legis impletæ.

Priori quæstioni respondendum est, quod circumcisio, totaque institutio mosaica cum cunctis suis ritibus et sacrificiis, disponebat existentes in eo fœdere, ad sanctitatem supernaturalem consequendam et proinde ad merendum cœlum; verum alteri quæstioni responderi debet : gratia non conferebatur vi circumcisionis aut vi impletæ legis qua talis, sed vi fidei in futurum Messiam, qui daturus esset semetipsum redemptionem pro omnibus.

In nova lege vero obtinemus gratiam, implendo legem, accipiendo sacramenta, celebrando sacros ritus; ita quidem ut lex nova immediate tendat ad gratiam conferendam; ejusque im-

pletio cum justificatione intrinsice sint connexa; sub lege Moysis autem, mera legis impletio non conferebat gratiam; sed disponebat tantum et excitabat circumcisos et Israel ad fidem in Christum; qua mediante fide justificabantur. — Circumcisio et tota lex mosaica erant præfiguratio futuræ redemptionis per Christum, et bonorum ex illa profluentium. Indigitabant Christum, et hortabantur omnes ut attenderent ad eum, in eum crederent, in eum sperarant, eumque amarent, et sic gratiam consequerentur.

II. Demonstratio. Finem Ecclesiæ distinctum esse a fine legis antiquæ, imprimis patet ex diversis promissionibus utrique a Deo datis. Lex nova seu Ecclesia pro fine ultimo habet visionem beatificam cœli, præmium autem legis antiquæ observatoribus propositum, consistit in bonis temporalibus. Tanquam mercedem nempe observatæ legis antiquæ, promisit Deus populo suo terram sanctam, fluentem lac et mel *(Gen.* XII, 7 — *Exod.* XIII, 5, XXXIII, 1, — *Deut.* XIX, 8,); necnon abundantiam bonorum temporalium *(Levit.* XXVI et *Deuter.* XXVIII); mala autem temporalia minabatur eis, qui legem non servarent. *(Deut.* XIX, 8 et 9; XXVIII, 1 et 2; *Levit.* XXVI, 24.) Unde factum est, ut ex tot millibus Israelitarum qui egressi sunt de Ægypto et numerati fuerunt a Moyse, nullus pervenerit in terram Chanaan, ipsis promissam, nisi Caleb et Josue; quum reliqui omnes, peccassent murmurando contra Dominum. Pariter qui postea habitarunt in terra sancta, quotiescumque deseruerunt legem Dei, afflicti sunt fame, bello et peste; donec per pœnitentiam redeuntes ad Deum, pacem, fertilitatem et salubritatem recuperarent. Tandem cum Christum, qui finis erat legis, et tam clare in ea fuerat promissus, rejecerant, sunt exturbati e terra sua et ab hac die vivunt per totum orbem dispersi — Diversa itaque Veteri et Novæ Legi merces præstituitur. Lex vetus non promittit nisi bona temporalia; nova autem justis multas quidem temporales tribulationes prædicit, sed cœlum promittit. Quæ

mercedis diversitas fluit ex diversa legum natura; lex vetus unice inserviebat ad servandam in populo electo veri Dei notitiam et fidem in Christum; dum lex nova homines immediate sanctificat.

Distinctio legis novæ a lege veteri patet etiam ex diversa amplitudine ethnographica Ecclesiæ Christi et Synagogæ. Hæc enim erat particularis, et unicæ tantum genti imposita, dum Ecclesia Christiana instituta est, ut sese per omnes gentes diffundat, totique orbi obligatorie est imposita. Jamvero si lex antiqua pro immediato fine habuisset gratiæ collationem, indubie fuisset omnibus imposita, siquidem voluntas Dei sit, omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire (I *Tim.* II, 4.).

Tandem illa distinctio apertissime ex eo elucet quod S. Paulus circumcisionem et cetera sacramenta veteris legis, vocat *infirma et egena elementa* in comparatione sacramentorum novæ legis *(Gal.* IV, 9); quæ locutio profecto significat hæc sacramenta antiqua per se nullam conferre gratiam, dum sacramenta legis Christi animam immediate sanctificant. Hanc autem virtutem sacramentis veteris legis expresse denegat S. Paulus, dum dicit *Rom.* III, 20 : « *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro;* » et simul efficaciam novæ legis omni modo extollit.

Nota 1° Quæri hic posset ratio istius differentiæ inter fœdus antiquum et fœdus novum. Hæc autem inde desumenda videtur, quod non decebat ut ante Christi adventum et passionem, jam exstarent *objectiva media externa* quæ fructus ejus mortis applicarent. Non enim antecedere potest fructus applicatio ipsam fructus existentiam. — Sed objici posset : Si hæc ratio valet, fructus passionis Jesu nequidem per fidem applicari potuerunt in antiqua lege. — At respondemus hic esse distinguendum inter applicationem per media externa, et per media interna. Per media nempe interna poterat applicatio hæc fieri, quia in præscientia Dei jam existebant passio et mors Jesu; verum per

media externa convenienter non poterat fieri; quia causa meritorum externe nondum fuerat posita.

Nota 2° Quæri etiam posset quænam fuerit ratio circumcisionis Abrahæ; et quomodo hæc ceremonia fuerit figura futuræ redemptionis messianicæ? — Utraque quæstio facile solvitur ex ipsa indole ritus quem Deus Abrahamo imposuit. Etenim inter effectus quibus peccatum originale sese manifestat in homine, præcipuus erat concupiscentia carnis, in membris pudendis maxime sese exerens. Nunc autem per circumcisionem, seu per abscissionem partis membri pudendi, optime significatur abscissio concupiscentiæ, ac proinde deletio peccati, quod causa exstitit concupiscentiæ. Deletio autem peccati fieri debebat per mortem Christi; ergo circumcisio erat figura redemptionis per Christum. — Signum autem in membro pudendo, impositum solummodo erat viris, non autem mulieribus; quia in actu carnali vir est agens, et mulier est potius patiens; ac proinde per abscissionem partis membri virilis jam satis significatur concupiscentia delenda.

ARTICULUS III

Finis Ecclesiæ est distinctus a fine societatis civilis

Explicatio et demonstratio. Ad hanc demonstrandam propositionem, inter se comparare sufficit finem Ecclesiæ et finem societatis civilis. Quum autem de fine Ecclesiæ sufficienter dictum sit; de fine societatis civilis hic solum remanet agendum.

Q. *Qualis est genuina societatis civilis natura?*

R. 1° Rejicienda est definitio quæ societati civili attribuit munus omnium civium jura moderandi ac pro viribus tuendi. Etenim *a)* verba : *omnium civium jura*, ita indefinite expressa, locum dare possunt majori potestatis civilis amplificationi,

quam ejus ferat natura. Jura enim indefinite sumpta, omnia complectuntur adeoque extendi possunt ad jura religiosa; unde clandestina via sterneretur consuetudini quam dicunt *appellationem ab abusu;* vi hujus consuetudinis, qui in re Ecclesiastica se ab Ecclesiastico magistratu læsum existimaverit, ad potestatem civilem confugit, ut jura sua adversus Ecclesiam tueatur. — Præterea *b)* sola verba : *moderari ac tueri*, sine alia addito, plus quam æquum est restringunt potestatem civilem, quæ non tantum potest de juribus civium judicare ac ea tueri, sed etiam per leges rem temporalem plene ordinare.

2° Neque in definitione societatis civilis statuendum est, huic curam felicitatis temporalis ita incumbere, ut passive, uti aiunt, se habere debeat ad ea omnia, quæ ad religionem aut probitatem pertinent; quod quidem nonnulli formula asperiori quidem, sed simpliciori atque aperta, ita efferunt : *legem debere esse atheam*. Etenim neglecta religionis ac probitatis cura, evertetur quoque felicitas temporalis. Religione enim ac probitate e societate exulantibus, ipsa quoque humana fides, qua societatis fœdus colligatur, deperdatur necesse est. Hanc vero probitatis ac religionis curam a societate civili habendam esse juxta ordinem a Deo constitutum, id est dependenter ab Ecclesia, cui hæc cura directe fuit commissa, nemo non sentit. Secus enim hæc potestas esset inordinata, quum facile a veræ probitatis ac religionis notione et limitibus aberrare posset, atque ita societatem turbaret, potius quam tueretur.

3° Ex prædictis dimanat, ita esse de gemina societatis civilis natura sentiendum, ut directe quidem sola felicitatis temporalis cura ipsi adscribatur, indirecte autem eidem tribuatur officium probitatis ac religionis defendendæ, servata tamen debita dependentia erga Ecclesiam, quippe cui hoc munus directe est demandatum. Cf. Tarquini. *Juris Ecclesiast. Publ. Institut.*

Liquet igitur finem Ecclesiæ et finem societatis civilis penitus esse distinctos; finis Ecclesiæ directus est bonum spirituale

fidelium; finis autem directus societatis civilis est bonum temporale civium; et indirecte tantum debet societas civilis curam gerere de religione.

Posset objici bonum temporale non esse nisi medium ad finem nostrum ultimum; et proinde finem ultimum societatis civilis esse eumdem ac finem Ecclesiæ.

Verum respondemus naturam finis alicujus rei non desumi a fine ejus ultimo, sed a fine ejus proximo; secus enim nulla daretur finium distinctio; cum omnium rerum quæ sunt in mundo idem sit finis ultimus : gloria scilicet Dei et salus hominum. Facile id liquebit ex exemplo : societas quæ pro fine haberet ipsam domorum constructionem, indubie distincta foret sub respectu finis ab illa societate, quæ pro fine haberet ea omnia parare quæ ad domus ædificationem sunt necessaria; et tamen finis ultimus ambarum societatum est unus et idem : procurare nimirum hominibus domum ad habitandum. — Ergo finis societatis non est determinandus secundum ultimum terminum quem attingere debet, sed secundum terminum ejus proximum.

Objici quoque posset, etiam finem proximum societatis civilis non omnino distingui a fine Ecclesiæ, cum societas civilis indirecte saltem debeat curam genere de religione et probitate.

Respondemus autem ipsam vocem « *indirecte* » objectionem refellere. Quid enim significat hæc vox *indirecte?* Significat quod bonum spirituale non est proprius ejus finis; sed quod ab altera parte debet tamen aliquatenus hoc bonum spirituale curare, quia secus non posset attingere verum bonum temporale; ergo hæc obligatio indirecta curandi bonum spirituale non mutat finem proximum societatis civilis — Præterea quidquid facit societas civilis pro re religionis, non sola auctoritate sua facere potest, sed sub dependentia Ecclesiæ; unde etiam patet quomodo fines Ecclesiæ et potestatis civilis sint omnino distincti.

ARTICULUS IV

Ecclesia habet finem supremum et omnium dignissimum

Explicatio et Demonstratio. Cum homo sit ultimatim conditus a Deo, ut glorificet Ipsum, et sic tandem salvus atque beatus fiat in cœlo, illa societas nobilissimum habebit finem quæ hominem ad hunc finem suum ultimum immediate ducit. Jamvero talis est finis Ecclesiæ; ipsa nempe instituta est ut immediate homines constituat participes beneficiorum redemptionis; ut eos doceat veram salutis doctrinam, et in via servitii divini custodiat. Unde patet Ecclesiam digniorem habere finem, quam Synagogam, quæ non conferebat per se gratiam et dona Spiritus S^{ti}; sed mera erat custos fidei in verum Deum et in futurum Messiam. Dein longe nobilior quoque est finis Ecclesiæ fine societatis civilis. Hæc enim tantum intendit bonum temporale, cum e contra Ecclesia hominem ad veram, æternam et supernaturalem felicitatem obtinendam disponit atque dirigit.

CAPUT QUARTUM

De dotibus Ecclesiæ sub respectu mediorum quibus est instructa

Jam inquisivimus hucusque *qualis* sit Ecclesia sub respectu originis, dein sub respectu membrorum, tertio sub respectu finis; nunc ultimo loco remanet dicendum de ejus dotibus sub respectu mediorum quibus est instructa.

ARTICULUS I

Ecclesia est societas perfecta

I. Explicatio. Societas, sub respectu mediorum quibus est instructa ut socios suos ad finem propositum ducat, potest esse perfecta, aut imperfecta. Perfecta erit, si ea omnia habeat media, quæ ipsi necessaria sunt ut finem suum attingat; imperfecta autem erit, si aliquibus ex hisce necessariis mediis caret. Notandum tamen est, societatem posse duplici modo instructam esse mediis ad finem; potest nempe ea possidere *formaliter* aut *vitualiter tantum*. Possidet ea *formaliter*, quando *de facto*, ea præ manu habet; possidet vero ea *virtualiter tantum*, ubi ea præ manu non habet, sed obligare potest alios ad sibi hæc media tribuenda. Aliis verbis, datur possessio *formalis*, ubi societas habet media in se ipsa; possessio *virtualis*, ubi tantum habet jus obligandi extraneos ad hæc media sibi præstanda. — Si nunc quæratur, quomodo societas, ut sit perfecta, instructa debeat esse mediis ad finem, dicendum est, possessionem virtualem sufficere. Ergo illa societas erit perfecta, quæ formaliter aut virtualiter ea omnia media habet, quæ necessaria sunt ad ejus finem; ista autem erit imperfecta, quæ omnia hæc media neque formaliter neque virtualiter habet; et quæ proinde quoad effica-

cem assecutionem sui finis, pendet a beneplacito exterorum, qui possunt, si velint, ipsi succurrere vel auxilium ipsi negare.

Hic autem defendimus, Ecclesiam ita esse a Christo institutam, ut sit perfecta.

II. Demonstratio. 1° Ecclesiam societatem esse perfectam demonstratur ex ipsa natura ejus finis. Habet finem supremum, finem nempe hominis ultimum, qui nulli alteri fini est subordinatus. Jamvero omnia in societate sequuntur naturam ejus finis; ac proinde si finis alicujus societatis est supremus ac a nullo alio dependet, etiam media, quibus hæc societas erit instructa, perfecta erunt, si non formaliter, saltem virtualiter; nec unquam ejus potestas pendebit a beneplacito alterius societatis. Ergo Ecclesia utpote finem supremum habens, habebit in se formaliter aut saltem virtualiter omnia media ad finem suum necessaria, ac proinde erit perfecta.

2° Idem demonstramus ex expressa voluntate Institutoris, Christi Domini. Enimvero e S. Scripturis constat, Christum Dominum in Ecclesia sua constituisse magistratum proprium eique dedisse potestatem perfectam, verbis expressam amplissimis.

Ita Jesus dixit Petro, vicario suo, supremoque Ecclesiæ capiti *(Matth.* XVI, 18, 19) : « *Tu es Petrus, et super hanc* » *petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non* » *prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cælo-* » *rum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum* » *et in cœlis.* » Jamvero in hoc textu duo ostendunt Christum loqui de potestate perfecta : *a)* vox *quodcumque*, quæ omnia ad fidelium salutem pertinentia complectitur, iis solis exceptis, quæ jus divinum et jus naturale excipiunt; et *b)* locutio, *ligatum in cœlo, solutum in cœlo,* quæ ostendit nullam haberi potestatem mediam inter Petrum et Deum. Jamvero si Ecclesia non esset societas perfecta, daretur potestas media; illa nempe a cujus beneplacito ipsa penderet. ad obtinenda media ad finem suum necessaria.

3° Ecclesiam esse societatem perfectam testantur quoque Patres. Asserunt nimirum *a)* plenitudinem potestatis ac principatus ad Ecclesiam regendam in proprio ejus magistratu esse, id est in Episcopis. Ita S. Ignatius martyr : « Quid est aliud Episcopus, quam is, qui omnem potestatem ac principatum in Ecclesia obtinet? » (*Epist. ad Trallenses*) — *b)* Affirmant quoque imperium verum, et civili quidem præstantius et perfectius in Ecclesia esse. Ita S. Greg. Nazianz. *Orat.* 17 *ad Theod.* : « Te quoque, imperator, ait, imperio meo et throno meo lex » Christi subjicit. Imperium enim Christi nos gerimus : addo » etiam præstantius et perfectius. » — *c)* Asserunt etiam, præter magistratus Ecclesiæ proprios, neminem prorsus in Ecclesia quidquam posse, licet rex aut imperator sit. Ita S. Joan. Damasc. *Or.* 1 *de Imag.* : « Ne tentes, imperator, Ecclesiasticum » statum dissolvere. Ait enim Apostolus : Quosdam quidem po- » suit Deus in Ecclesia apostolos, quosdam autem prophetas, » quosdam vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, » non autem dixit reges. » *d)* Docent tandem Ecclesiæ, in iis quæ ad finem ejus assequendum pertinent, etiam subesse supremos magistratus civiles, dummodo e grege Christi sint. Cfr. textus S. Greg. sub *b)* citatus.

4° Si Christus Dominus Ecclesiam suam non instituisset perfectam, dicendum foret, ipsum suæ Ecclesiæ satis non providisse; quod absit, ut quis dicat. Nam *a)* unitas Ecclesiæ, sub actuali providentiæ divinæ œconomia, haud potuisset servari. Supposito nempe quod Ecclesia a regnis civilibus dependeat, attentis variis mutationibus et dissensionibus, quæ in regnis civilibus accidere solent, mox bella intestina in ea exsurgerent, et varii distinctique cœtus ab invicem omnino separati in ea sese efformarent; etenim res spiritualis omnino misceretur cum re politica. *b)* Custodia Ecclesiæ, in hac suppositione, tribus prioribus Ecclesiæ sæculis, necnon etiam hodie in regnis discolis, hæreticis aut schismaticis, fuisset commissa ipsis suis hostibus, paganis nempe, hæreticis

et schismaticis. Manifeste igitur liquet, quod si Ecclesia non sit societas perfecta, Christus Dominus haud satis ipsi providerit; jamvero hoc supponere non possumus; ergo dicendum est Ecclesiam esse societatem perfectam.

ARTICULUS II

Ecclesia est societas independens a societate civili

I. Explicatio. Illa societas dicitur independens, quæ alterius societatis legibus non est submissa; quemadmodum v. gr. societas commercii dependens est a societate civili, in qua existit.

Contendimus ergo Ecclesiam independentem esse a potestate civili, ita ut ejus legibus, in iis omnibus quæ ad suum finem pertinent, nullatenus subjiciatur.

II. Demonstratio. 1° Independentia Ecclesiæ fluit ex ejus perfectione. « Cum Ecclesia, ait S. S. D. Pius IX in litt. Ap. » 26 Mart. 1860, a Christo Domino fundata, ad sempiternam » hominum salutem curandam, *perfectæ* societatis formam vi » divinæ suæ institutionis obtinuerit, ea proinde libertate pollere » debet, ut in sacro suo ministerio obeundo nulli potestati civili » subjaceat. »

Ecclesia enim exinde vocatur societas perfecta, quod omnia habet media, sibi necessaria. Est ergo independens a societate civili, cum media sufficientia ex se ipsa habeat, si non formaliter, saltem virtualiter; ac proinde a beneplacito civilis gubernii non pendeat, sed e contra, ubi ejus auxilio eget, ipsi imperare possit.

2° Ecclesiæ independentia demonstratur quoque ex conditione ejus supernaturali. « Regimen Ecclesiæ, ait Bellarminus, super- » naturale est; nemini igitur convenit, nisi cui Deus commisit, » hanc Ecclesiam regere. » Jamvero legimus in Scripturis, istud regimen commissum esse Petro et Apostolis eorumque successoribus; nam Petro a Domino Jesu dictum est : *Pasce agnos*

meos, pasce oves meas; et de Episcopis legitur : *quos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei* (*Act. Ap.* XX, 28). Regibus autem tale ministerium fuisse commissum nullibi legimus; e contra S. Petrus ceterique Apostoli noluerunt obedire principibus civilibus in rebus religiosis, unde clare et aperte liquet non principes civiles in Ecclesia esse dominos; sed Apostolos a Deo assumptos et electos. Si enim potestas Ecclesiæ dependens esset a foro civili, haud potuissent Petrus et Apostoli eo modo loqui, quo nunc locuti sunt. (Cfr. *Act. Ap.* IV, 19 et seqq.).

ARTICULUS III

Explicatur quem gradum obtineat Ecclesia respectu ceterarum societatum; seu quænam sit potestas Ecclesiæ in eas

Prænotanda. 1° Postquam ostendimus Ecclesiam independentem esse a potestate civili, jam dicendum est, quomodo ipsa tandem se habeat quoad societatem civilem; et cum quæstiones illæ intimissime inter se sint connexæ, hic inquirimus in universum de gradu, quem Ecclesia obtinet respectu ceterarum societatum omnium.

Ut Ecclesia cum ceteris societatibus rite comparetur, animadvertendum est, legitimas societates omnes, duabus societatibus, quæ maximæ sunt, contineri : Ecclesia nimirum ipsa, et societate civili.

Et re quidem vera cujuslibet societatis ratio inde dimanat, quod homines, collatis viribus, quædam ad suum bonum pertinentia, acquirant quæ soli acquirere non possunt. Atvero, quæcumque pertinent ad bonum hominum, ea vel æterna, vel temporali felicitate continentur; quarum alteram Ecclesia complectitur, alteram societas civilis. Ergo quælibet societas vel in Ecclesia ipsa, vel in societate civili continetur.

Quapropter societates omnes, respectu habito ad Ecclesiam,

bifariam dividi possunt, in *homogeneas* et *heterogeneas;* porro *homogeneæ* dicendæ sunt, quæ ipsius Ecclesiæ sunt partes, sive totum Ecclesiæ finem sub ejusdem regimine complectantur, sive partem ejus, ex. gr. ordo aliquis religiosus. *Heterogeneæ* autem sunt appellandæ societates civiles omnes, necnon illæ societates, quæ partes sunt societatis civilis; uti collegia negotiatorum, militum etc., hæ nempe omnes societates finem sequuntur diversum ab Ecclesia.

Ex dictis tria dimanant corollaria : *a)* Ecclesia respectu societatum, quæ sibi sunt homogeneæ, sine ulla controversia ita habenda est superior, ut illæ plene ipsi subsint, quandoquidem sunt partes ejus.

b) Respectu earum societatum quæ sibi sunt heterogeneæ, tota controversia revocatur ad quæstionem de majoritate Ecclesiæ præ societate civili; quandoquidem ejusmodi societates ipsius societatis civilis sunt partes.

c) Tota quæstio igitur, in hoc articulo tractanda, in hoc unum recidit, an nempe Ecclesia præ societate civili major seu superior habenda sit.

2° *Triplici modo concipi potest primatus alicujus societatis præ alia : a)* Ut sejunctus sit ab omni jurisdictione in societatem inferiorem; ita ut hæc injuriam faciat societati superiori, si eam utcumque lædat, sed coerceri ab ea non valeat. Ista autem primatus ratio in societate suprema, quæ aliam ad quam confugiat, non habet, admitti non potest; aut si admittenda foret, pertineret ad extraordinariam quamdam providentiam Dei, qui positive id jussisset.

b) In hypothesi contraria, concipi potest iste primatus, tanta cum jurisdictione conjunctus, ut societas inferior absolute et directe subsit societati superiori, ad hanc autem pertineat inferiorem in omnibus regere atque ordinare. Hic modus eis tantum inferioribus societatibus convenire potest, quæ sunt homogeneæ.

c) Concipi quoque potest, ut societas major nonnisi per accidens in societatem inferiorem potestatem habeat, quoties scilicet proprii finis, propriæque conservationis necessitas id exigit. Hic autem modus societati majori erga eas societates convenit quæ sunt heterogeneæ.

3° *Triplici quoque ratione se habere potest societas civilis respectu ad Ecclesiam.* Potest nempe esse ab ejus potestate omnino exempta; tales sunt societates infidelium; vel potest esse ab Ecclesia separata quamvis ei subjecta; tales sunt societates civiles schismaticorum et protestantium; vel potest esse cum Ecclesia conjuncta; tales sunt societates catholicorum.

Quod paucis explanare satis erit. Etenim *a)* fieri potest, ut aliqua societas ab altera sit exempta; et tali modo indubitanter se habet societas civilis, quæ infidelibus constat respectu ad Ecclesiam. Ecclesia enim, teste S. Paulo *I Cor.* V, 12, *non judicat* eos, qui foris sunt; jamvero hæc sententia satis ostendit infideles exemptos esse ab Ecclesiæ potestate, cum judicium partem constituat essentialem potestatis societatis perfectæ, et indissolubiliter sit connexum cum potestate legislativa et coercitiva. — *b)* Societas potest esse ab alia separata, quamvis ipsi de jure subjecta; h. e. potest denegare obedientiam et submissionem alteri societati, atque contra eam pugnare, quamvis de se teneatur se huic societati submittere ejusque legibus obedire. Tales sunt respectu ad Ecclesiam illæ societates civiles, quæ aut hæresi aut schismate sunt infectæ. — Tandem *c)* potest societas una cum altera esse conjuncta, ejus legibus, uti juris est obedire, atque amicam servare habitudinem. Hujusmodi autem est status societatis civilis cum Ecclesia, ubi hæc civilis societas catholicis constat, quæ unitatem servant cum Ecclesia. — Quibus omnibus delibatis, una momentosa quæstio manet nobis solvenda. Qualis nempe *sit Ecclesiæ gradus ejusque potestas quoad societates civiles;* et in primis quærimus :

Q. I. *Qualis est Ecclesiæ primatus ejusque potestas in societatem civilem catholicam?*

R. 1° In rebus temporalibus, sub respectu finis temporalis consideratis, Ecclesia nihil potest in societate civili.

Etenim, quidquid fit in rebus temporalibus, sub respectu finis temporalis, est præter finem Ecclesiæ. Atqui generalis regula est, quod societas nullam habet potestatem in iis, quæ sunt extra finem proprium; ergo. — Idem definitum est in Later IV, c. 42 : « Sicut volumus, ut jura clericorum non usurpent laici, » ita velle debemus, ne clerici jura sibi vindicent laicorum. Quo- » circa universis clericis interdicimus, ne quis prætextu eccle- » siasticæ libertatis suam de cætero jurisdictionem extendat in » præjudicium justitiæ sæcularis, sed contentus existat consti- » tutionibus scriptis, et consuetudinibus hactenus approbatis, » ut quæ sunt Cæsaris, reddantur Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo » recta distributione reddantur. »

Inde ergo sequitur societatem civilem, licet ex catholicis conflatam, in rebus temporalibus sub respectu finis temporalis consideratis, non esse Ecclesiæ subordinatam, sed plane independentem.

2° Quibus in rebus sive *per se*, sive *per accidens*, concurrit necessitas finis spiritualis, i. e. Ecclesiæ, in iis, licet temporales sint, potestatem suam exserit Ecclesia, et civilis potestas ei cedere debet.

Demonstratio 1° *ex ratione*. Quibus in rebus finis alicujus societatis fini alterius postponi debet, in iisdem debet illa alteri cedere. Atqui in iis rebus, in quibus finis societatis civilis, (temporalis felicitas), sive per se sive per accidens confligit cum fine Ecclesiæ, (salute spirituali vitaque æterna), finis societatis civilis debet postponi; nam primum et summum bonum hominis est salus æterna. Ergo iis omnibus in rebus, licet temporales sint, in quibus *per se* vel *per accidens*, concurrit necessitas finis spiritualis, Ecclesia actionem suam exserere, civilis vero potestas cedere debet.

2° *ex S. Scriptura.* In *Act. Apost.* V, 28, 29 hæc legimus : « *Præcipiendo præcepimus vobis*, aiunt sacerdotes Judæo- » rum ad Apostolos, *ne doceretis in nomine isto, et ecce,* » *replestis Jerusalem doctrina vestra et vultis inducere* » *super nos sanguinem hominis istius. Respondens autem* « *Petrus et Apostoli dixerunt : oportet obedire Deo magis* » *quam hominibus.* » Quo in loco animadvertendum : *a)* seniores et sacerdotes, qui erant magistratus nationis Judaicæ, causam objecisse boni temporalis et tranquillitatis publicæ. « Vultis, » aiunt, inducere super nos sanguinem hominis istius. » — *b)* Contra ejusmodi bonum temporale ac publicam tranquillitatem, stetisse bonum spirituale, cujusmodi fuit prædicatio nominis Jesu, et constitutio Ecclesiæ. — *c)* In hoc conflictu, Spiritum S. per Apostolos aperte edixisse, posthabendam esse tranquillitatem publicam, magisque Deo obediendum esse quam hominibus. Ergo liquet potestatem civilem, ubi bonum spirituale concurrit, officium habere cedendi potestati Ecclesiæ.

Idem adstruunt illa omnia Scripturæ loca, quæ felicitatem temporalem, etiam quoad ea quæ magis necessaria sunt (1), licet simul carissima (2), denique totam simul complexam (3) posthaberi præcipiunt vitæ æternæ, id est fini Ecclesiæ.

R. 3° Regimen civile atheum esse non debet, ita ut indifferens se ostendat, in iis quæ ad religionem pertinent; verum in iis, quæ in favorem religionis præstat, submissum sit oportet decisionibus Ecclesiæ.

Demonstratur *prima pars responsi.* Societas civilis catholicorum considerari potest sub duplici respectu : *materiali*

(1) *Matth.* VI, 31 : « *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus; et hæc omnia adjicientur vobis.* »

(2) *Matth.* V, 29 : « *Quod si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te.* »

(3) *Matth.* XVI, 26 : « *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* »

quatenus est collectio catholicorum, et *formali* quatenus finem, qui sibi est proprius, intendit. Atqui utrovis sub respectu palam est, ejus regimen licite haud posse atheum esse, seu indifferens quoad religionem. Etenim sub primo respectu considerata, societas civilis est collectio membrorum Ecclesiæ; atqui membra non possunt esse indifferentia, quoad societatem cui inhærent; sed eidem etiam positive servire debent, in iis quæ illa exigit tamquam fini suo necessaria.

Inde sequitur, quod societas civilis catholicorum vim physicam Ecclesiæ, pro sua necessitate eam petenti, præstare omnino debet. Etsi enim vis physica transierit a singulis in societatis præfectos, transiit tamen cum onere suo; onus autem singulorum est, ut præstare debeant Ecclesiæ, cujus sunt membra, quæcumque ei necessaria sunt, ideoque etiam vim physicam.

Ad subsidium Ecclesiæ præstandum, etiam sub altero respectu tenetur civitas catholica. Etenim directe pertinet ad societatem civilem curare tranquillitatem republicæ, quæ pars maxima est temporalis felicitatis. Atqui tranquillitas consistere diu non potest cum indifferentia erga religionem; ergo ..... Præterea societas civilis non debet absolute et simpliciter temporalem felicitatem curare, sed quatenus ea est utilis homini; atqui temporalis felicitas homini utilis, ordinata esse debet ad vitam æternam; adeoque potestas civilis, quæ felicitatem temporalem prosequitur, respectum habere debet ad religionem.

Demonstratur *altera pars responsi,* nimirum : principes societatis catholicorum, ita religionem tueri debere ut Ecclesiæ judicia non antevertant, sed sequantur; imo ne modum quidem excedant, quem ad animarum salutem Ecclesia ipsis præscripserit.

Triplex ratio est, qua principes societatis catholicæ tenentur religionem tueri; prima est, quatenus ipsi sunt membra Ecclesiæ; reliquæ duæ, quatenus id exigit ipse finis societatis civilis; harum altera minus est perfecta, ut scilicet principes tempora-

lem tueantur felicitatem, quæ sine morum probitate ac religionis cultu consistere diu nequit; altera nobilior est atque ordine princeps, ut nimirum subditis procurent felicitatem temporalem, *homini propriam*, adeoque ordinatam ad vitam æternam. Jamvero quælibet ex iis rationibus exigit, ut principes in religione defendenda Ecclesiæ judicia non antevertant, sed sequantur. — Quod attinet ad primum, palam est membra cujuslibet societatis adeoque et Ecclesiæ, conferre debere quæ eidem necessaria sunt, non proprio, sed ejus qui societati præest arbitrio. Quod vero ad alterum attinet, ex eo ipso quod religio fundamentum est temporalis felicitatis, manifeste inde consequitur, cavendum esse ne ejus ordo violetur ac turbetur. Atqui id facile fieret si in religione defendenda anteverterent principes judicia Ecclesiæ, cujus solius est determinare quid religioni sit nocivum vel proficuum. Præterea, quemadmodum religionis ordinem sacrilege evertit, qui sacrificat cum sacerdos non sit; ita religionem violat, qui absque mandato de ea quidquam disponit. — Ad tertiam denique rationem quod spectat, ea maxime exigit, ut principes sequantur, non autem præcedant Ecclesiæ de rebus religiosis judicia. Cum enim finis societatis civilis, qui est temporalis felicitas, ordinetur ad finem Ecclesiæ, qui est vita æterna, merito concluditur, in iis quæ ad vitam æternam, adeoque ad religionem pertinent, Ecclesiam præire, et societatem civilem sequi debere.

Quibus omnibus delibatis, in oculos incurrit societati civili, quæ catholicis constat membris, munus incumbere Ecclesiam protegendi atque juvandi, ubi Ecclesia id exigit; verum in hisce omnibus procedere non debet proprio judicio, sed sequi tenetur vocem Ecclesiæ, cujus est decernere, quid sibi conveniat. Obligationem hanc tuendi Ecclesiam, optime exponit S. Leo Magnus ad Imperatorem Leonem scribens *(Epist.* 125, alias 75): « *Debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non* » *solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsi-*

» *dium esse collatam, ut ausus nefarios comprimas, atque* » *quæ bene sunt statuta defendas, et veram pacem his, quæ* » *sunt turbata restituas;* » et necessitatem sequendi in hac protectione ductum Ecclesiæ, docet R. P. Joannes VIII *(De officio Judicum ordin.* C. I) dicens : « *Publicum auxilium, ita in* » *Ecclesiæ bonum conferendum est, ut non præjudicare præ-* » *sumat, sed potius, quæ Deo sunt placita exequatur.* »

Quibus attentis liquet, quid respondendum sit, ubi quæritur quomodo potestas civilis debeat se gerere respectu ad Ecclesiam. *a)* In rebus mere temporalibus quæ respectum non habent ad finem spiritualem, potestas civilis est independens ad Ecclesia. — *b)* Potestas civilis nihil potest facere aut decernere quod pugnet cum legibus vel actibus Ecclesiæ; seu *negative* nihil potest statuere aut agere contra Ecclesiam. Et ratio est, quia bonum spirituale, quod majus est, semper supereminet bono temporali; et quia potestas civilis semper submissa est potestati spirituali sub *ratione peccati.* Ecclesia nempe judicat de omnibus actibus fidelium omnium sub ratione peccati. — *c)* Debet potestas civilis *positive* juvare Ecclesiam, in quantum ipsa hoc postulat; sed dependenter hoc faciat oportet ab Ecclesia.

Q. II. *Quænam est potestas Ecclesiæ in societates civiles schismaticorum et hæreticorum?*

R. 1° Hæretici et schismatici, stricte loquendo, ligantur legibus Ecclesiæ, non secus ac ipsi catholici; unde per se, societates civiles hæreticæ et schismaticæ ad idem tenentur ac societates civiles catholicæ. Ratio hujus responsi patet : origo submissionis Ecclesiæ potestati est susceptio baptismi. Quicumque enim baptismum susceperunt sunt oves Christi; et omnes suas oves commisit Jesus suæ Ecclesiæ. — Præterea, fraus et delictum nemini patrocinari potest; jamvero si hæretici et schismatici, ex ipsa defectione sua, ab Ecclesiæ auctoritate essent immunes, peccatum ipsis patrocinaretur. — Tandem si hæretici et schismatici jurisdictioni Ecclesiæ non submitterentur, ipsi nequidem

puniri possent ob defectionem suam; jamvero indubitanter Ecclesia potestatem habet eos puniendi; ergo...

R. 2° Quamvis hæretici et schismatici *per se* Ecclesiæ jurisdictioni submittantur, nihilominus Ecclesia eos sæpe in legibus suis non comprehendit. Ratio est, quia Ecclesia non fert leges in destructionem, sed in ædificationem; jamvero si obligaret hæreticos et schismaticos ad omnes suas leges servandas, id fieret potius ad augenda hæreticorum et schismaticorum peccata, quam ad eos convertendos. Inde judicare licet, Ecclesiam hæreticis et schismaticis suas leges non imponere, quotiescumque id vergeret potius in ruinam, quam ad conversionem eorum.

Q. III. *Quænam est potestas Ecclesiæ in societates infideles?*

R. 1° Ecclesia nullam potestatem habet, ut eis, antequam ad fidem convertantur, leges imponat; cum tantum potestatem habeat in eos, qui oves sunt Christi.

R. 2° Ecclesia potestatem tamen habet eis prædicandi evangelium. Quamvis autem non possit vi physica implantare fidem, liceret tamen, data opportunitate, vi physica se tueri contra infideles qui missionarios persequerentur, et libertatem sibi obtinere nuntiandi omnibus verbum Evangelii. Accepit nempe a Christo munus et proinde jus prædicandi evangelium omnibus gentibus. Unde si quis ei obstet, potest vim vi repellere; non secus ac illi omnes, qui injuste impugnantur.

ARTICULUS IV

Objectiones contra independentiam et perfectam potestatem Ecclesiæ, et subordinationem potestatis civilis potestati Ecclesiæ

Objicitur 1° Repugnat ut detur status in statu, seu ut iidem homines duobus legislatoribus supremis submittantur; nam necessario inde nascentur dissidia et contentiones innumera.

R. *Repugnat ut detur status in statu, distinguo* : repugnat ut detur status in statu, si ambo status eumdem habent finem et eadem media, *concedo;* nam tunc ambo isti status nonnisi unum constituerent. — Repugnat ut detur status in statu, si ambo isti status omnino a se invicem sunt independentes et nullatenus inter se subordinati, *pariter concedo;* nam tunc possent sociis simul imponi leges contradictoriæ et contrariæ quas tenerentur implere, quod sane absurdum est. — Repugnat status in statu, si isti status habent fines distinctos, independentes quidem in sphæra sua, sed quoad cetera subordinatos, *nego;* quia nihil absurdi inde sequitur. Etenim nihil obstat quominus idem homo ad plures pertineat societates distinctas, cum ipse plures possit intendere fines; et nihil etiam obstat, quominus sequatur leges variarum societatum independentium quidem in sphæra sua, sed quoad cetera inter se subordinatarum; propter hanc enim subordinationem, fieri non potest ut teneatur sequi leges contradictorias aut contrarias.

Dici posset : sed quamvis hæc subordinatio existat, necessario tamen exsurgent dissidia, uti historia demonstrat. Verum respondetur, illa dissidia non oriri ex ipsa rerum natura, sed ex malitia hominum, qui optimis rebus quibuscumque abutuntur. Jamvero, quia usus non debet tolli propter omnem abusum, Ecclesia potestate sua spoliari non debet, propter dissidia ex malitia hominum exorta.

Insuper, si quæ societas propter has dissensiones, quarum historia est testis, deberet potestate sua spoliari, non esset sane societas ecclesiastica, sed societas civilis. Etenim, bonum spirituale excellentia et necessitate infinite superat bonum temporale. Verum si bonum spirituale ita supereminet, nonne eadem ratione societati civili supereminet quoque Ecclesia, quæ hoc bonum tuetur, ac proinde si una ex duabus societatibus deberet potestate sua spoliari, nonne esset societas civilis, utpote minus bonum intendens atque afferens?

Obj. 2° Ecclesia perfectam non habet potestatem, siquidem territorium non habet; jamvero nullum datur regnum aut imperium sine territorio.

R. *Requiritur territorium ut detur perfecta potestas, distinguo :* requiritur altum dominium in terras et in bona terræ, ut civilis potestas sit completa et perfecta, *concedo;* idem altum dominium requiritur ut detur perfecta potestas spiritualis, *nego.* Et ratio distinctionis in eo est, quod potestas civilis pro munere habet ut curet omne bonum temporale, ad quod pertinent terræ et terrarum bona; verum Ecclesia cum curet bonum spirituale, alto dominio in terras non eget. Hoc solo eget Ecclesia, ut nempe licite possit quovis missionarios suos mittere, docere in omnibus regnis et imperiis, promulgare suas leges, et ministrare sacramenta. Hoc autem efficere potest ex auctoritate Christi dicentis : « *Euntes docete omnes gentes.* » Ergo territorium in hoc ultimo sensu intellectum, habet Ecclesia; et tamquam tale territorium habet totum orbem terrarum.

Obj. 3° Si Ecclesia est independens a potestate civili, et insuper potestatem habet in societatem civilem, dicendum est gubernium civile a Christo Domino partim spoliatum fuisse potestate sua; nam ante Christi adventum, reges et principes habebant potestatem supremam et ex omni parte independentem. Jamvero dici non potest de Christo, quod spoliavisset principes civiles potestate sua, cum ipse affirmaverit regnum suum non esse de hoc mundo, ac proinde se non venisse ut quid mutaret in re civili.

R. Ad hanc difficultatem solvendam sequentia notamus : 1° Principes civiles a Christo non fuerunt realiter spoliati aliqua potestate *in Ecclesiam;* siquidem Ecclesia ante ipsum non exstiterit sub hac forma, quam nunc habet. 2° Nequidem radicale habebant principes civiles jus, ut casu quo institueretur Ecclesia, obtinerent in ea potestatem; et proinde nequidem hoc radicali jure fuerunt a Christo spoliati. Etenim, cum Ecclesia

sit societas supernaturalis, ex libera et positiva Dei voluntate instituta, nemo habet jus ut in hac societate potestate fruatar, nisi a Deo ad hoc munus sit assumptus. 3° Ante adventum Christi, in multis quidem regionibus princeps civilis erat etiam sacerdos; ita etiam ante legem Moysis factum est apud patriarchas qui simul erant capita familiarum seu reges, et sacerdotes; tales fuerunt Abel et Cain, Noe, Abraham, Melchisedech, Isaac et Jacob. Verum hæc unio potestatis civilis et sacerdotalis non inde orta est, quod princeps civilis *ex se* jus habeat ad sacerdotium; sed ex eo quod tunc temporis non existebat societas religiosa a Deo specialiter ordinata, ideoque jus erat populi designare eos qui se in rebus divini cultus gubernarent. Jam autem usu factum est ut hoc munus committeretur ipsis principibus civilibus. Quod hæc unio non facta est ex ipsa rerum natura, exinde solum jam liquet quod fines societatis civilis et spiritualis sunt omnino distincti, ac proinde potest dari potestas in unam societatem, quin detur in alteram.

Liquet igitur principes civiles a Christo Domino nullatenus spoliatos fuisse juribus suis, cum de se in societatem spiritualem nullam habeant potestatem. Privati quidem sunt potestate illa, qua aliqui ex ipsis ante Christum in re religiosa actu usi sunt; sed hæc potestas eis non erat propria, sed extrinsice superaddita. Ergo Christus Dominus principes civiles *propria* potestate ipsorum non privavit.

Obj. 4° Contra officium status civilis juvandi Ecclesiam atque bonum religionis promovendi, solet objici : Minime expedit, homines regia potestate compelli ad obediendum Ecclesiæ; nam *a)* id tranquillitatem societatis civilis facile turbat; *b)* id magis atque magis alienas facit ab Ecclesia hominum animas, quandoquidem improba videtur dominatio, quæ terrore potius quam doctrina et persuasione utitur; *c)* duplici mensura utitur Ecclesia, cum ipsa in statibus acatholicis ab heterodoxis postulet libertatem quam ipsis negat in statibus catholicis.

R. ad *a)* Officio status civilis bonum religionis promovendi apponitur hæc conditio : *secundum quod possibile fuerit.* Quapropter, si reipublicæ circumstantiæ sint ejusmodi, ut illud officium præstare vetent, ea tolerantia adhibenda erit, quæ malo permittenda non raro adhibetur. Ita, si circumstantiæ et pax regni id postulent, poterit gubernium civile, in certis saltem limitibus, eas tolerare libertates cultus et typorum, quæ de se nocivæ sunt bono religionis; nemo enim tenetur ad impediendum malum, medio inutili, imo nocivo; verum hoc in casu status civilis debet se *negative* ac *passive gerere;* et nihil unquam approbare potest, quod Ecclesiæ bono vel legibus sit contrarium.

R. ad *b)* Quid hic respondendum sit, docet S. Augustinus *Epist. ad Vincentium :* « At quibusdam ista non prosunt. Num- » quid ideo negligenda est medicina, quia nonnullorum insana- » bilis est pestilentia? Tu non attendis, nisi ad eos, qui tam duri » sunt, ut nec istam recipiant disciplinam. De talibus scriptum » est : *Frustra flagellari filios vestros, disciplinam non rece-* » *perunt.* Puto tamen, quia dilectione, non odio flagellati sunt.

« Sed debes etiam tam multos attendere, de quorum salute » gaudemus. Si enim tenerentur et non docerentur, improba » quasi dominatio videretur. Rursus si docerentur et non tene- » rentur, vetustate consuetudinis obdurati, pigrius ad capessen- » dam viam salutis moverentur; quandoquidem multi, quos bene » novimus, reddita sibi ratione, et manifestata divinis testimo- » niis veritate, respondebant, cupere se in Ecclesiæ catholicæ » communionem transire sed perditorum hominum inimicitias » formidare. Cum vero doctrina salutaris terrori utile adjunge- » retur, de multorum, ut dixi, salute lætamur benedicentium » nobiscum Deo, quod sua pollicitatione completa, qua Reges » terræ Christo servituros esse promisit, sic curavit morbidos, » sic sanavit infirmos. » — Et infra idem Augustinus dicit : « Et » tamen vereris, ne cum imperialibus legibus ad unitatem cogi- » mini, nomen Dei a Judæis et Paganis magis blasphemetur,

» Verum Pagani magis nos blasphemarunt de legibus, quas » contra idolorum cultores christiani imperatores tulerunt, et » tamen ex eis multi correcti, et ad Deum vivum verumque con- » versi sunt et quotidie convertuntur. »

R. ad *c)* Ecclesia in utroque casu memorato, non opposita sequitur principia, verum juxta diversas circumstantias, diverso modo sese gerit et conatur id obtinere, ad quod jus habet. — In societate civili quæ catholicis constat, Ecclesia exigit a potestate civili quidquid exigere potest; pro motivo autem affert quod ipsa est sola vera Ecclesia, ac proinde sola ad plenam protectionem jus habet. Quo quidem argumento sapienter utitur, quia hæc civilis societas apta est ut illud percipiat. — In societate autem civili quæ acatholicis constat, non postulat id omne Ecclesia, ad quod jus habet, sed partem tantummodo, scilicet libertatem ab omni impedimento in promulganda doctrina et in cultu exercendo. Quod ut obtineat non dicit se esse solam Ecclesiam veram, quia hæc civilis societas id non admitteret; sed utitur *argumento ad hominem*. Dicit nempe suum cultum saltem æque bonum esse, atque veneratione dignum, ac cæteros cultus, qui libertate fruuntur; ac proinde et sibi libertatem concedendam esse. Hoc argumento usi sunt Patres et scriptores ecclesiastici in primis Ecclesiæ sæculis, ut obtinerent religionis christianæ libertatem.

Non igitur duplici mensura utitur Ecclesia. Ubi negat acatholicis libertatem falsi cultus ipsorum, et solis catholicis eam tribuit, tunc exigit plenum suum jus, sed nihil ultra. Ubi vero in statu acatholico solam libertatem postulat absque exclusiva protectione, tantummodo partem suorum jurium exigit, et hoc quidem facit ex motivo prudentiæ. Nihil igitur facit, quod jura sua excedat; sed meliori, quo potest, modo conatur juribus suis frui ut missionem suam, a Christo acceptam, possit implere.

Nec dicatur, quod si Ecclesia ab acatholicis libertatem obtineat, eam quoque tenetur ipsis dare in statibus catholicis. Ete-

nim veritas et error, justitia et peccatum non habent sane idem jus; nam quis non videt, justitiam et veritatem, non autem errorem et vitium jus habere ad libertatem et protectionem. Si enim objectio ab adversariis allata valeret, oporteret dicere, quod, ubi aliquis malefactor alteri aliquid boni præstitisset, ille nullo in casu isti malefactori libertatem malum patrandi auferre posset; quod sane, absurdum est principium.

Obj. 5° Contra officium istud status civilis, protegendi solummodo cultum catholicum, eique soli libertatem concedendi, et ita solet objici :

a) Imago perfectæ gubernationis in providentia Dei habetur, cum Deus sit typus omnis sanctitatis; status ergo civilis non tenetur quid ultra facere pro hominum salute, quam ipse facit Deus. Jamvero Deus omnibus relinquit libertatem audiendi Ecclesiam suam, vel eam non audiendi, cum tamen optime omnes posset cogere. Ergo nec status civilis tenetur cogere cives suos ad fidem Christi amplectendam, et ad obediendum Ecclesiæ.

b) Omnis coactio externa aufert, vel saltem minuit meritum fidei et sanctitatis vitæ, nam quo major fuit libertas in operando, eo magis elucet in opere bono vera virtus et in Deum devotio. Idcirco, si auferatur libertas cultuum et typorum, aufertur vel saltem minuitur meritum in fide et in sanctitate vitæ. Quale meritum enim obtinetur, si fides quasi imponitur; si abest libertas profitendi et prædicandi errorem; si desint libri mali, e quibus obtinemus aliorum cultuum notitiam, et objectiones contra fidem catholicam innotescunt.

R. 1° Habetur quidem in providentia divina perfecta imago gubernationis, modo ea excipiantur, quæ auctoritatem et potentiam supponunt divinam, et ea adjungantur, quæ ipsa Dei providentia ab homine expostulat. — Jamvero providentia Dei postulat, uti supra demonstratum fuit, ut gubernia civilia bonum religionis promoveant. Ergo hic certo certius appellandum non

est ad gubernium providentiæ divinæ. — Præterea, agere sicuti Deus agit, in relinquendo homines in libertate, pertinet ad potestatem divinam, quæ est domina omnium, et omnia juxta beneplacitum suum disponit. Homo autem hac in re obstringitur lege charitatis, quam præ ceteris omnibus tenetur sequi.

R. 2° Hæc objectio, uti liquet, fundatur in lege charitatis, qua bonum proximi tenemur quærere; nam dicit dandam esse libertatem cultuum, ne minuatur meritum in fidelibus. Inquirendum igitur a nobis est, an revera hæc libertas bono proximi nostri prosit, et idcirco a lege charitatis exigatur vel saltem suadeatur.

Jamvero, hæc libertatis concessio longe magis sociis nocet, quam prodest. Etenim, data hac libertate, innumeri, uti historia demonstrat, deficiunt a justitia, et animæ suæ detrimentum patiuntur. — Ab altera autem parte hæc absentia libertatis non impedit meritum, quod nempe sola coactione interna impeditur; nec etiam ordinarie illud minuit, cum aliunde acerrimæ dantur tentationes, suscitatæ a mundo, a carne et a diabolo, quæ hominem a recta via avertunt, nisi viriliter resistat.

Ergo hæc cultuum libertas ab una parte nullum fere fructum producit, dum ab altera parte maxime nocet; ac proinde falso asseritur hanc libertatem esse necessariam ad provehendam veram hominis felicitatem, eamque exigi a lege charitatis.

Obj. 6° Contra officium societatis civilis sese submittendi Ecclesiæ et hæc moveri solet difficultas :

Si Ecclesia, aiunt, plene est independens a societate civili ejusque legibus, et societas civilis tenetur, in rebus spiritualibus, necnon in rebus temporalibus ad religionem pertinentibus, se submittere legibus Ecclesiæ, fieri potest ut ab Ecclesia talia imponantur, quæ felicitati temporali sunt nociva; nam, uti ipsi dicunt, Ecclesia missionem non habet curandi bonum temporale, ejusque curæ est incapax. Insuper, addunt, fieri potest ut Ecclesia injuste agat; nam si ipsa infallibilis est in docendo, nullatenus est impeccabilis in agendo.

R. Imprimis hæc objectio non valet pro legibus generalibus, siquidem in eis Ecclesia, juxta fidei doctrinam, errare non potest, seu aliquid contra jus divinum aut jus naturale statuere.

Quoad ceteros casus haud certe repugnat, ut in lege particulari quid minus recte statuatur, aut lex generalis in aliquo loco sit nociva; verum tunc licitum est principi civili ad S. Sedem recurrere, de cujus sapientia hoc in casu dubium moveri non potest, cum Christus ipsi assistentiam Spiritus Sancti promiserit; quæ sane assistentia nunquam magis, quam in hoc casu necessaria est.

Tandem id ab adversariis possemus postulare : si societas civilis independens esset ab Ecclesia, et Ecclesia potestati civili submissa esset, an tunc omnia jura sarta tecta servarentur? Nonne et potestas civilis posset a via justitiæ deflectere, et nociva imponere? Nonne ipsa historia testatur principes civiles frequentissime justitiæ et æquitatis legis prætergressos esse, atque indubie multo magis timendum esse a potestate civili, quam ab Ecclesia?

Obj. 7° Occasione definitionis infallibilitatis pontificiæ per const. *Pastor æternus,* nonnulli hodierni politici ita arguunt : cum per constitutionem *Pastor æternus*, Romano Pontifici absoluta quædam et illimitata collata fuerit potestas, liberum ei in posterum erit omnia jura principum invadere. Quinimo posset summus Pontifex, essentialia principum jura sibi arrogare, et hujusmodi usurpationes in fidei dogmata convertere.

R. Falsissimum est, in const. *Pastor æternus,* approbante Concilio Vaticano edita, absolutam et illimitatam S. Pontifici asseri potestatem. Nam de Romano pontificatu nova definitio in Concilio Vaticano minime fuit condita, sed Concilii Florentini decretum, in quo definiebatur, S. Pontifici « *in beato Petro, pascendi regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Jesu-Christo plenam potestatem traditam esse* », simpliciter fuit innovatum. Porro etsi definitio Vaticana potesta-

tem Pontificis plenam declarat, eamdem tamen ad spiritualem Ecclesiæ gubernationem restringit. Tantum autem abest, quominus Romanus Pontifex illimitatam exerceat potestatem, ut suprema ejus auctoritas inprimis quidem limitetur jure divino, contra quod nihil potest, sed etiam, nisi justam rationem obesse judicet, juris humani canones debeat religiosissime observare, si fidelium obedientiam, reverentiam et amorem sibi conciliare velit, et sublimi, qua gaudet, potestate in ædificationem fidelium uti. Quid igitur a tali potestate gubernia formidant? At opponunt, fieri saltem posse ut Romanus Pontifex *ex cathedra* loquens, essentialia jura principum sibi vindicet. Non magis id fieri potest, quam quod Concilium œcumenicum in decreto dogmatico, essentiale jus principis ecclesiasticæ potestati attribuat; utriusque enim infallibilitas extensione et intentione sua eadem est. Quamquam autem Ecclesia catholica sibi vindicat infallibili determinare judicio, quousque jurisdictio sua divina sese extendat, attamen prorsus fieri nequit, ut ipsa tali actu aliena jura invadat. Præcavet enim assistentia Spiritus Sancti, quæ causa efficiens est infallibilitatis tum Papæ ex cathedra loquentis, tum Ecclesiæ, ne definitio doctrinalis versetur circa objectum ad revelationis veritates vel cum iis connexas veritates non pertinens, neve circa has veritates aliquid falsi declaretur. « Neque » enim, uti loquitur SS. D. N. Pius IX in Concilio Vaticano, » Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo » revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente, » traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte » custodirent et fideliter exponerent. »

Non magis igitur Ecclèsia a principibus civilibus timenda est, post definitionem infallibilitatis Romani Pontificis, quam ante eam; nec ullatenus aliquid ab ea est timendum, cum non sola voluntate humana, sed movente Spiritu Sancto, gubernetur.

Obj. 8° S. Optatus, Libro III *de Schismate Donatistarum*, scribit : *Ecclesia est in statu, sed status non est in Ecclesia.*

Unde, aiunt, Ecclesia est dependens a statu civili, et civilis status independens ab Ecclesia.

R. 1° Frustra adversarii nobis opponunt santi viri auctoritatem; nam saltem concedere oportet hæc verba non esse undequoque clara, ideoque explicari debere juxta ideas, indolem et rationem scribendi auctoris. Porro si perlustramus opera S. Optati, videmus ubique ejus doctrinam plene concordem esse cum doctrina Ecclesiæ et Patrum. Unde non possumus legitime suspicari ipsum in hoc loco a communi recessisse doctrina, ut nova doceret. — Propriam autem ejus doctrinam de relationibus Ecclesiam inter et statum civilem, invenimus expressam in ipso hoc libro, e quo desumptus est textus allatus, atque ibidem totis verbis refert ac defendit S. Optatus quod hac de re docuit et docet Ecclesia. Etenim in memorato libro, refellit calumniam Donatistarum, qui catholicos accusabant, quod voluerant Ecclesiam submittere imperatori. Jamvero, hanc calumniam refellendo, evidenter demonstrat S. Optatus catholicos et seipsum sentire, quod Ecclesia imperatori nullatenus est submissa.

Liquet igitur, objecta verba S. Optati in sensu acatholico explicari non posse, quin eis sensus subjiciatur tum indoli tum doctrinæ auctoris repugnans; jamvero tali modo, uti omnes confitentur, haud licet interpretari textum dubium et obscurum; erga verba S. Optati nobis objecta sensu acatholico interpretari haud licet.

R. 2° Ut sensum verborum S. Optati directe explicemus, quædam sunt notanda, circa orationis contextum. — S. Optatus narrat Parmeniano, quod Imperator Constans eleemosynas miserat pauperibus, et quod Donatus Schismaticus, loco benedictionum, maledictiones Imperatori reppenderat. Quem agendi modum S. Optatus duris arguit hisce verbis : « Jam tunc medi-
» tabatur Donatus potestatibus et regibus injuriam facere, pro
» quibus, si Apostolum audiret, quotidie rogare debuerat. Sic
» enim docet Beatus Apostolus Paulus : Rogate pro regibus et

» potestatibus, ut tranquillam vitam cum iis agamus. Non enim » respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia est in republica, id est, » in imperio romano... Ubi et sacerdotia sancta sunt; et pu- » dicitia et virginitas, quæ in barbaris gentibus non sunt; et si » essent, tuta esse non possent. » (Lib. III, *de Schism. Donat.).* Jamvero quatuor hic sunt animadvertanda puncta, ut sententia S. Optati clara ponatur in luce :

a) Per vocem *respublica*, non intelligenda est societas civilis in universum, seu generatim sumpta, sed imperium romanum, prouti tunc existebat. Etenim S. Optatus dicit : Ecclesia est in republica, hoc est, in imperio romano; et statim hanc rempublicam romanam ab aliis societatibus civilibus distinguit.

b) Ecclesia dicitur a S. Optato inesse alio modo imperio romano, ac in aliis societatibus civilibus; nam dicit : « Ecclesia » est in republica, id est, in imperio romano... Ubi et sacerdotia » sancta sunt, et pudicitia et virginitas, quæ in gentibus barbaris » non sunt; et si essent, tuta essè non possent. «

c) Ratio, ob quam S. Optatus dicit Ecclesiam esse in imperio romano, non est Ecclesiæ ab imperio essentialis dependentia, sed protectio seu liberi sacrorum exercitii concessio, qua Ecclesia sub imperio fruitur.

d) Verbum *esse* in præsenti loco significat existentiam legalem, non vero existentiam physicam; significat nempe *existentiam sub protectione civili.* Id enim aperte liquet, ex eo quod opponit S. Optatus existentiam Ecclesiæ in imperio romano, illi existentiæ quam apud ceteras gentes obtinet.

Quibus omnibus animadversis, indubium apparet, sententiam S. Optati citatis verbis expressam, præbere sequentem sensum : « Ecclesia contra adversarios suos opus habet protectione status » civilis; sed hic contra suos hostes externos Ecclesiæ adjutorio » opus non habet; quanta igitur fuit Donati temeritas, ubi inju- » rioso modo potentissimum imperatorem, qui sponte suum adju- » torium Ecclesiæ offerebat, excepit. » Longe igitur abest, ut

S. Optatus docuerit Ecclesiam a statu civili dependentem esse, cum hac de quæstione ne vel minimum quidem punctum tetigerit. Loquitur nimirum de modo quo Ecclesia catholica se habuerit suo tempore in imperio romano, et rationem indicat secundum quam Ecclesia se gerere debeat erga istud imperium; verum relationes et officia, quæ essentialiter Ecclesiam inter et societatem civilem qualemcumque intercedunt, nullatenus declarare intendit.

ARTICULUS V

Ecclesia Christi est inæqualis atque ita comparata, ut alii in ea sint præpositi, alii subditi; alii doctores, alii discipuli; atque alii sint mysteriorum dispensatores, alii sanctificandi, ita Christo auctore volente

I. Explicatio. Post quæstiones : « *an Ecclesia sit societas perfecta* »; « *an sit independens* »; et « *quemnam obtineat gradum respectu cæterarum societatum* »; jam dicendum nunc est, quibusnam hæc perfecta et plena Ecclesiæ potestas insit; utrum nempe ad totum Ecclesiæ corpus pertineat, an vero quorumdam tantummodo sit, qui cæteris sunt præpositi.

In Protestantium sententia nulla est ex divina institutione inter superiores et inferiores distinctio; omnis vero potestas et jurisdictio ecclesiastica radicaliter populo fideli inest.

Unde ministri sacri a fidelibus eliguntur, et ab eis auctoritatem mutuantur; vel plebis loco, munus suum accipiunt a magistratibus civilibus, seu a regibus; et vi hujus solius delegationis secernuntur a fidelibus laïcis. Protestantium itaque doctrina ad hæc duo reducitur puncta : 1° potestas ecclesiastica ex divina institutione ipsi fidelium multitudini competit; 2° a fidelibus hæc potestas transfertur in ministros, qui idcirco non agunt auctoritate sibi propria, sed auctoritate a multitudine fidelium delegata. Hanc sententiam clare proposuit Lutherus, in libro suo : « *De captivitate babylonica* », p. 288. « Neque papa,

» neque episcopus, neque ullus hominum habet jus unius syl-
» labæ constituendæ super christianum hominem, nisi id fiat
» ejusdem consensu. »

Contra hanc autem Protestantium doctrinam, propugnamus *Christum potestatem ecclesiasticam non contulisse multitudini fidelium, sed ministerio e plebe a se electo, quod ministerium perpetuum in Ecclesia esse voluit.*

Quum absolute loquendo, integrum fuerit Christo, potestatem ecclesiasticam conferre toti fidelium multitudini, aut quibusdam tantum viris electis, demonstratio nostræ theseos non est *a priori* repetenda ex rationis principiis, sed ex solis Christi instituentis verbis, a cujus libera voluntate tota Ecclesiæ constitutio pendet.

II. Demonstratio. Certum erit, Christum Dominum non toti multitudini sed quibusdam viris electis potestatem ecclesiasticam contulisse, si constet *a)* Petro et cum Petro Apostolis eam fuisse originaliter collatam; et *b)* eam fuisse ipsis collatam non prout cœtum fidelium constituebant aut repræsentabant; sed eo fine ut per illam ab eo discernerentur, eique jure divino superiores existerent; atqui id constat; ergo...

Minor facile probatur; etenim *a)* ex verbis Christi *Matt.* XVI, 18. *Luc.* XXII, 32 et *Joan.* XXI, 15 et seqq. manifestum est Christum universam ecclesiasticam potestatem originaliter in Petro constituisse, uti erat persona distincta ab aliis et spectata in oppositione cum omnibus aliis (Cfr. supra, p. 69 seq.). Participationem autem supremæ potestatis fecit Christus aliis quoque Apostolis, dicendo *Matth.* XVIII, 18 : « *Amen dico vobis,* » *quæcumque alligaveritis super terram, ligata erunt et in* » *cœlo; et quæcumque solveritis super terram erunt soluta* » *et in cœlo.* » et *Matth.* XXVIII, 19, 20 : « *Euntes ergo* » *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et* » *Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæ-* » *cumque mandavi vobis.* » Quæ verba etiam ad solos Apo-

stolos fuerunt directa, nam eos distinguit Christus tamquam regentes et docentes, a meris fidelibus qui ab eis sunt docendi et regendi. Quod autem hic agitur non tantum de potestatis exercitio, sed de integra et originali potestate, indubie constat ex eo quod Christus non primum eam confert multitudini, dein ejus exercitium committit Petro et Apostolis; sed de multitudine tacet, et immediate eam confert collegio a se electo.

b) Etiam Petro et Apostolis non fuit data potestas, prout cœtum fidelium repræsentassent; nam in hac hypothesi Christus cum potestatem communicavit, non solos Apostolos, sed omnes fideles sibi adhærentes esset allocutus.

Quum autem suprema potestas ab ipso Ecclesiæ Auctore libere data fuerit Apostolis, sejunctim ab aliis Christi discipulis, quumque hæc potestas eis commissa fuerit, *ut auctoribus futuræ societatis*, manifestum est subjectum potestatis ecclesiasticæ non esse universum fidelium cœtum, sed certam personam, certumque sub ea personarum ordinem qui in Apostolis incœpit.

Quod hic e S. Scriptura collegimus, definivit Ecclesia in Conc. Tridentino, Sess. XXIII, can. 7; et Pius VI, in bulla *Auctorem fidei*, hæreticam declaravit « propositionem, quæ statuit potes- » tatem a Deo Ecclesiæ suæ collatam, ut communicaretur pasto- » ribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum, sic intel- » lectam, ut a communitate fidelium in pastores derivetur » ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas. »

Potestatem autem ecclesiasticam post mortem Petri et Apostolorum non venisse in manus multitudinis, sed successive propagari in eos qui canonice in ministros assumuntur, sequitur ex Ecclesiæ perennitate, quam supra demonstravimus. Hæc enim perennitas importat, ut ex voluntate absoluta et efficaci Christi, Ecclesia ad finem mundi usque absque essentiali ulla mutatione existat. Ergo Ecclesia perenniter perseverare debet cum ea potestatis distributione, quam Christus ab initio ei dedit.

III. Nota. Usu ecclesiastico κλῆρος, *clerus* dictum est colle-

gium eorum, qui, sacris functionibus vacantes, cultui Dei sunt specialiter deputati, secundum id quod populus Israël vocabatur κληρονομια *hæreditas* Dei, quo significabatur : gratuita electio, magnumque bonum a Deo profectum. Vocabatur nempe populus Israëliticus κληρονομια Dei, et Deus vocabatur κληρος (sors, pars, hæreditas) populi Israëlitici, propter intimam necessitudinem et ardentem affectum inter Deum et hunc populum ; quod unionis vinculum propter summum suum robur, comparatur affectui præ cæteris ardenti et firmo quo adhæret quis bonis suis hæreditariis. — De *clero* scribit S. Hieronymus Epist LII *ad Nepotianum* n. 5 : « Clericus interpretetur primum vocabulum » suum, et nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. » Si enim κληρος græce, sors latine appellatur, propterea vocan- » tur *clerici*, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus » sors, i. e. pars clericorum est. »

IV. Objectio. Adversarii dicunt a S. Petro doceri, omnes fideles esse sacerdotes, ac proinde distinctionem non dari in Ecclesia inter superiores et inferiores. Scribit nempe S. Petrus, I Epist. II, 9, de fidelibus universim : « *vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* »

R. Objectio valeret, si vox sacerdotium hic sumeretur in sensu proprio ; verum constat eam sumi in sensu metaphorico. Etenim *sacerdotium* de se supponit dignitatem, quæ omnibus communis non est. Nec aliquid obstat, quominus omnis fidelis metaphorice sacerdos dicatur. Cum enim ad proprie dictum sacerdotium pertineat hostiæ immolatio, hujusque immolationis oblatio ad Dei cultum, sacerdotes improprie vocari possunt qui ex corde cultum Deo offerunt, aut sacrificio a sacerdote oblato consentiunt vel concurrunt; actiones enim illæ sunt partes quædam sacrificii proprie dicti. Jamvero hujusmodi actiones pertinent ad fideles omnes; ergo jure merito omnes fideles metaphorice sacerdotes dicuntur, et tota fidelium multitudo sacerdotium vocatur (Cf. Tarquini, *op. cit.* sect. II, cap. I).

ARTICULUS VI

Definitur Ecclesiæ potestas

Prænotandum. Expeditis prævíis quæstionibus de perfectione potestatis Ecclesiasticæ, deque ejus subjecto, reliquum est, ut definiatur in specie, quænam sint omnia et singula Ecclesiæ jura. Jamvero quum demonstratum sit Ecclesiam esse societatem perfectam, et omni societati perfectæ competere potestatem legislativam, judiciariam et coercitivam, liquet triplicem hanc potestatem etiam Ecclesiæ pertinere circa eas omnes materias, quæ ad suum spectant finem. Verum, quia Ecclesia est societas supernaturalis ac plenarie a libera divini ejus Institutoris voluntate pendens, scrutandum est utrum hisce nativis cujusvis societatis perfectæ juribus nihil Deus addiderit, necnon aliquibus forte dotibus singulas illas potestates adornaverit.

Jesus autem venit in mundum, et Ecclesiam suam instituit, ut omnes vitam habeant et abundantius habeant (*Joan.* X, 10), vitam scil. gratiæ, qua mediante obtinebitur vita gloriæ seu cœlum. Jamvero ut detur illa vita gratiæ in homine, duo concurrere debent principia (saltem in homine adulto ratione utente) : unum, quod de cœlo descendit; et alterum quod ad hominem pertinet. Principium cœleste est *gratia sanctificans*, quæ juxta voluntatem et institutionem Christi, confertur per ritus externos, seu per sacramenta. *Cooperatio* autem hominis ad hanc gratiam sanctificantem obtinendam, augendam et conservandam est alterum principium.

Hisce duobus principiis applicandis et conservandis respondet in Ecclesia duplex potestas : potestas nimirum conficiendi et conferendi sacramenta; et potestas docendi, gubernandi, judicandi et coërcendi fideles ut cooperentur gratiæ. Prima potestas vocatur *ordinis* ab origine sua, quia nempe mediante sacramento, quod ordo dicitur, homini confertur. Altera autem voca-

tur *jurisdictionis* a fine suo, quia ipsa inservit ad docendum, imponendum, judicandum et decernendum, quid sit æquum et sanctum, seu quid sit credendum, et quid agendum.

De potestate *ordinis* hic non agimus, cum de ea disseratur in tractatu de Sacramentis. Ergo unice nobis agendum est de potestate *jurisdictionis*. Hæc autem jurisdictionis potestas complectitur jus *ferendi leges, judicandi* et *coercendi*, uti liquet ex eo quod Ecclesia est societas perfecta; verum præter hoc, complectitur quoque potestatem *docendi Christi doctrinam;* quæ potestas infallibilitatis dote est ornata. Idcirco potestas jurisdictionis complectitur tum potestatem regendi per leges, judicia et pœnas, tum potestatem infallibiliter Christi doctrinam docendi. De utraque potestate hic breviter agemus in distinctis paragraphis.

Quidam auctores Ecclesiæ potestatem distribuunt in potestatem *regiam, sacerdotalem* et *propheticam seu magistralem;* Ecclesia enim, aiunt, in terris vices agit Christi qui fuit rex, summus sacerdos et magni consilii angelus, seu propheta vel doctor. Verum hæc partitio commode revocatur ad illam, quam hic dedimus, in potestatem *ordinis*, quæ potestate sacerdotali continetur, et in potestatem *jurisdictionis*, quæ potestatem regendi docendique complectitur.

§ I.

Christus instituit in Ecclesia sua potestatem legislativam, judiciariam et coërcitivam.

—

I. Prænotandum. Ex eo quod demonstravimus Ecclesiam Christi esse societatem perfectam, jam sequitur eam ex Christi voluntate habere potestatem legislativam, judiciariam et coërcitivam, omni societati perfectæ propriam. Verum ad ampliorem

rei obtinendam scientiam, demonstrabimus quoque immediate e verbis Christi hanc potestatem Ecclesiæ pertinere.

II. Demonstratio. 1° Quoad *potestatem legislativam. a) E verbis S. Scripturæ.* Christus Apostolis suis dedit potestatem ligandi et solvendi, dicens: « *Amen dico vobis, quæcumque alli-* » *gaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcum-* » *que solveritis in terra, erunt soluta et in cœlo.* » Hisce verbis Christum Apostolis potestatem legislativam dedisse, probatur : α) *ex sensu obvio verborum;* nam *ligare* significat impedire, quominus aliquis pro libitu suo agat; ligantur autem homines in societate justis legibus, quibus ipsorum libertas coarctatur; ligare ergo hic significat legem ferre, sicut *solvere* significat legem abrogare, vel relaxare. — β) *ex locis biblicis parallelis :* Christus, ut ostendat se divina veteris legis præcepta non abrogare, dicit : « *non veni solvere legem aut prophetas, non veni* » *solvere, sed adimplere.* » (*Matth.* V, 17). In eodem sensu voces istas adhibuit Paulus, cum dicit : « *Quæ sub viro est* » *mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus* » *fuerit vir ejus, soluta est a lege viri.* » (*Rom.* VII, 2).

b) E praxi Apostolorum. Ipsi nimirum, verborum Christi authentici præcones et interpretes, potestatem legislativam sibi adjudicarunt, eamque actu exercuerunt. Veram enim legem, ut Præsules Ecclesiæ in concilio Hierosolymitano tulerunt, fidelibus præcipiendo, ut se abstinerent « *ab immolatis simula-* » *crorum, et sanguine et suffocato.* » (*Act. Ap.* XV, 29). Leges istæ ubique statim inter fideles propagatæ et observatæ sunt. Legitur enim : « *Paulus perambulabat Syriam et Ciliciam* » *confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta* » *Apostolorum et seniorum.* » (*Act. Ap.* XV, 41).

2° *Quoad potestatem judiciariam.* Apostolos a Christo potestatem accepisse judicandi in foro externo de actionibus fidelium, luculenter patet e verbis Christi (*Matth.* XVIII, 15-17) : « *Si peccaverit in te frater tuus.... dic Ecclesiæ, quod si*

Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. » Refractarius ergo, si fraternæ correctiones sint irritæ, denuntiandus est Ecclesiæ; quod sane supponit in Ecclesia potestatem *auctoritative* judicium ferendi. Hanc potestatem Ecclesiæ competere immediate etiam sequitur ex eo quod denuntiatus, si Ecclesiæ sententiam non audiat, habendus sit sicut ethnicus et publicanus, h. e. a societate extorris; id enim supponit obligationem sequendi Ecclesiæ judicium; et hæc obligatio supponit potestatem auctoritative judicandi. Apostoli omnino persuasi fuerunt de tradita sibi judiciaria potestate; et ideo hanc sedulo exercuerunt. Sic Paulus, cum comperisset turpissimum incestum, Corinthi commissum, zelo justitiæ plenus scripsit : « *Ego* » *quidem absens corpore, præsens autem spiritu jam judi-* » *cavi ut præsens eum, qui sic operatus est.* »

3° *Quoad potestatem coercitivam.* Modum coercendi refractarios ipse Christus docuit, dum de peccatore apud Ecclesiam denuntiato, dicit : « *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus;* » quæ verba ex loci temporisque adjunctis, in quibus prolata fuerunt, facile intelliguntur. Notum enim est, judæos a consuetudine Ethnicorum, quos profanos reputabant, et Publicanorum, quos magnos peccatores credebant, abhorruisse; tum vero formulam, « *absque synagoga fieri,* » apud eos exclusionem a communione civili et religiosa, quæ per constitutionem Moysis conjuncta erat, significasse. Dum ergo Christus eum, qui Ecclesiam non audit, pro Ethnico et Publicano habendum esse dicit, eo ipso eumdem extorrem a societate Ecclesiæ declarat; Ecclesiæ similem, quam Synagoga habuit, potestatem tribuit excommunicandi; quæ excommunicatio, dum publica auctoritate fit, et cunctis Ecclesiæ bonis privat, utique gravissima pœna est.

Præterea S. Paulus, qui parem cum ceteris Apostolis potestatem a Christo obtinuit (*Gal.* I, 1), se potestate coercitiva instructum esse, publice professus est, dum scribit : « *Quid vultis? in virga*

veniam ad vos, an in charitate et in spiritu mansuetudinis? » *(I Cor.* IV, 21). Per *virgam* autem, spiritui mansuetudinis oppositam, rigorem et pœnarum inflictionem intelligi, nemo dubitabit. Hanc autem potestatem S. Paulus exercuit erga flagitiosum Corinthium *(I Cor.* V, 3 etc.) : « *Ego quidem absens* » *corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens* » *eum, qui sic operatus est, in nomine D. N. J. Christi,* » *tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus* » *salvus sit in die D. N. J. Christi.* » Occurrit hic publica et solemnis excommunicatio in nomine Christi et auctoritate divina lata. *Tradi* enim *Satanæ* nihil aliud est, quam ab Ecclesiæ societate segregari, et ejusdem bonis, precibus fidelium, sacramentis ita privari, ut anima et corpus potestati satanæ relinquantur. Notandum est autem Deum, ne potestas Ecclesiæ undique afflictæ vilesceret, eam primis temporibus portentoso interdum effectu sustentasse, et permisisse, ut excommunicatione perculsi a satana vere obsiderentur, ac morbis aliisque aerumnis gravissime affligerentur, eaque ratione et alii a contumaci inobedientia aliisque sceleribus deterrerentur. Ex hac causa sane factum est, ut Ananias et Sapphira, quos Petrus pœna dignos pronuntiavit, præcoci morte abriperentur; et Elymas magus ad increpationes Pauli repente cœcitate feriretur. Quæ omnia sat luculenter ostendunt, Apostolos divina auctoritate jus habuisse, refractarios coercendi et scelera vindicandi.

III. Notanda. 1° Ecclesia triplicem hanc potestatem exercet in omnes Christi oves, i. e. in omnes baptizatos; et eam exercet modo independenti a societate civili, siquidem ipsa est societas independens a societate civili. Ergo leges quas Ecclesia fert, ejus judicia, et pœnæ quas imponit, approbatione non indigent societatis civilis; et societas civilis Ecclesiam impedire non potest in legibus ferendis, in exercendis judiciis et in infligendis pœnis. E contra societas civilis tenetur Ecclesiam in exercitio

hujus potestatis suæ juvare, atque auxilium ipsi præbere (Cfr. cap. præc.). — Materia autem in quam Ecclesia suam exerit potestatem est id omne, quod ad finem suum pertinet; scilicet id omne quod proxime spectat ad salutem fidelium procurandam. Sunt autem res, quæ totaliter et unice ad finem spiritualem spectant; cujusmodi sunt prædicatio doctrinæ Christi Domini, administratio sacramentorum, ordinatio cultus divini, vota Deo facta etc. Aliæ autem sunt materiæ quæ simul respectum habent ad finem spiritualem et ad finem temporalem, quales sunt cœmeteria et sepultura fidelium, ædificia et bona ecclesiastica. In has omnes materias potestatem suam exerit Ecclesia, in eis status civilis debet cedere Ecclesiæ, et in legibus quas in parte civili hujus materiæ fert, sequi tenetur leges Ecclesiæ. In materias vero, quæ nullum habent respectum ad bonum spirituale, Ecclesia potestatem non habet (Cfr supra 96).

2° Tres illæ potestates sunt quidem inter se distinctæ, non vero ab invicem separatæ; nam mutuo se complent atque perficiunt (Cfr. supra pag. 12).

3° Quas pœnas autem potest Ecclesia statuere? Liquet Ecclesiam potestatem habere statuendi pœnas *spirituales*, consistentes nimirum in privatione boni spiritualis, aut juris alicujus spiritualis, quales sunt excommunicatio, suspensio et interdictum; ratio est quod omnia bona et jura spiritualia ad Ecclesiæ forum pertinent, et quidem ad ipsum solum.

Verum an potest etiam Ecclesia imponere pœnas *temporales* seu *corporales?* Affirmativa est responsio; siquidem id Ecclesiæ indoli non repugnat, et ab altera parte ad finem ejus optime conducit. — Etenim *a)* evidens est punitiones corporales aut temporales non adversari indoli spirituali societatis ecclesiasticæ. Etenim Ecclesia spiritualis societas est ex parte *finis*, non vero ex parte *elementorum* quibus constituitur et *mediorum* quibus utitur; unde sequitur quod finis pœnæ debet esse spiritualis, non quod ipsa pœna debet esse quid spirituale. Cum igitur Ecclesia

societas est hominum visibiliter et sensibiliter coadunatorum, media sensibilia et corporalia, quibus unitas et pax promovetur, quibus inordinationes et dissidia removentur, sunt secundum indolem ejus, et idcirco etiam pœnæ possunt esse quoque corporales. — *b)* Evidens quoque est pœnas corporales posse ad finem Ecclesiæ utiles esse, imo frequenter eas solas ad eum conducere. Finis enim proprius potestatis coercitivæ est custodia ordinis et observatio legum; atqui violatores ordinis et legum non ratione, qua non ducuntur, sed vi cohiberi debent; quumque sæpissime ex amore sensibilium a justitiæ tramite deflectant, per timorem sensibilium pariter malorum ad eumdem tramitem reduci possunt et quandoque hoc solo modo possunt emendari. Ergo liquet Ecclesiæ potestatem competere infligendi in spiritualem finem pœnas temporales et corporales.

Id constanti Ecclesiæ praxi firmatum est; e qua ita arguit Joannes XXII : « Cum excommunicatio major, ait, nedum » excommunicatum a perceptione removeat, sed etiam a com- » munione fidelium excludat, *corporalis est a Christo coactio* » *Ecclesiæ permissa.* » (Const. 33).

Quibus stabilitis, ultimo quæritur, *utrum ipsa Ecclesia vi externa adhibita cogere possit reos; an vero oporteat, ut id faciat per brachium potestatis civilis, cui officium imponat exequendi pœnas a se contra reos statutas?*

Quod Ecclesia potestatem habet mediate per brachium civile pœnas suas exequendi, et hac in re principibus et regibus officium imponendi et cogendi eos ad has pœnas infligendas, extra dubium est; id enim nos docet Bonifacius VIII in bulla « *Unam sanctam* », et Trid. synodus Sess. XXV, de Reform. c. 20, dicens : « Catholicos principes Deus sanctæ fidei et Ecclesiæ » protectores esse voluit..... quæ ecclesiastici juris sunt lædi » non patiantur a suis ministris, sed severe in eos, qui Ecclesiæ » libertatem, immunitatem et jurisdictionem impediunt, animad- » vertant, » nostram doctrinam firmat. — Idem quoque ex eo

fluit, quod potestas civilis officium habet juvandi Ecclesiam juxta varias necessitates ejus, sicuti docet Pius IX in Encycl. *Quanta cura* Episcopos hortans, « ne omittant docere régiam » potestatem non ad solum mundi regimen, sed maxime ad » Ecclesiæ præsidium esse collatam. » Jamvero si talis sit potestatis civilis missio, eam præ cœteris implere tenebitur inferendo pœnas temporales ab Ecclesia statutas, siquidem ipsa gladium temporale portat, et omnium consensu difficilius eo utitur Ecclesia. — An vero Ecclesia per proprios ministros suos pœnas temporales infligere possit, non censemus opus hic inquirere; cum Ecclesia hac potestate nunquam utatur.

Quousque Ecclesia pœnas suas temporales extendere possit, an nempe etiam capite reos damnare possit, quam maxime controvertitur ab auctoribus catholicis.

IV. Errores. Circa jurisdictionis potestatem, qua fruitur Ecclesia, varii exorti atque propugnati sunt errores.

Sæc. XIV, Marsilius Patavinus, qui causam sustinuit Ludovici Bavarici contra S. Pontifices, in libro suo : « *Defensorium pacis* » p. II, c. 4, docuit Romanum aut quemlibet alium Episcopum sive presbyterum sive clericum virtute verborum scripturæ nullum coactivum principatum seu jurisdictionem contentiosam, supra quemlibet clericum vel laicum sibi vindicare posse, et omnes Episcopos ipsumque Romanum Pontificem subesse debere coactivo judicio, seu principatui dominantis auctoritatis legislatoris humani, præsertim fidelis. Doctores, ait, in Ecclesia sunt, qui doceant quid sit agendum; est et penes eos auctoritas in foro interno declarandi remissa esse peccata, et commutandi pœnas alterius vitæ cum pœnis hujus vitæ; nemo vero est qui urgere possit observantiam legis, nullus est judex coactiva potestate præditus præter Christum, qui tamen non in hoc sæculo sed in altero judicium sibi reservavit. Si vero princeps sæcularis sua auctoritate legem aliquam evangelicam sancivit, is ad hujus legis observantiam cogere et judicium coactivum de

ea instituere potest; vel etiam Ecclesia id potest, sed ex concessione principis. — Negat igitur Marsilius Ecclesiam habere potestatem judicandi cum auctoritate, aut pœnas infligendi; et si quandoque hanc potestatem habeat, id provenire ex principis civilis concessione.

Initio sæc. XVII, Richerius, syndicus collegii Sorbonici, docet, quod Ecclesia, cum neque territorium habeat, neque jus gladii habeat a Christo, et ad finem supernaturalem tantum sit instituta, de mediis necessariis ad salutem suasive et directive, non vero coactive pœnas temporales irrogando, judicare potest. Sed princeps politicus, ut dominus reipublicæ ac territorii, vindex est atque protector legis divinæ, naturalis et canonicæ : quare in eum finem leges figere et gladium distringere potest.

Sæculo XIX eosdem errores instauravit Joannes Nepomucenus Nuytz, professor in regio Taurinensi athenæo, cujus opera damnavit Pius IX Brevi 22 Aug. 1851. Docuit nimirum Ecclesiam vis inferendæ potestatem non habere, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Hos omnes errores damnarunt Joannes XXII, Const. 28 Oct. anni 1327; Pius VI in bulla : « *Auctorem fidei;* » prop. 4ª; et Pius IX, in Encyclica « *Quanta cura* », in qua inter prava et toties damnata novatorum commenta, illud enumeratur, quod Apostolicæ sedi denegat omnia jura circa ea, quæ ad exteriorem ordinem pertinent, statuitque Ecclesiæ leges non obligare in conscientia nisi cum promulgantur a civili potestate : item Ecclesiæ jus non competere violatores legum suarum pœnis temporalibus coercendi; et illis apostolicæ sedis judiciis et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiæ, ejusdemque jura, ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum detractari et obedientiam absque peccato, et absque catholicæ professionis jactura : qui omnes errores cum pluribus aliis reprobantur, proscribuntur et damnantur.

Ex hisce erroribus sequentia nata sunt prava instituta politica :

1° *Regium placet*, quod est pessima illa consuetudo, qua constitutiones Apostolicæ, ipsæque litteræ pastorales Episcoporum quæ *mandata* vocantur, in vulgus edi, servarique vetantur, nisi id civilis potestas permittat, seu nisi id Regi placeat.

2° *Appellatio ab abusu*, quæ est misera illa consuetudo, subjiciendi Ecclesiam magistratibus civilibus, ad eos appellando a sententiis judicis Ecclesiastici, eo nomine, quod ille auctoritate sua perperam et injuriose usus fuerit.

3° *Regius patronatus*, quo nomine Regi seu potestati civili facultas datur se immiscendi cum auctoritate plena quibuslibet rebus ecclesiasticis atque spiritualibus causis.

Hæc autem tria instituta directe et immediate repugnant perfectioni et independentiæ potestatis legislativæ, judiciariæ et coercitivæ, qua Ecclesia, uti demonstratum est, fruitur; et idcirco semper rejecta et frequenter damnata ab Ecclesia fuerunt. *Placitum* nempe *regium* repugnat perfectæ et independenti potestati legislativæ. Qui enim plenam et independentem potestatem habet leges ferendi, is sane potest suam legem promulgare; nam sine promulgatione lex imponi non potest. Pariter ejus lex debet servari post promulgationem suam, etiam obstantibus aut non permittentibus aliis; quia supponitur lata a potestate perfecta et independenti a quavis alia. — *Appellatio ab abusu* repugnat perfectæ et independenti potestati judiciariæ et coercitivæ Ecclesiæ. Si enim Ecclesia fruatur potestate judicandi et coercendi, quæ independens est a potestate civili et perfecta; nonne liquet nunquam a judiciis Ecclesiasticis appellari posse ad judicem civilem; nam necessario ille, ad quem appellatur, supponitur superior isti a quo appellatur. — *Regius* tandem *patronatus*, supra definitus, evertit totam Ecclesiæ independentiam, cum sub nomine protegendi Ecclesiam, regi concedatur facultas se immiscendi quibusvis rebus spiritualibus seu eccle-

siasticis, legibus nempe ecclesiæ, judiciis ejus et pœnis quas infligit. Jamvero, uti supra vidimus, princeps civilis quidem munus habet protegendi et tuendi Ecclesiam, verum id faciat oportet dependenter ab Ecclesia; non præeundo, sed sequendo ejus ductum, et in omnibus audiendo ejus vocem.

§ II.

CHRISTUS DOMINUS CONTULIT ECCLESIÆ SUÆ MAGISTERIO POTESTATEM DOCTRINAM SUAM DOCENDI CUM EA AUCTORITATE, QUÆ IN OMNES INDUCAT OBLIGATIONEM CREDENDI, UT VERBUM DEI, ID QUOD AB ECCLESIA PROPONITUR.

—

I. Explicatio. Supra vidimus Ecclesiam plena frui potestate regendi fideles in ordine ad salutem, per leges, judicia et pœnas; hic autem inquirimus de potestate quam ipsa habet ad docendam a Christo allatam in mundum doctrinam, quæ basis est totius cultus christiani, et qua omnes egent ut sancte vivere valeant. Jamvero dicimus Ecclesiam a Christo accepisse potestatem, ut doctrinam a se traditam doceret, et quidem cum ea auctoritate, quæ in omnes obligationem inducat credendi ut verbum Dei, id omne quod proponit. Ecclesia igitur missionem non habet similem huic, quam habent cæteri doctores ab humana potestate deputati; ipsi enim ex munere suo jus non habent exigendi fidem aut adhæsionem doctrinæ suæ ab auditoribus, ita ut illi, qui non adhærent ipsis, sint rei coram Deo; Ecclesia vero, ubi docet Christi doctrinam, ex ipso munere suo obligationem inducit, ita ut illi, qui ipsi non credunt, coram Deo peccati vere sint rei.

II. Demonstratio. 1° E verbis Christi *Matth.* XXVIII, 19, 20: « *Euntes ergo docete omnes gentes..... docentes eos servare* » *omnia, quæcumque mandavi vobis,* » et *Marc.* XVI. 5, 16 : « *Euntes in mundum universum, prædicate evangelium* » *omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus*

» *erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* » Jamvero in hisce verbis habetur expressum mandatum Apostolis impositum prædicandi et docendi; ergo Ecclesia habet jus et potestatem docendi. — Determinatur quoque in verbis Jesu materia hujus doctrinæ Ecclesiæ demandatæ; debet nempe docere et prædicare *Evangelium*, seu *omnia quæcumque mandaverat Jesus Apostolis suis*, seu aliis verbis doctrinam Jesu. — Tandem determinatur quanta sit auctoritas Ecclesiæ in docendo, per verba : « *qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* » Unde liquet hominibus imponi officium Ecclesiam audiendi et quidem sub gravissima pœna damnationis æternæ. Ergo Ecclesia summa fruitur in docendo auctoritate, tali nempe cui respondet obligatio gravis credendi quod ab ea docetur, et quidem illud credendi ut verbum Dei, cum materia ejus doctrinæ sit verbum Dei, revelatio nimirum Jesu-Christi.

2° Ex verbis Apostolorum, qui sane optimi interpretes sunt doctrinæ et institutorum Jesu. Ipsi enim commendant successoribus suis, ut munere docendi sedulo fungantur, aliosque instituant, qui idem munus obire valeant; et simul asserunt Ecclesiæ magisterio esse obediendum, et contradicentes ejus doctrinæ esse arguendos. Ita S. Paulus *II. Tim.* II, 2 scribit : « *Tu ergo, fili* » *mi, confortare in gratia, et quæ audisti a me per mul-* » *tos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei* » *erunt et alios docere;* » et Tit. I, 7-9 : « *Oportet enim epis-* » *copum sine crimine esse..... amplectentem eum, qui secun-* » *dum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit* » *exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt* » *arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes..... quos* » *oportet redargui.* » Insuper in Epist. ad *Rom.* I, 5. Paulus hæc habet : « *Per quem (Jesum) accepimus gratiam et apos-* » *tolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro* » *nomine ejus;* » quorum verborum sensus est : « per quem

» accepimus gratiam apostolatus ad efficiendum ut in omni-
» bus gentibus præstetur obedientia fidei. » In hoc igitur textu S. Paulus expresse affirmat apostolatum, quem a Jesu accepit, in hunc inservire finem, ut per doctrinam suam obtineat obedientiam gentium revelationi Christi. Porro hoc munus procurandi obedientiam fidei, in fidelibus supponit officium se submittendi doctrinæ apostolicæ, in ipso vero docente supponit auctoritatem.

Auctoritas Ecclesiastici magisterii in docendo, etiam probatur ex testimonio universæ antiquitatis christianæ, quæ tum *theoretice*, tum *practice* eam semper agnovit. — Etenim Patres, etiam antiquissimi, theoretice docent fidelibus per obedientiam tenendam esse eam doctrinam, quam Episcopi successores Apostolorum tradunt; quia scilicet Episcopi divinitus acceptam habent auctoritatem docendi, eaque funguntur sub assistentia Spiritus Sancti. Ita dicit S. Irenæus Lib. III. adv. Hær. 24 : « *Prædicationem Ecclesiæ undique constantem et æqualiter* » *perseverantem.... perceptam ab Ecclesia custodimus....* » *Hoc enim munus Ecclesiæ creditum est.... In Ecclesia* » *enim posuit Deus* Apostolos, Prophetas *et* Doctores *et uni-* » *versam reliquam operationem.* » Unde Patres contra hæreticos docent, quod nemo veram doctrinam Christi tenere, et in Ecclesia esse possit, si doctrinam diversam tenet, ab illa quam *successio apostolica* in mundo prædicat. — Eadem fuit persuasio omnium christianorum circa hanc Ecclesiæ potestatem, uti constat ex modo practico agendi eorum. Obortis enim controversiis fidei, ut eis finis imponeretur, et fidelibus omnibus constare posset de veritate tenenda ac de errore vitando, semper provocatum fuit ad unanimem prædicationem Episcoporum tamquam ad criterium veritatis divinitus datum. Inde ad veritatem revelatam demonstrandam semper tamquam ad argumentum contra quod nulla valeret exceptio, habitum est illud : « *Sic* » *credit, quæ sub cœlo est catholica Ecclesia et omnes Epis-*

» *copi consentiunt nobiscum.* » (Conc. Antioch. ann. 264). Hoc eodem principio ducebatur Ecclesia, quando contra hæreticos concilia Episcoporum adunabantur, in quibus solemnis fidei definitio, ab omnibus sub pœna anathematis sequenda, tradebatur.

Hac peracta demonstratione, jam oritur quæstio : « *quomodo Ecclesia debeat fungi hoc suo docendi munere?* »

R. 1° In primis Ecclesia obit munus *testis;* nam, uti supra dictum est, ipsa est missa, non ut propria inventa doceat, sed ad hominibus prædicandum Christi Evangelium; ut Christus expresse declaravit : « *et eritis mihi* TESTES *in Judæa, et in Samaria et usque ad ultimum terræ.* » (*Act. Ap.* I, 8).

2° Ecclesia obit munus *magistræ.* Ad magisterii rationem pertinet, doctrinam explicare, seu ea, quæ in ipsa velut in germine continentur, evolvere, rectum sensum interpretando determinare, et quæ eidem obversantur, ostendere. Jamvero hæc doctrinæ revelatæ explicatio tantæ necessitatis est, ut, nisi ad doctrinam revelatam accedat, ipsa propemodum inutilis evaderet. Etenim 1° consecutiones derivandæ proxime ipsam praxim afficiunt. Deinde 2° nisi rectus doctrinæ sensus interpretatione pandatur, et quæ eidem contraria sunt, innotescant, ipsa revelata doctrina erroribus deformetur, et mortiferum venenum evadat necesse est. Unde Ecclesia ad populos docendos divina missione instructa munere magistræ fungi debet.

3° Ecclesia quoque obit munus *judicis*, judicis nempe controversiarum, quæ oriuntur circa doctrinam Christi. Hoc autem munus intimissime est connexum cum munere testis et magistræ, nam ea ambo complet. Etenim postquam Ecclesiæ magisterium testatum fuerit atque explanaverit Christi doctrinam, tum ex imbecillitate mentis humanæ tum etiam ex humana malitia fiet, ut inter fideles dubia et controversiæ de fide exsurgant, et falsæ prodeant propositiones; quæ sane, nisi legitimæ auctoritatis interventu componantur arceanturque, mox

maximum rectæ fidei damnum crearent. Unde liquet Ecclesiam, ut plene munere suo docendi fungatur, quoque debere officium judicis obire in controversiis, quæ moventur circa fidem.

IV. Corollaria. 1° Huic docendi officio et auctoritati innititur etiam officium et auctoritas doctrinas a revelatione divina dissonas proscribendi et damnandi : et hinc colligitur fidelium officium Ecclesiam audiendi non solum cum docet, quid credendum et tenendum sit, verum etiam cum pro munere suo decernit, quid sit respuendum.

2° Merito proinde damnavit Pius IX propositiones *Syllabi* 44 et seq., quibus totum scholarum publicarum societatis christianæ regimen auctoritati politicæ asseritur, ac methodus in ipsis seminariis clericorum adhibenda eidem subjicitur.

3° Cum hoc jure, officio et auctoritate docendi doctrinam revelatam et proscribendi doctrinam revelationi contrariam et animarum saluti noxiam, intime cohæret Ecclesiæ jus, officium et auctoritas *proscribendi, damnandi, prohibendi libros doctrinæ revelatæ sive theoreticæ sive practicæ contrarios et animarum saluti perniciosos.* Absurde enim affirmaretur doctrinam ore prolatam Ecclesiæ subesse judicio, subtrahi vero, si litteris consignetur : ac posse quidem Ecclesiam prohibere hæresum auditionem, minime vero lectionem. Hoc sane jus, quod quælibet societas civilis sibi vindicat, proscribendi nempe quidquid litteris consignatum bono communi sit noxium, et quod rigidissime subinde exercet, asserendum quoque est et societati Ecclesiasticæ. Hinc jam primis rei christianæ sæculis Ecclesia hoc jus sibi vindicavit : ita in concilio Nicæno proscripsit Arii librum *Thalia* prætitulatum; in concilio Ephesino Messalianorum librum *Asceticon* inscriptum; primumque librorum damnatorum indicem composuit jam Gelasius I, in concilio Romano anno 496. Hinc Leo I, epist. 15 ad *Thuribium* c. 16 inter alia scribit : « Nec inter catholicos censeatur, quisquis utitur scriptis » non ab Ecclesia solum catholica, sed etiam a suo auctore

» damnatis. » Qua in re Ecclesia catholica imitatur S. Pauli exemplum, qui ingentem librorum perniciosorum copiam publice combustam voluit, *Act.* XIX, 19. Quare plane pueriles sunt clamores toties adversus Congregationem *Indicis* excitati.

4° Cum hoc jure et officio, procurandi ovibus, Christi sanguine redemptis pascua sana, cohæret etiam *jus exigendi*, ne libri, saltem theologici, citra authentici magisterii approbationem in lucem edantur. Hinc etiam laudabilis ille usus catholicorum omnia sua scripta judicio Ecclesiæ subjiciendi.

V. Errores. Protestantes *auctoritatem docendi* obligationemque fidei inducendi expresse et absolute Ecclesiæ denegant; affirmant autem *unumquemque* de dogmatibus judicare posse secundum sensum quem ipse *privata* interpretatione in *Scriptura* intellexit, quam Scripturam uti unicum revelatæ doctrinæ fontem habent. « Septimum officium (christianorum), ait Lutherus, est » judicare et decernere de dogmatibus... quisque pro se salutis » rationem habens certus sit quid credat et sequatur, ac judex » liberrimus sit omnium, qui docent eum, intus a solo Deo » doctus. Prorsus ejusdem juris sumus omnes..... ideo officium » istud judicandi non modo recuperare nobis licet, sed si id non » recuperaverimus, Christum fratrem abnegabimus. » *(De Inst. Minist. Eccl.* Lib. VII, p. 534)

§ III.

Ecclesiasticum Magisterium e Christi voluntate fruitur infallibilitatis dote.

I. Prænotanda. 1° Stabilita Ecclesiastici magisterii auctoritate ad docendum, statim oritur quæstio, quomodo Ecclesia tantam auctoritatem habere possit, ut exigere valeat subjectionem omnis intellectus erga se in materia fidei christianæ. Jamvero solutio hujus quæstionis habetur in infallibilitatis dote, qua Ecclesiasticum magisterium ornatum est.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

2° Quid autem intelligitur per *infallibilitatem? Est necessaria immunitas ab errore.* Dicitur *necessaria*, quia non sufficit, ut quis de facto veritatem teneat, ut jam dici possit infallibilis; ad hoc requiritur ut adsit impossibilitas erroris, seu necessitas non errandi.

3° Inde duplex infallibilitas distingui debet : infallibilitas *absoluta*, qua quis ex propria essentia ab errore necessario immunis est; et hæc est propria Deo : altera infallibilitas est *participata*, qua creatura aliqua ex propria essentia fallibilis, tamen necessario ab errore immunis est propter assistentiam causæ extrinsecæ, scilicet Dei. Hæc infallibilitas manifeste possibilis est, non minus ac inspiratio; eamque Deus elargiri potest secundum hanc vel illam legem his vel illis creaturis. Porro, cum de infallibilitate propria Ecclesiæ agimus, evidenter intelligenda est infallibilitas *participata*.

II. Errores. Exceptis solis Puseystis, Protestantes omnes omnem Ecclesiæ visibili infallibilitatem negant. Puseystæ infallibilitatem videntur communiter tribuere « *Ecclesiæ universali*, » ut dicunt, hoc est Ecclesiæ quam constitutam fingunt ex Ecclesia catholica, Ecclesia græca schismatica, et Ecclesia anglica. (Cf. Murray I, p. 395.)

III. Demonstratio. 1° ex Prophetarum et Christi verbis, quibus promittitur Ecclesiastico magisterio efficax assistentia Dei in docendo; 2° ex persuasione Apostolorum; 3° ex aliis fidei dogmatibus; 4° ex persuasione totius antiquitatis christianæ.

a) Ex verbis Prophetarum et Christi quibus Ecclesiastico magisterio efficax Dei assistentia promittitur in exercitio muneris sui. Isaias LIX, 21, ubi, omnium interpretum consensu, de novo Testamento sermonem facit, de Ecclesia hæc prænuntiat : « *Hoc est fœdus meum, dicit Dominus, spiritus* » *meus, qui est in te, et verba mea, non recedant de ore tuo,* » *et de ore seminis tui, et de ore seminis seminis tui, dicit* » *Dominus, amodo et usque in perpetuum* » — Jesus in ora-

tione ultimæ cœnæ hæc dixit Apostolis suis *(Joan.* XVI, 16-26) : « *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclytum dabit vobis,* » *ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* » — « *Paraclytus autem spiritus, quem mittet Pater in nomine* » *meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia,* » *quæcumque dixero vobis.* » — Rursus Christus, ubi ante ascensionem suam Apostolos suos misit in mundum ad docendum omnes gentes, ut animum ipsis adderet, hæc dixit : « *Et* » *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad con-* » *summationem sæculi.* » *(Matth.* XXVIII, 20). — Præterea Jesus dixit Petro, quem caput instituit Apostolorum (uti infra ostendemus) : « *Simon, Simon; ecce satanas expetivit vos, ut* » *cribraret tamquam triticum; ego autem rogavi pro te, ut* » *non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma* » *fratres tuos.* » *(Luc.* XXI, 31, 32).

In his textibus indubie promittitur ecclesiastico magisterio divina *assistentia* in docendo; verum an agitur hic de assistentia *efficaci*, quæ nempe necessario cum effectu est connexa, humana malitia suo effectu destitui non potest et ecclesiam actu infallibilem reddat? Liquet hic agi de efficaci et inconditionata assistentia; etenim Isaias non tantum prænuntiat futuram assistentiam, sed et perpetuum infallibilitatis effectum, qui inde profluet. — Pariter Jesus ad Petrum sermonem habens *(Luc.* XXI, 31, 32) promittit indefectibilitatem in fide inconditionatam et absolutam, et Petro hac infallibilitate munito munus imponit fratres suos in fide confirmandi; dicit nempe Jesus : *oravi pro te, ut non deficiat fides tua;* quæ oratio Jesu necessario est efficax, ac proinde promittitur Petro, se nunquam a vera fide defecturum. — In ceteris textibus hæc efficacia non expresse declaratur; attamen *implicite* continetur uti ex locis parallelis, quæ modo explicavimus, constat.

Concludimus ergo Ecclesiasticum magisterium efficaci frui Dei assistentia in docendo; et proinde esse infallibile.

b) Ex persuasione Apostolorum. Apostolos persuasos fuisse se in docendo infallibilitate frui, luculenter patet e textu *Act. Ap.* XV, 28. Ibi enim refertur Apostolos, in concilio Hierosolymitano quæstionem tractantes, an e gentilibus ad fidem conversi ligarentur ex necessitate medii aut præcepti lege mosaica, ita in judicio hac de re lato dixisse : « *Visum est spiritui Sancto et* » *nobis, nihil ultra imponere vobis oneris,* » etc.; jamvero dicendo : *visum est spiritui sancto et nobis*, ostendunt se persuasos esse, quod in docendo fruuntur divina assistentia, et quidem plene efficaci. Etenim si putassent se aliquando errare posse, et ductum Spiritus Sancti non sequi; non potuissent absoluto modo affirmare : *visum est Spiritui Sancto et nobis*; nam debuissent præ oculis habere se forsan in hoc decreto errare, et non proponere doctrinam, quæ est Spiritus Sancti.

Eadem Apostolorum persuasio fluit ex doctrina S. Pauli in epist. I. ad *Timoth.* III, 14, 15; ubi dicit : « *Hæc tibi scribo,* » *sperans me ad te venire cito. Si autem tardavero, ut scias* » *quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est* » *ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* » De *Ecclesia* igitur affirmat Paulus, quod est *columna et firmamentum veritatis.* Ista autem *Ecclesia,* de qua hic sermo fit, est Ecclesia universalis, non vero Ecclesia Ephesina, cui Timotheus præpositus erat, uti contendunt aliqui heterodoxi. Etenim quotiescumque in N. T. vocabulum *Ecclesia* simpliciter et sine addito usurpatur ad cœtum fidelium significandum, semper significat universam Ecclesiam. Si vero usurpetur sensu restricto, hunc sensum indicant verba diserte adjecta, vel subjecta materia. Jamvero neque adjecta verba, neque subjecta materia hic restrictum sensum indicant; e contra subjecta materia et contexta oratio declarant hic de universali Ecclesia agi. Et re quidem vera Paulus scribens hanc epistolam præ oculis habebat Gnosticos, contra quorum falsam scientiam tutos studebat reddere fideles curæ Timothei commissos (I, 4-7; IV, 1 et seq.; VI, 3-5;

20-21). Horum magistrorum doctrina falsi nominis scientia vocatur (VI, 20), eratque adversa Fidei, quam Apostoli prædicaverant, et Ecclesia Dei vivi profitebatur. Hinc cum docuisset Apostolus Timotheum (cap. III) quales esse deberent in Ecclesia Episcopi, Diaconi, ipsæque mulieres, advertit se ea scripsisse, ut etiamsi ipse tardaverit venire, sciat Timotheus quomodo oporteat tum ipsum tum alios in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi : mentione autem facta Ecclesiæ, ut se opponat Gnosticorum novæ falsæque doctrinæ, monet eam esse *columnam et firmamentum veritatis;* ut scilicet fideles intelligerent ab ea, non ab iis novis doctoribus quærendam esse veritatem. Ergo cum scopo Epistolæ, cum contexta oratione optime cohæret, quod ea verba de Ecclesia universali intelligantur prolata; ac proinde constat hic agi de universali Ecclesia.

Quid autem significant verba : *columna et firmamentum veritatis? Columna* significat, ubi metaphorice, quemadmodum in præsenti loco, adhibetur, omne quo aliquid nititur, vel firmitatem, aut auctoritatem vel securitatem accipit. — *Firmamentum* εδραιωμα significat proprie : basis, fundamentum cui ædificium innititur, stabilimentum, et inde metaphorice exhibet notionem firmitatis. — *Veritas,* η αληθεια non est hæc aut illa veritas, sed est doctrina universa revelationis, quæ in S. Scripturis simpliciter dicitur η αληθεια, vel αληθεια, uti in hac eadem epistola II, 4; et hæc revelationis doctrina opponitur *falsi nominis scientiæ* gnosticorum.

Hisce enucleatis id habemus : a S. Paulo asseri quod Ecclesia Christi est medium quo fides objectiva seu doctrina revelationis a corruptione seu destructione tuta redditur, et integra custoditur; quemadmodum columnæ et bases sunt media quibus ædificium a ruina defenditur. Jamvero si Ecclesia talis est naturæ, ipsa necessario dicenda est infallibilitatis dote frui. Etenim si unquam errare posset, ipsa non esset medium quo fides objectiva intacta servaretur, sed e contra eo casu, ubi erraret,

esset efficacissima causa ejus ruinæ; nam, uti supra vidimus (pag. 127), Ecclesia, ubi docet, obligationem inducit credendi; ac proinde, ubi falsum doceret, tenerentur fideles falsum credere, et ita vera revelationis doctrina ex Ecclesia ejiceretur. Ergo liquet Ecclesiam, cum a Paulo dicatur firmamentum et columna fidei, *infallibilem* agnoscendam esse.

c) Ex aliis fidei dogmatibus. Inprimis argumentum desumimus ex *indefectibilitate Ecclesiæ,* quæ dos id importat, quod Ecclesia ex voluntate efficaci et inconditionata Christi absque ulla essentiali mutatione usque ad consummationem sæculi existere debet, sicuti a divino suo auctore fuit instituta. Jamvero inter varia, quæ in Ecclesia mutari non possunt, primum sane obtinet locum fidei doctrina. Etenim in fidei doctrina reponitur Ecclesiæ constitutio et potestas; valida sacramentorum administratio et scientia morum; quæ omnia laberentur et proinde etiam totus cultus christianus, qui eis constat, labente fidei doctrina. Atqui ex eo quod Ecclesia obligationem inducit suam doctrinam fide amplectendi sequitur, quod si forsan ipsa in docendo erraret, necessario corrumperet fidem catholicam quæ, utpote basis totius cultus, indubie est pars essentialis Ecclesiæ; ac proinde ipsa Ecclesia sese destrueret aut sese saltem immutaret. Ergo si Christus voluit modo absoluto et inconditionato, ut Ecclesia sua esset indefectibilis, necessario debuit simul velle, ut in docendo ipsa esset infallibilis.

Aliud sumimus argumentum ex obligatione fidelibus incumbente amplectendi Ecclesiæ doctrinam. Tenentur nempe fideles, uti supra ostendimus, nisi velint salute excidere et anathema incurrere, Ecclesiæ externe et interne credere. Atqui si Ecclesia non est infallibilis fieri potest ut erret; et ubi erraret, fideles tenerentur ejus errorem, etiamsi de errore ipsis constaret, fide amplecti. Jamvero talis obligatio a Christo imponi non potuit, nam est opposita juri naturæ, quod vetat, ne assensum demus propositioni certo falsæ, aut nullo veritatis argumento firmatæ.

Quorum omnium conclusio est : si Christus Dominus voluit ut omnes fideles tenerentur Ecclesiæ doctrinam fide amplecti, necessario debuit simul velle, ut Ecclesia in docendo errare non posset.

d) Ex universali persuasione antiquitatis christianæ. Ecclesiam in docendo infallibilem esse, expresse docent Patres etiam antiquissimi, inter quos satis erit citare S. Irenæum, qui floruit sæculo secundo; ipse nempe Lib. III *adv. Hær.* c. 3 scribit : « Vera fides a Spiritu sancto tamquam præclarum » depositum et commissum Dei donum in Ecclesia, ceu in bono » vase custoditur, in quo nunquam deterioratur, neque vas » deteriorari permittit. Idem spiritus pignus est indefectibilitatis, » et confirmatio fidei; ideo enim Deus in ecclesia posuit Aposto- » los, Prophetas, et Doctores cum omni alia operatione ejusdem » Spiritus, cujus illi participes non sunt, qui Ecclesiæ non adhæ- » rent, et ideo se ipsos vita spirituali privant. »

Plebem fidelem quoque ab initio persuasam fuisse de Ecclesiæ infallibilitate, patet tum ex modo, quo Ecclesia egerit in fidei controversiis dirimendis, tum ex praxi fidelium suam fidem stabiliendi et profitendi.

Quotiescumque enim de dogmate definiendo, vel de fidei controversia dirimenda agebatur, Ecclesia docens semper sibi judicium vindicavit, et vel in concilio œcumenico collecta, vel, ut factum est præcipue tribus primis sæculis, per litteras formatas, sententiam dedit. Tali vero Ecclesiæ definitioni omnes se submittere debebant, ita ut, quotquot contumaciter parere detractarunt, anathemate perculsi, a communione resecti, ut hæretici pronuntiati et a salute extorres declarati fuerunt. Id constanter factum esse, historia conciliorum abunde probat. Ecclesia vero cum tanto rigore procedere non potuisset, nisi ex firma et universali persuasione, judicium suum infallibile esse, ita ut omnes non solum externum, sed et internum assensum illi præbere, ex divina ordinatione teneantur.

Fidelibus etiam semper et ubique ab initio hoc commune principium fuit « id credendum agendumque omnibus fidelibus » esse, quod credit, atque tamquam fidem divinam proponit » Ecclesia a Christo fundata, jugiterque ducta Spiritus Sancti » illustratione. » Hac ex ratione illi soli ut hæretici habiti sunt, qui doctrinam negarunt ab Ecclesia propositam. Aberrantes autem in fidei doctrina, circa quam de Ecclesiæ sententia et definitione non constabat, a formali hæresi excusati sunt. Sic S. Augustinus Cyprianum, circa valorem baptismi ab hæretico collati aberrantem, excusavit « *quia nondum solemnis hac de re Ecclesiæ definitio prodierat* »; et Vincentius Lirinensis loquens de Chiliastis, hujus erroris auctores vocat *catholicos*, sed ejus consectatores vocat hæreticos, quia illi ante, hi vero post prolatam ab Ecclesia sententiam erraverunt. — Firma igitur fuit antiquitatis christianæ persuasio, Ecclesiasticum magisterium infallibiliter dogmata definire, et de necessitate salutis esse, ut nos ipsius definitionibus submittamus.

Hanc infallibilitatis dotem in Ecclesia ex voluntate Christi esse *perpetuam*, luculenter patet 1° ex verbis *Isaiæ* LIX, 21 : « *non recedent* (verba mea) *de ore tuo, et de ore seminis tui, et* » *de ore seminis seminis tui, dixit Dominus, amodo et usque* » *in perpetuum* », 2° ex eo quod assistentia divina, e qua hæc infallibilitas fluit, promittitur a Christo duratura usque ad *consummationem sæculi;* 3° ex eo quod hæc infallibilitas exigitur ad Ecclesiæ indefectibilitatem et perennitatem, de qua certo constat; 4° ex eo quod hæc infallibilitas intime connectitur cum officio fidelium se submittendi Ecclesiæ definitionibus, quod officium est perpetuum.

IV. Corollaria. 1° Cum Ecclesia in docendo infallibilis sit, inde sequitur cœtum fidelium in credendo infallibilem esse. Si enim illi, qui in Ecclesia auctoritative docent, errare non possunt, necessario quoque qui ab eis doctrinam accipiunt, ab errore in sua fide immunes erunt. Inde duplex solet in Ecclesia

distingui infallibilitas : *activa*, quæ est prærogativa docendi in rebus fidei absque erroris periculo; et *passiva*, quæ est immunitas ab errore in credendo. Hæc autem certe singulis fidelibus non pertinet, sed toti cœtui fidelium collective sumpto. Singuli nempe possunt involuntarie circa fidem errare, aut etiam voluntarie ab ea deficere, sed neque unum neque alterum possunt *omnes simul*. Deus enim voluit inconditionate ut perenniter existeret Ecclesia; atqui hæc cadit, ubi omnes in fide errant aut a se deficiunt; ergo.

2° Cum Ecclesia in docendo sit infallibilis, quælibet doctrina ab ea fidei doctrina quam tenet Ecclesia, dissona, absque ulla alia demonstratione haberi debet ut falsa et erronea.

3° Cum Ecclesiæ infallibilitas non ex naturalibus hominis viribus oriatur, sed ex assistentia Spiritus Sancti, attendendum est, ubi cum incredulis disputatio instituitur, ne, neglecta divina assistentia qua Ecclesia fruitur, infallibilitatem ex solis rationis principiis conemur adstruere.

§ IV.

Definitur objectum Infallibilitatis Ecclesiæ.

—

Prænotanda. 1° *De objecto generico infallibilitatis.* Cum Ecclesia munus acceperit *prædicandi Christi evangelium (Marc.* XVI, 15), seu *docendi quæcumque Jesus mandavit (Matt.* XXVIII, 20); et ut hoc munere rite fungeretur, infallibilitatis dote sit ornata, luculenter liquet *objectum* seu materiam infallibilitatis Ecclesiæ *generice* esse Evangelium seu doctrinam Jesu Christi.

2° *De objecto specifico infallibilitatis.* Verum hoc objectum genericum infallibilitatis Ecclesiæ, duplicem continet speciem : *a)* veritates immediate contentas in doctrina seu in revelatione D. N. J. C.; et *b)* veritates non quidem immediate in revelatione

Jesu Christi contentas, sed tam intime cum ea connexas, ut sine eis subjectiva fides fidelium consistere non possit, aut objectiva fidei integritas bonique mores plus minusve periclitentur.

Prima igitur species complectitur tantum ea omnia et sola, quæ humano generi a Christo Domino *explicite* aut *implicite* revelata sunt tamquam credenda aut etiam facienda. Per *explicite revelata* ea intelligimus quæ expresse in Christi doctrina continentur, uti hæc veritas : *Christus Dominus surrexit a mortuis tertia die*. Per *implicite revelata* vero ea intelligimus quæ mediante mera analysi ex alio deducuntur dogmate, aut innotescunt ex ratiocinio, cujus utraque præmissa est fidei dogma. Ita in fidei doctrina *implicite* continetur in Christo dari duas operationes, divinam nempe et humanam, quia id deducitur per meram explicationem et analysin e textibus dogmaticis, in quibus de Christi operationibus fit sermo. Ubi vero datur conclusio ex una præmissa de fide, et altera præmissa rationali deducta, jam hæc implicite revelata dici non potest, sed vocanda est sententia seu conclusio theologica.

Altera species complectitur, uti diximus, omnes illas veritates, quæ cum veritatibus immediate revelatis tam intime sint connexæ, ut sine eis subjectiva fides fidelium consistere non valeat, aut etiam objectiva fidei integritas bonique mores plus minusve periclitentur. Ad priores, sine quibus scilicet subjectiva fides fidelium consistere nequit, pertinent facta quædam historica, uti v. gr. factum utrum concilia œcumenica a Nicæno usque ad Vaticanum, fuerint legitima ac proinde sint tamquam vera concilia habenda; utrum illæ personæ quæ in historia uti veri Pontifices supremi habentur, fuerint revera legitimi Ecclesiæ pastores supremi : quæ facta talis sunt naturæ, ut nisi de eis certitudo detur, careant fideles magisterio fidei, cum non noscant amplius, quinam sint illi a quibus fidem doceri debent. — Ad alteras autem veritates pertinent : 1° *sensus libri dogmatici*, certitudo scilicet utrum liber aliquis contineat doctrinam orthodoxam, an

vero hæreticam et pravam; quod nisi certo innotescat, necessario fiet ut libri hæretici in manibus fidelium versentur, et falsa doctrina mox intelligentias et corda corrumpat; 2° *veritates theoreticæ et practicæ quæ intime cum fidei doctrina sunt connexæ, ita quidem ut si in istis veritatibus error admittatur, logice debeat negari aliquod fidei dogma, vel etiam tota revelatio;* talis veritas est quod Spiritus Sanctus procedit a Patre et a Filio per amorem; nam hac sententia, quamvis non immediate revelata, rejecta, logice sequitur modum originis personæ Spiritus Sancti non differre a modo quo oritur persona Filii a Patre, ac proinde Spiritum Sanctum quoque vocandum esse Filium, quod est contra fidei doctrinam de unigenito Dei Patris filio. — 3° *Judicia de doctrinis et sententiis quæ talis sunt naturæ ut absolute, vel saltem inspectis rerum circumstantiis, securitatem integritatis fidei catholicæ, aut securitatem bonorum morum in discrimen vocent.* Talis fuit propositio monachorum Scythiæ : *Unus e Trinitate passus est,* quam S. Pontifex Hormisdas in initio approbare noluit, quia videbatur injuriam inferre concilio Calchedonensi, quasi de Divini Verbi incarnatione non sat explicite fuisset locutum. — 4° Etiam ad has veritates pertinent *judicia de æquitate legis universalis, de canonisatione Sanctorum et approbratione ordinum religiosorum;* quæ intime cum fide et bonis moribus connectuntur, nam ubi in eis erratur, et fides et boni mores detrimentum patientur.

Quibus variis speciebus veritatum, quæ ad doctrinam Christi pertinent, perspectis, jam nunc inquiremus an Ecclesia in istis singulis definiendis ex Christi voluntate infallibilis sit.

Q. I. *An Ecclesia est infallibilis in definiendis veritatibus theoreticis et practicis, seu in veritatibus fidei et morum, uti vocantur, quæ explicite aut saltem implicite in Christi doctrina continentur?*

R. Est revelatum dogma, Ecclesiam in omnibus hisce verita-

tibus definiendis esse infallibilem. Etenim uti supra vidimus Ecclesia munus accepit prædicandi cum auctoritate Evangelium Christi, et ut hoc munere rite fungi posset, ornata est infallibilitatis dote; jamvero veritates fidei et morum, quæ explicite aut saltem implicite in Christi doctrina continentur, principaliorem constituunt partem evangelii prædicandi; ergo vel concedendum est Ecclesiam in eis infallibilem esse, vel neganda est ejus infallibilitas.

Dixi : *in omnibus hisce veritatibus;* nam Christus imposuit apostolis munus docendi omnia quæ mandaverat (*Matth.* XVIII, 20; ideo falsa est, ut vidimus (p. 73 seq.) Protestantium distinctio inter articulos *fundamentales* et *non fundamentales.*

Dixi : *in* **definiendis** *hisce veritatibus;* sub quo verbo « *definire* » triplex complectimur munus : munus scilicet *testandi* has et illas veritates fuisse a Christo revelatas, munus *magistri,* seu munus explicandi sensum dogmatum, et munus *judicis,* seu judicandi de orthodoxia sententiarum quæ sparguntur, dirimendi controversias et errores directe dogmati oppositos arcendi et damnandi. Est autem Ecclesia infallibilis in triplici hoc munere; et re quidem vera infallibilitas in testando inutilis foret, si stipata non esset infallibilitate in explicando et in judicando. Nisi sensus dogmatum quos Ecclesia ut testis proponit aperiretur et error excluderetur mox doctrina proposita adulteraretur tum falsa hominum interpretatione, tum sparsis erroribus.

Dixi : in veritatibus *theoreticis et practicis,* seu *fidei et morum;* quæ veritatum distinctio non ita est intelligenda, quasi veritates practicæ objectum fidei non essent; sed hoc infert : dari nempe alias veritates, quæ mere sunt objectum fidei, sed regula morum non sunt, uti dogma immaculatæ conceptionis B. M. Virginis; alias autem, quæ sunt objectum fidei et simul regula morum; uti præceptum : « *non occides.* »

Q. II. *An Ecclesia est infallibilis in factis dogmaticis?*

Facta dogmatica ea vocantur facta historica, quæ quamvis a Deo revelata non sint, ita tamen cum revelationis doctrina devinciuntur, ut in dubium vocari non possint, quin ipsa doctrina revelata incerta fiat. — Jamvero respondemus omnino tenendum esse, quod Ecclesia in illis dijudicandis factis infallibilis est; ac proinde, ubi Ecclesia docens, et post eam Ecclesia credens aliquod concilium œcumenicum aut aliquem S. Pontificem ut legitimum habent, censendum est hoc judicium non modo naturaliter et historice certum, verum supernaturaliter seu ex assistentia Spiritus Sancti infallibile esse.

Hæc quidem Ecclesiæ infallibilitas immediate in revelata Christi doctrina non habetur, sed immediate et evidenter deducitur ex fine ecclesiastici magisterii. Hic enim finis certe debet realiter attingi, juxta illud solemne promissum Christi : *ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi (Matth.* XXVIII, 20); jamvero impossibile est ut Ecclesia hunc finem attingat sine ista infallibilitate. Ergo existentia hujus infallibilitatis est *veritas theologica* utpote deducta ex una præmissa de fide, et altera rationali; ab Ecclesia autem non fuit definita hucusque.

Minor ita demonstratur : Facile sane inter fideles de factis dogmaticis dubia moveri possunt; et hisce motis, circa ipsam fidem dubii hærent fideles; carent enim fidei regula, ecclesiastico scilicet magisterio, utpote de ejus legitimitate dubitantes. Jamvero finis muneris Ecclesiæ infallibiliter fidei doctrinam docendi est, ut omnes fideles firmam tutamque habeant credendi regulam. Atqui si Ecclesia infallibilis non sit in judicandis factis dogmaticis, fideles regula credendi tuta certaque carebunt, uti mox ostensum est; ergo, nisi velimus dicere Ecclesiam finem suum, ad quem a Christo est instituta, attingere haud posse, admittamus oportet Ecclesiam in factis dogmaticis dijudicandis infallibilem esse. — Inde sequitur infallibiliter constare hæc concilia et hos S. Pontifices, quos Ecclesia docens uti legitimos

habet, revera legitimos esse. Pari modo, ubi Ecclesia docens concilium, quod actu celebratur, ut legitimum œcumenicum concilium habet, id a fidelibus tamquam infallibiliter legitimum concilium habendum est; et ille Pontifex, qui actu regnat, ubi a cardinalibus et Episcopis consensu moraliter unanimi, uti verus Pontifex supremus habetur, tamquam infallibiliter legitimus Pontifex a fidelibus habendus est. — Hæc doctrina est communissima inter theologos.

Q. III. *An Ecclesia est infallibilis in judicandis textibus dogmaticis?*

Agimus hic de judicio circa orthodoxiam vel heterodoxiam scripti dogmatici, humanæ originis, quod ab Ecclesia docente non emanat. Ut vero de orthodoxia vel heterodoxia alicujus scripti judicium feratur, duo sunt inquirenda : *a)* quis sit libri sensus, seu quid ab auctore scriptum sit, non quidem *subjective* (seu quid scriptor in mente sua scribere voluerit et intenderit) sed *objective* (seu quem sensum verba vi contextus, secundum regulas legitimæ interpretationis fundant, vel quis sensus merito supponatur ab auctore intentus et ut talis ab interprete habeatur); *b)* num hic sensus sit orthodoxus vel heterodoxus. — De hoc secundo puncto quæstio hic non movetur, sed de primo, an nempe Ecclesia infallibiliter judicare possit de objectivo sensu scripti dogmatici ita ut declarare possit aliquem librum in sensu obvio, et qui proinde merito supponitur ab auctore intentus, esse orthodoxum vel heterodoxum. Si enim Ecclesia infallibiliter judicat de sensu libri, infallibiliter quoque judicabit de orthodoxia vel heterodoxia istius libri; nam, uti jam demonstratum est, Ecclesia est infallibilis tum in proponendo fidei veritates, tum etiam in damnando errores fidei oppositos. Verum si infallibilis non esset in judicio de sensu libri, infallibiliter quoque declarare non posset talem aut talem librum esse orthodoxum vel heterodoxum.

Rem hic habemus cum Jansenistis, qui ut damnationem Eccle-

siæ contra librum « *Augustinum* » latam eluderent, cum negare non auderent Ecclesiæ infallibilitatem in dijudicandis veritate revelata et errore huic opposito, singulari pertinacia negarunt eam infallibilem esse dum judicat talem aut talem doctrinam in aliquo libro contineri. A Christo enim, aiebant, revelatum non est hunc librum talem habere sensum, et Ecclesia tantum infallibilis est in eis quæ a Christo revelata sunt.

Hisce prænotatis, ad quæsitum *respondemus :* Ecclesiam esse infallibilem in judiciis suis de orthodoxia vel heterodoxia alicujus scripti dogmatici; et contendimus hanc infallibilitatem implicite contineri in infallibilitate Ecclesiæ circa definitiones fidei et morum. Hucusque istius infallibilitatis existentia nondum fuit ab Ecclesia ut fidei dogma definita; verum pro se habet communissimam auctorum doctrinam.

Sententiam nostram ita *demonstramus :* — Infallibilitatem Ecclesiæ in textibus dogmaticis implicite continet ejus infallibilitas in definitionibus fidei et morum, si judicium de textu dogmatico sit essentialiter idem actus, circa eamdem versans materiam et eumdem habens finem, ac definitio fidei aut morum, vel condemnatio erroris fidei aut moribus oppositi. Atqui ita res se habet; quod sequenti modo probamus :

Ecclesia, ubi definit veritates fidei et morum, aut errorem eis oppositum damnat, duo fert judicia; judicat nempe quis sit proprius sensus verborum sententiæ quam definit, aut erroris quem rejicit, et judicat dein an iste sensus sit orthodoxus vel heterodoxus : hæc autem ambo judicia versantur circa rem fidei et pro fine habent puram dare fidelibus fidei doctrinam. Jamvero omnino idem datur actus in judicio de textu dogmatico; in eo quoque fertur judicium tum de sensu obvio et proprio libri, tum de orthodoxia vel heterodoxia istius sensus; quæ ambo judicia feruntur circa materiam fidei et morum, et pro fine habent fidelibus puram dare fidei doctrinam. Ergo judicium de textu dogmatico est idem actus ac definitio fidei et morum aut con-

demnatio erroris eis oppositi; iisdem nempe constat partibus, circa eamdem versatur materiam et eumdem habet finem. Ergo si admittimus Ecclesiam infallibilem esse in definitionibus fidei et morum, et in damnandis oppositis erroribus, admittere quoque debemus Ecclesiam infallibilem esse in judicio de textibus dogmaticis.

Obj. 1° Jansenistæ ita arguunt : Ecclesia in hujusmodi textibus enarrandis, mediis utitur humanis i. e. regulis grammaticis, hermeneuticis etc. Atqui hæc media sunt errori obnoxia, et idcirco nequit Ecclesia infallibiliter veritatem attingere.

Resp. 1° hoc argumentum nimis probare; etenim eo admisso, sequitur Ecclesiam posse errare in explicandis symbolis, in definiendis veritatibus fidei et morum, nam et in hoc debet humanis uti mediis, regulis nempe grammaticis et hermeneuticis etc.

2° Hoc argumentum esse falsum. Dicunt nempe : media humana errori esse obnoxia; jamvero hæc propositio est distinguenda; est falsa, si sermo fiat de hisce mediis sub assistentia divina adhibitis; est vera, si sermo fiat de hisce mediis a divina assistentia sejunctis. Atqui hic sermo fit de humanis mediis, quibus Ecclesia sub assistentia divina utitur; ergo argumentum ab adversariis allatum est falsum; et proinde eorum objectio ruit.

Obj. 2° Ecclesiæ infallibilitas haud latius extendi potest, quam id postulat necessitas integrum custodiendi fidei depositum; jamvero ad fidei servandam integritatem haud necessaria est infallibilitas in judiciis de textibus dogmaticis, quia fideles a corruptione, quam mali inferunt libri, immunes servari possunt per legem, quæ hujusmodi librorum prohibeat lectionem; ergo...

R. 1° Infallibilitas in judiciis de textibus dogmaticis, non est, uti dicunt adversarii, essentialis infallibilitatis Ecclesiæ *extensio*, sed est eadem ipsa Ecclesiæ infallibilitas in definiendis

veritatibus fidei et morum; nullo enim sub respectu ab ea distinguitur. — Ergo adversarii a falso profecti sunt principio, et proinde eorum objectio nullius est pretii.

2° Falso quoque asseritur ad integre fidei depositum custodiendum et fideles ab errore in fide immunes servandos contra impugnationes quæ a malis oriuntur libris, satis esse, ut usus istorum librorum ecclesiastica lege prohibeatur, nec requiri ut Ecclesia infallibiliter de orthodoxia vel heterodoxia librorum judicium ferat. Etenim si Ecclesia in judiciis de textibus dogmaticis infallibilis non sit, fieri posset, ut erret in approbando aut in prohibendo aliquo libro; quod sane immensum detrimentum inferret fidei aut bonis moribus. Fideles scilicet, Ecclesia permittente, malo utentes libro, facile a pura et integra fide deflecterent; quod idem locum haberet, ubi ex errore bonus quidam liber prohiberetur. — Præterea in hypothesi, quod Ecclesia in judicandis textibus dogmaticis infallibilis non sit, fidei integritas perfecte custodiri etiam exinde non posset, quod prohibito aliquo libro per judicium de se fallibile, aut approbato aliquo libro per simile judicium, adhuc fidelibus licitum foret, si motiva se habere opinentur, de hujus libri doctrina interne dubia movere; et ita ipsi incerti manerent de vera fidei doctrina aut etiam heterodoxam interne sequerentur sententiam. Per judicium enim de textu dogmatico, quod de se fallibile est, impediri quidem usus ejus externus potest, sed regula fidei internæ non præscribitur; nam ubi quis persuasum haberet, illud judicium esse falsum, non posset illud interne sequi.

Notetur tamen Ecclesiam, haud quotiescumque librum aliquem damnat, infallibile velle de ejus heterodoxia judicium ferre; ordinarie enim tantum prohibet libri usum. Infallibile autem edit judicium, ubi agitur de libro circa quem magnæ moventur controversiæ, et qui ingentem exercet in fideles influxum; uti id fecit pro scriptis Joannis Hus, Wicclef, Jansenii, Baii et aliorum.

Q. IV. *An Ecclesia est infallibilis in definiendis hisce veritatibus theoreticis et practicis, quæ quidem revelatæ non sunt, sed tam intime cum fidei doctrina sunt connexæ, ut si in istis veritatibus error admittatur, logice negandum sit aut aliquod fidei dogma, aut etiam tota revelatio?*

Hujusmodi veritates sunt illæ omnes, quæ conclusiones sunt ratiocinii, cujus una præmissa est fidei dogma, et altera rationale principium. Tales enim veritates, non sunt fidei dogmata, quia non totaliter sed partim tantum ex revelatione innotescunt, neque etiam sunt veritates mere rationales, quia non totaliter sed partim tantum ex ratione procedunt; recte autem vocantur *conclusiones theologicæ; conclusiones* dicuntur utpote non immediate in revelatione contentæ, sed ex ea tantummodo deductæ; *theologicæ* dicuntur, non vero *dogmaticæ* conclusiones, quia dogmata fidei non sunt, sed pertinent ad theologiam seu scientiam fidei, utpote id quod fidei inest patefacientes et declarantes.

Ratio autem differentiæ inter dogmata fidei et conclusiones theologicas in eo est, quod omnis conclusio implicite continetur in præmissis, et de natura præmissarum suam trahit naturam; unde si duæ præmissæ sint fidei dogmata, dicenda est conclusio, utpote in præmissis implicite contenta, et ab eis naturam suam mutuans, implicite in revelatione contineri et fidei esse veritas; e contra vero ubi una præmissa est de fide et altera de ratione, conclusio utpote in suis præmissis contenta, participat de ambarum natura, et idcirco revelata censeri non potest.

Ad quæsitum autem *respondemus*, Ecclesiam esse infallibilem in definiendis hisce veritatibus cum fidei doctrina logice connexis, et in damnandis erroribus eis oppositis. — Existentia quidem hujus infallibilitatis non fuit ab ecclesiastico magisterio definita, sed pro se habet communissimam auctorum doctrinam; unde summe temerarium foret eam negare. Demonstratur autem immediate ex fine infallibilitatis Ecclesiæ; quare veritas theologica est censenda.

Hoc modo *argumentationem struimus :* Infallibilitas Ecclesiæ fuit collata, ut fidei doctrina intacta maneret, et mediante hac fide integre servata, immutata maneret Ecclesiæ constitutio, sancti essent mores, atque fructuose et valide administrarentur sacramenta. Jamvero fidei integritas non tantum impugnatur directa dogmatis negatione, sed etiam negatione veritatis cum dogmate logice connexæ; nam ea negata, logice et proinde quasi necessario ducimur ad dogma falso interpretandum aut negandum. Dein conservatio constitutionis Ecclesiæ, recta et fructuosa sacramentorum administratio, puritas morum non tantum innituntur primis fidei veritatibus, sed quoad magnam partem etiam veritatibus e dogmatibus derivatis, solutionibus specialibus et practicis. Unde liquet, quod si Ecclesia in veritatibus logice cum dogmate connexis non sit infallibilis; neque poterit fides integra servari, nec Ecclesiæ constitutio salva custodiri, nec plebs fidelis puris ornari moribus, nec cultus Dei rite exerceri, nec sacramenta fructuose ministrari. Ergo concludendum est Ecclesiam hisce in veritatibus definiendis infallibilem esse, nisi velimus contendere eam sufficienti infallibilitate a Christo haud fuisse instructam, ut hunc assequeretur finem, ob quem hac dote fuit ornata; quod sane esset impium, et falsum.

Cum hac doctrina plene concordant hæc verba Concilii Vaticani, ad finem Const. *Dei Filiis* dicentis : « Quoniam vero satis » non est hæreticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores » fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii » monemus servandi etiam constitutiones, et decreta, quibus » pravæ ejusmodi opiniones, quæ istic diserte non enumerantur, » ab hac Sancta Sede proscriptæ et prohibitæ sunt. » — Concilii nempe Vaticani Patres docent satis non esse, ut fideles hæresim fugiant, sed requiri insuper ut vitent errores ad hæresim accedentes, errores scilicet qui plus minusve cum hæresi sunt connexi; et ut hos errores omnes fideles fugiant, jubent iidem Patres ut servent constitutiones de istis pravis doctrinis a S. Ecclesia

editis. Jamvero hoc mandatum supponit quod Ecclesia in hujusmodi definitionibus errare non potest; secus enim fidelibus imponi non posset officium, hasce definitiones sequendi. — Nec dicatur, hic agi tantummodo de observatione externa, non vero interna; observatio harum constitutionum eodem modo præscribitur ac observatio constitutionum fidei; quæ, omnibus consentientibus, interna esse debet. Præterea satis est has constitutiones percurrere, ut pateat eas non tantum edicere quid externe observandum sit, sed expresse præscribere quid interne sit sentiendum.

Q. V. *An Ecclesia est infallibilis in discernendis et proscribendis illis sententiis, quæ securitati integritatis fidei et bonorum morum nocivæ sunt?*

De istis hic agimus propositionibus, quæ, quamvis ad dogmatis negationem logico nexu non conducunt, tamen fidei integritati aut bonis moribus nocent. Hujusmodi autem sunt illæ sententiæ quæ nullum pro se habent firmum argumentum et simul communi theologorum doctrinæ, aut communi fidelium sensui, aut approbatæ Ecclesiæ consuetudini opponuntur. Talibus enim doctrinis sparsis et admissis, detrimentum sane pateretur integritas fidei aut puritas morum. — Hisce nocivis propositionibus annumerandæ quoque sunt illæ, quæ æquivocæ sunt, sensum scilicet catholicum et simul sensum hæreticum admittentes, necnon illæ, quæ ad hæresim aut ad schisma disponunt et movent, aut ad alia peccata excitant, aut a semitis justitiæ avocant; sive id fiat ex ipsa propositionis natura, sive ex adjunctis rerum aut temporis.

Ad quæsitum *respondemus* Ecclesiam is hisce judiciis esse infallibilem; et hoc quidem esse veritatem theologicam, deductam ex fine infallibilis magisterii ecclesiastici. — Ecclesia nempe infallibilitate est instructa, ut fidem custodiret integram et mores servaret castos et sanctos; ex divini autem ejus Institutoris sapientia liquet extensionem hujus potestatis concordem existere

cum hoc fine. Jamvero prædictæ propositiones talis sunt naturæ ut fidei integritatem vel morum puritatem, aut lædant, aut saltem in discrimine vocent. Ergo debet Ecclesia habere potestatem de eis judicium ferendi, an sint arcendæ et respuendæ; et quidem judicium ferendi infallibiliter; si enim posset errare, hoc summum inferret damnum; siquidem admissa tali propositione, quæ rejicienda foret, vel ea rejecta, quæ admittenda foret, fides aut mores corrumperentur aut saltem in discrimine versarentur.

Hisce in judiciis non decernit Ecclesia has propositiones esse intrinsece falsas, sed pro securitate fidei et morum necessario arcendas et respuendas; ac proinde hisce propositionibus damnatis, non infallibiliter constat eas esse falsas, sed infallibiliter constat eas pro securitate doctrinæ catholicæ doceri aut teneri non posse.

Q. VI. *An Ecclesia est infallibilis in disciplina generali?* Agimus hic de lege generali, non vero de lege particulari, quia lex generalis emanat aut a S. Pontifice aut a concilio œcumenico, quibus infallibilitas pertinet (uti infra ostendemus); dum lex particularis emanat ab ordinario loci, aut a concilio provinciali aut nationali, quibus infallibilitas non competit; unde liquet de sola lege universali hic posse moveri quæstionem.

Notetur quoque in lege duo posse distingui judicia : judicium nempe de conformitate legis cum doctrina catholica, et judicium de utilitate vel opportunitate istius legis, attentis nempe rerum circumstantiis.

Quibus præ oculis habitis, *respondemus*, Ecclesiam in judicio de conformitate legis cum fide et moribus esse infallibilem; et hoc quidem eodem modo constare, ac constat eam in doctrina Christi prædicanda esse infallibilem. Etenim si Ecclesia hac in re erraret, proponeret quid falsum fidelibus suis in fide aut in moribus, quod repugnat doti infallibilitatis, qua fruitur.

In altero autem judicio Ecclesia est infallibilis *negative*, in

quantum nimirum judicat hanc suam legem haud ex natura sua in discrimen vocaturam esse fidem aut mores (uti patet e quæst. 5ª); verum infallibiliter non judicat de majori vel minori perfectione aut opportunitate legis, cum id ad integritatem fidei et morum certe non requiratur.

Unde certissime constat in disciplina generali nihil haberi, quod repugnet aut fidei aut bonis moribus, aut ea in discrimen vocet; sed certo non constat eam disciplinam ex omni parte esse optimam et perfici non posse. Unde sequitur nihil obstare, quominus lex generalis in Ecclesia mutetur et perfectioni ejus allaboretur. Attamen, quia Ecclesia in toto regimine suo sub assistentia Spiritus Stⁱ agit, non temere judicium est ferendum de minori vel majori disciplinæ generalis perfectione.

Q. VII. *An ecclesia est infallibilis in approbandis ordinibus religiosis?*

Hic rursus agimus de actu posito a S. Pontifice aut ab œcumenico concilio, quibus infallibilitas competit; non vero de actu posito ab uno aut quibusdam Episcopis, cum ipsi infallibilitate non fruantur.

In hac approbatione duo etiam debent distingui judicia : judicium nempe de conformitate ordinis cum doctrina fidei et morum, præcipue cum consiliis evangelicis, quæ partem morum constituunt; et judicium de majori vel minori utilitate et opportunitate regulæ propositæ.

Ad quæsitum nunc *respondentes,* dicimus Ecclesiam in judicio de conformitate cum doctrina fidei et morum errare non posse, et hoc videtur tam certo constare, ac ipsa Ecclesiæ infallibilitas in doctrina fidei et morum. Et re quidem vera, ubi Ecclesia ordinem religiosum approbat, proponit omnibus fidelibus viam tutam ad perfectionem et sanctitatem; ac proinde si in hac regula ab Ecclesia approbata, adesset aliquid quod doctrinæ fidei aut morum contradicit, Ecclesia erraret in doctrina fidei et morum.

In altero judicio eadem fruitur infallibilitate ac quando judicat de legis universalis opportunitate. Negative infallibilis est, in quantum nempe non potest approbare regulam quæ de se ad sanctitatem non ducat; nam secus erraret in judicio de re quæ perniciosa existeret fidei aut moribus, quod est impossibile (Cfr. quæst. 5); sed de majori vel minori regulæ opportunitate infallibile non fert judicium, cum id ad integre fidem et mores servanda necessario non requiratur, quæ tamen necessario est norma extensionis infallibilitatis, uti supra sæpius jam dictum est.

Inde infallibiliter constat omnes regulas ordinum a S. Pontifice aut ab œcumenico concilio approbatas, nihil continere quod contrarium sit fidei aut moribus, aut ad eorum perniciem de se tendat; sed non tenendum necessario est has regulas esse summe perfectas; unde omnino nihil obstat, quominos hæ regulæ successive perficiantur. Temere tamen de hoc non judicetur.

Q. VIII. *An Ecclesia est infallibilis in beatificatione et in canonizatione servorum Dei?*

Canonizatio proprie et stricte sumpta est publicum S. Sedis judicium, et expressa definitio de sanctitate atque gloria alicujus, qui solemni cæremoniarum pompa sanctorum catalogo adscribitur, et publicæ totius militantis Ecclesiæ venerationi proponitur, cuique honores Sanctis debiti decernuntur.

Beatificatio vero proprie et stricte sumpta est legitima S. Pontificis concessio facta vel toti Ecclesiæ vel cuidam Ecclesiæ parti, ut aliquis tamquam cum Christo in cœlo regnans, cultu aliquo publico, ut recitatione divini officii, celebratione Missæ, expositione publica reliquiarum ad normam concessionis pontificiæ honorari et invocari possit.

Duplex est tam canonizatio, quam beatificatio; una scilicet *formalis*, et altera *æquipollens*. Canonizatio formalis est illa quæ expletur a S. Pontifice, servata forma judiciali et examine circa acta canonizandi instituto. Canonizatio autem æquipollens

est, cum S. Pontifex aliquem Dei servum in antiqua cultus possessione existentem, fama virtutum et miraculorum celebrem, non servata judiciali forma seu omisso examine circa acta ejus, coli jubet in universa Ecclesia.

Beatificatio formalis est illa, in qua, prævia discussione virtutum, aut martyrii et miraculorum, S. Pontifex indulget ut servus Dei *Beatus* appelletur atque in tota Ecclesia, aut in parte ejus determinata, publico honoretur cultu. Beatificatio vero æquipollens est illa, in qua, ratione habita famæ virtutum, aut martyrii et miraculorum, sed omissa discussione, S. Pontifex idem concedit, ac supra in beatificatione formali.

In hoc autem differt canonizatio a beatificatione : 1° quod canonizatio est ultima et definitiva sententia de sanctitate et gloria alicujus, non vero beatificatio; post eam enim requiruntur adhuc novæ informationes, ut perveniatur ad canonizationem. 2° Beatificatio non est tam sententia quam indultum seu permissio, ut alicui deferatur cultus religiosus. Unde Pontifex in bullis canonizationis dicit : *definimus, decernimus, mandamus;* in bullis vero beatificationis : *indulgemus, concedimus.*

Beatificatio et canonizatio pertinent ad S. Pontificem. In initio quidem Ecclesiæ factum est, ut plurimi Sancti post felicem eorum obitum communi Episcoporum et populorum consensu tales declararentur, et colerentur; hoc tamen de auctoritate expressa vel tacita S. Pontificis non contradicentis, sed tacite approbantis (Cfr. Bened. XIV. *De canoniz. Sanct.* l. I, cap. 6, num. 9.). A tempore autem Alexandri III (1159-1181) usque in præsens, potestas tum canonizandi tum beatificandi soli R. Pontifici fuit restricta. Unde cum isti actus procedant ab auctoritate infallibilitatis dote ornata, merito inquiritur an sint necessario ab errore immunes.

Ad quæsitum *respondentes* dicimus :

a) Ecclesia certo infallibilis est in iis declarandis *Sanctis*,

quorum sanctitas e fontibus revelationis, e Scriptura nempe aut e Traditione divina deprehenditur et quidem hoc de fide est, siquidem fides docet Ecclesiam in docendis iis omnibus, quæ in revelatione continentur, infallibilem esse. — Hujusmodi sunt Sancti illi, qui in *Eccl*^{ci} XLIV et seq. laudantur, Joannes Baptista, Stephanus et Jacobus Hierosolymitanus, qui in Scripturis novi Testamenti uti S. S. Martyres exhibentur; Apostoli, qui a S. Joanne in Apocalypsi uti fundamenta Jerusalem cœlestis describuntur (XXI, 14); et Beatissima Virgo Maria, cujus a peccato immunitas, gratiæ plenitudo, et in cœlum ascensio tam aperte in Scriptura et in divina traditione continentur.

b) Quoad cæteros autem Sanctos, dicendum videtur cum Benedicto XIV *(De Servorum Dei Beat. et Can.* Lib. I, Cap. XLII) Ecclesiam infallibilem non esse in beatificatione aut æquipollenti, aut etiam formali, quamvis quidam auctores contrarium teneant; verum cum communi doctorum sententia, dicenda est infallibilis in canonizatione tam formali quam æquipollenti; et hoc videtur esse sententia theologice certa, seu saltem, uti ait Billuart *(De Fide,* Diss. III, art. VIII) sententia communis et certa, ita ut qui eam negaret, temerarius esset dicendus. Quidam theologi censent id esse de fide, sed melius id negatur, cum in revelationis fontibus nihil hac de re expresse dictum legatur.

Diximus censendum videri Ecclesiam infallibilem non esse in beatificatione; cujus sententiæ ratio in hoc est, quod judicium beatificationis est semper permittens, nunquam vero præcipiens, et ad finem quidem, ad canonizationem scilicet conducit, sed non est extremum aut definitivum. Jamvero si judicium istud esset infallibile, foret necessario extremum et definitivum; et etiam non intelligitur, cur Ecclesia, definitive et infallibiliter alicujus sanctitate pronuntiata, non præciperet, sed tantum permitteret ejus cultum. — Quod autem definitivum non est beatificationis judicium, ex praxi canonizationis liquet, nam in ejus processu S. Rituum Congregationi proponitur hoc dubium : *an tuto*

deveniri potest ad canonizationem; et insuper hoc dubio favorabiliter soluto, iterum agitur de tota causa, i. e. de virtutibus aut de martyrio, et de miraculis, in Consistoriis, in quibus suffragium fertur ab omnibus S. R. E. Cardinalibus, atque Episcopis Romæ commorantibus atque aliis hanc ob causam vocatis. — Nec opponatur errorem in beatificatione nocivum fore moribus, cum Ecclesia in hoc judicio cultum Beati non præcipiat sed permittat tantum; ergo ipsa neminem in errorem necessario inducit. — Notetur tamen, quod temere et scandalose ille ageret, qui judicium beatificationis ab Ecclesia latum sperneret aut publice impugnaret; nam hoc judicium, quamvis de se non infallibile, summa fruitur auctoritate morali; et utpote a suprema Ecclesiæ auctoritate latum, summa veneratione debet excipi et servari.

Diximus Ecclesiam certo dicendam esse infallibilem in canonizatione sanctorum; quod sequenti demonstramus argumento. Ecclesia dicenda est infallibilis in canonizatione sanctorum, si ad sanctos canonizandos missionem habeat, et si iste actus connexus sit cum morum integritate, in qua servanda Ecclesia infallibilis est; atqui ita res se habet, ergo...

Prob. 1ª *pars min.* Quod Ecclesia missionem habet ad sanctos canonizandos ita probamus. Indubie in revelatione fundatur cultus sanctorum, nec tantum cultus generalis quo omnes simul sanctos, nullo individue noto, colimus, sed cultus specialis qui ad notos et individue determinatos sanctos dirigitur. Atqui si hoc constat, certo habet Ecclesia munus canonizandi, nam secus non noscerent fideles, quinam ut sancti colendi a se sint. Ergo ex revelatione mediate deducitur, Ecclesiæ pertinere canonizandi munus.

In Ecclesia habendum esse specialem in determinatos sanctos cultum, eruitur tam e Veteris quam e Novi Testamenti libris, siquidem in eis magna nobis exhibetur sanctorum series, fidelium cultui propositorum, uti supra jam ostensum est. Jamvero

quod Deus in sapientia sua disposuit atque ordinavit pro sanctis Veteris Legis et ætatis apostolicæ, id sane quoque ab ipso dispositum censeatur oportet pro sanctis totius æræ christianæ; nulla enim potest allegari ratio ad id negandum, et omnia militant, ut hanc divinam dispositionem vindicemus toti christianæ ætati. Etenim merus generalis sanctorum cultus et vigore destitueretur, et fructu careret, nam necessario deessent imitatio cujusdam vitæ tali aut tali specialiter convenientis, et fiducia illa fortis, quæ solum datur inter notos. Præterea, S. Paulus generali modo, absque ulla temporis determinatione, fidelibus commendat, ut sanctos suos præpositos, vita functos, in memoria habeant, et eorum imitentur fidem, dicens *Hebr.* XIII, 7 : « *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt* » *verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis,* » *imitamini fidem.* » — Quo demonstrato, sanctos scilicet determinatos in Ecclesia speciali cultu esse colendos, liquet Ecclesiam habere munus canonizandi; nam indubie determinatio eorum, qui sanctis annumerandi sunt, haud relinqui potest uniuscujusque judicio, utpote errori et passionum deceptioni obnoxio, sed Ecclesiasticæ potestati iste actus pertinet, cui Deus munus commisit fideles et regendi et pascendi.

Prob. pars 2ª *min.* : canonizationis judicium intimam habere cum moribus relationem. Supposito quod Ecclesia aliquando in canonizatione erret, indubie, hoc errore a fidelibus detecto, ruet omnis eorum in sanctorum cultu fervor. Insuper cum cultus sanctorum non tantum in veneratione ac invocatione, sed etiam in imitatione consistat, et canonizatio verum pro toto fidelium cœtu contineat præceptum aliquem habendi ut sanctum et exemplar sanctæ vitæ aut mortis in oculis Dei pretiosæ, magnum sane pateretur morum puritas damnum, ubi Ecclesia, in judicio suo errans, impium et diaboli servum canonizaret; nam ita imitationi fidelium præceptive proponeretur pravorum morum exemplar. Jamvero hujusmodi decretum, quod in morum per-

niciem vergat, ab Ecclesia, quæ in fide et moribus integre custodiendis infallibilis est, emanare posse haud licet supponere; ergo dicendum est, Ecclesiam, ubi canonizat, infallibilem esse; et cum canonizatio ad ejus munus pertineat, generatim affirmare debemus : Ecclesiam in sanctorum canonizatione esse infallibilem.

Hanc demonstrationem confirmat unanimis fere Theologorum sententia, ita ut saltem absque temeritate infallibilitas in canonizando sanctos Ecclesiæ denegari non possit.

Corollaria ex præcedenti doctrina deducta

I. In Ecclesiæ definitionibus id solum infallibiliter nobis constat, quod ipsa definire intendit. Ergo tamquam infallibiliter certa habenda non sunt argumenta varia, quæ allegat ad sententiam, quam definit, demonstrandam. Hæc tamen argumenta summi sunt momenti, quippe quæ ab auctoritate omni veneratione digna emanent.

II. Cum Ecclesia sit infallibilis in custodiendo deposito fidei, et in declarando vero sensu dogmatum revelatorum; eo ipso est infallibilis in judicio de vero sensu, de intensione et de extensione suæ propriæ auctoritatis et infallibilitatis, seu, quod idem est, in judicio de conditionibus et de objectis, in quibus sibi divino jure competat auctoritas et promissa sit infallibilitas.

III. Cum Ecclesia tantum missionem acceperit docendi doctrinam revelationis christianæ, et ad hoc munus implendum solum infallibilitate sit instructa, liquet eam ut credendas proponere non posse seu infallibiliter definire, revelationes post Christum et Apostolos (quo tempore revelatio christiana completa fuit) quibusdam personis factas. Nec obstat, quod Ecclesia nonnunquam revelationes sanctis factas approbat. Quid enim talis approbatio intendat, Ben. XIV. Lib. 2. cap. 32 ita edicit : « Scien- » dum est approbationem istam nihil aliud esse, quam permis- » sionem, ut edantur ad fidelium institutionem et utilitatem, » post maturum examen, siquidem hisce revelationibus taliter

» approbatis, licet non debeatur, nec possit adhiberi assensus » fidei catholicæ, debetur tamen assensus fidei humanæ juxta » prudentiæ regulas, juxta quas nempe tales revelationes sunt » probabiles et pie credibiles » et *Lib.* III, c. 53, n. 15 : « Ex » quibus proinde sequitur, posse aliquem, salva et integra fide » catholica, assensum revelationibus prædictis non præstare, et » ab eis recedere, dum id fiat cum debita modestia, non sine » ratione, et citra contemptum. » Si vero quæratur, num is, cui revelatio privata immediate fit, eam credere debeat, eum ad hoc teneri respondendum est, quoties ipsi eam a Deo venire omnino constat. In hoc etiam omnes conveniunt.

IV. Cum in revelatione christiana non tantum contineantur *mysteria*, seu veritates *superrationales*, sed etiam veritates *rationales*, et Ecclesia infallibilis sit in iis omnibus docendis, quæ in revelatione continentur, aut cum ea connectuntur, sequitur :

a) Ecclesiam infallibiliter definire eas omnes veritates, ad philosophiam aut ad alias disciplinas profanas pertinentes, quæ in revelatione continentur; et idcirco omnibus philosophis et scientiarum naturalium cultoribus officium inesse, ut has definitiones sequantur; secus enim contra fidem peccarent. — Ita Ecclesia definivit hanc veritatem philosophicam : « *existentia* » *Dei per rationem demonstratur;* » utpote in revelatione contentam *(Rom.* I, 19, 20); et idcirco nullus philosophus hanc veritatem negare aut impugnare potest sine peccato contra fidem.

b) Ecclesiam infallibiliter judicare quænam philosophiæ aut naturalium scientiarum systemata doctrinæ revelatæ contradicant aut ejus integritati noceant; et idcirco sunt rejicienda et respuenda; nam Ecclesia non tantum definit, quid sit tenendum, sed etiam quid sit respuendum. Quæ omnia judicia philosophi et scientiarum naturalium cultores stricto servare tenentur.

c) Falso igitur asseri : philosophiam neque posse, neque debere ulli se submittere auctoritati *(Syllab.* X); philosophiam tractandam esse, nulla supernaturalis revelationis habita ra-

tione, *(Syllab.* XIV); Ecclesiam non solum non debere in philosophiam unquam advertere, verum etiam debere ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat *(Syll.* XI.).

d) Falso etiam asseri : Ecclesiæ decretis scientiæ progressum impediri *(Syll.* XII), siquidem doctores, ubi errant, ab Ecclesia in veritatis viam infallibiliter reducuntur. Illi ergo soli possunt contendere Ecclesiæ definitionem progressui scientiæ obstare, qui progressum non in veritate, sed in errore ponunt et quærunt.

V. Si quæratur utrum Ecclesia infallibilis sit in lectionibus breviarii et in approbandis reliquiis sanctorum, respondendum est eam hisce in materiis infallibilitate non gaudere, nisi negative quoad breviarium, quatenus nempe in eo nihil approbare potest, quod est contra fidem aut bonos mores.

In lectionibus enim, quas in officio sacro legendas præscribit, dantur multa facta historica, circa quæ, quum in revelatione non contineantur et cum ea connexa non sint, infallibile non potest ferre judicium; unde liquet Ecclesiam in hisce præscribendis lectionibus judicio procedere humano, moraliter tantum certo, et non repugnare si quandoque in eis inveniantur facta historice falsa.

Quoad reliquias autem sanctorum, liquet non licere, ut bonus ordo servetur, eas antea fidelium venerationi proponere, quam auctoritate Ecclesiæ id fuerit concessum; verum nulla datur ratio, cur diceremus Ecclesiam in hac approbatione esse infallibilem : nam ex errore, casu hac in approbatione occurrente, nullum patiuntur damnum fides et mores, quorum tamen custodienda integritas est unica norma ecclesiasticæ infallibilitatis extensionem definiendi.

VI. Martyrologium, in nomenclatura, quam continet, sanctorum infallibile censendum non est; nam non eos tantum nominat sanctos, qui canonizati ab Ecclesia sunt, sed et plures alios qui privata solum veneratione olim fuerunt honorati aut nunc coluntur.

SCHOLION I

Postquam diximus, quasnam varias species veritatum et errorum hisce veritatibus oppositorum fidelibus suis Ecclesia infallibiliter exponat, jam locus hic est dicendi, quo nomine Ecclesia et inde theologi has varias veritatum et errorum species designare soleant.

I. Veritas immediate in revelatione contenta, et ab Ecclesia sufficienter ut talis proposita, dicitur *de fide catholica*, vel etiam simpliciter *de fide;* et error hujusmodi veritati directe oppositus, vocatur *hæresis*. Illud autem censendum est tamquam veritas revelata ab Ecclesia propositum : 1° quod in Scripturis immediate apparet contentum, ut v. gr. Christi nativitas in Bethlehem, ejus agonia, ejus flagellatio, etc. 2° quod in Scripturis obscurius continetur, sed ab Ecclesia ibidem contineri declaratum est; 3° quod ab Ecclesia tamquam de fide declaratum est, aut cujus contradictorium tamquam hæreticum est damnatum; 4° quod tam aperte ac notorie ab Ecclesia uti objectum fidei indicatur in liturgia, v. g. in cultu et orationibus publicis, ut nulla id tergiversatione negari possit. Exemplum est in dogmate angelorum custodum, quos Ecclesia ad nostram custodiam mitti in sua liturgia clare pronuntiat. — Veritas *de fide catholica* etiam *dogma* vulgo vocatur.

II. Propositio dicitur *fidei proxima*, si ex theologorum consensu et firmis argumentis habenda est uti certo in divina revelatione immediate contenta; sed simul ipsi deest, ut dogma sit fidei, sufficiens Ecclesiæ propositio (in sensu nempe supra dicto intellecta). Talis fuit diu ante Pii IX definitionem veritas de immaculata conceptione B. M. V. — Propositio autem huic veritati fidei proximæ opposita, vel propositio cujus oppositio cum dogmate fidei non est plane evidens, vocatur *hæresi proxima*.

III. Propositio dicitur *theologice vera*, seu *veritas* vel con-

clusio theologica, si evidenter et ex consensu theologorum ex una præmissa de fide et altera rationali deducitur; aut tamquam talis ab Ecclesia proponitur. — Propositio huic opposita vocatur *erronea*.

IV. Propositio vocatur *simpliciter certa*, seu *certa*, si quidem firmis argumentis et ex consensu multorum magni nominis theologorum ex præmissa de fide ope præmissæ rationalis deducitur, sed ei deest deductionis evidentia et unanimis theologorum consensus aut Ecclesiæ definitio. — Propositio autem huic opposita vocatur *errori proxima*.

V. Propositio quæ contradicit aut propositioni de fide, aut propositioni theologice certæ, aut simpliciter certæ, vocatur quoque generico modo *falsa*.

VI. Propositio vocatur *tuta*, *probabilis*, *probabilior* et *probabilissima*, ubi e divina revelatione ope rationis, non quidem certo, sed tamen cum probabilitate, inspectis nempe tum argumentis internis, tum theologorum consensu, deducitur; et idcirco cum Ecclesiæ pace docetur. — Huic notæ opponitur nota *temeritatis*; temerariæ nempe dicuntur illæ sententiæ, quæ doctrinæ communiter in Ecclesia receptæ adversantur, et nulli innituntur probabili ratione, necnon istæ sententiæ novæ, quæ quidem, utpote antea ignotæ, communi doctrinæ non contradicunt, sed tamen omni carent probabilitatis argumento. Hujus ultimæ speciei esset illa sententia, quæ contenderet, alium sanctum præter B. Mariam Virginem habuisse privilegium, quo immunis esset a quovis veniali peccato.

VII. Propositio dicitur *hæresim sapiens*, vel *hæresi suspecta*, si est æquivoca, duplicem admittens sensum, catholicum nempe et hæreticum, ita tamen ut hæreticus prævaleat, sive ratione ipsorum verborum, sive ratione adjunctorum.

VIII. Dantur et aliæ notæ : *male sonans*, *piarum aurium offensiva*, *schismatica*, *impia*, *scandalosa*, etc., sed facilis sunt intelligentiæ et explicatione non indigent.

Nota 1ª. Ubi plures propositiones simul damnantur, haud raro censuræ singulæ haud singulis propositionibus apponuntur, sed adjiciuntur toti elencho (uti aiunt) *in globo*. Quo in casu, nulla est in tota serie propositio, cui aliqua ex enumeratis notis non conveniat, et nulla est apposita nota, quæ ad aliquam ex iis propositionibus non pertineat.

Nota 2ª. Quoniam una propositio potest pluribus modis veritati opponi, hinc potest et solet eadem propositio pluribus affici distinctis censuris. Idem quoque exinde fieri potest et solet, quod nota quædam superior contineatur in nota inferiori tamquam species in genere, et ita distinctæ notæ uni et eidem propositioni vere conveniant. Hoc modo propositio quæ damnatur v. g. uti falsa, potest simul damnari uti schismatica, si non tantum veritati sed et Ecclesiæ unitati sit opposita; et propositio quæ damnatur ut hæretica, semper potest quoque damnari uti falsa, quia nota hæresis comprehenditur tamquam species in genere *falsitatis*.

SCHOLION II

Quæstioni de modo quo Deus, qui solus de se est infallibilis, et omnis infallibilitatis participatæ est auctor, Ecclesiæ infallibilitatem efficiat, ita respondemus : Deus id non efficit continuo inspirando Ecclesiam, sicuti auctores Scripturæ Sacræ inspiravit; verum ita assistit Ecclesiæ, dum hæc doctrinam fidei aut morum depromit ex duobus revelationis fontibus *(Scriptura* et *Traditione)* ut in hoc munere peragendo ab errore plene sit immunis. Ecclesiæ dari hanc assistentiam Dei in desumenda fide ex istis thesauris, satis superque liquet ex argumentis quibus Ecclesiæ infallibilitas demonstrata fuit. — Quod autem Ecclesiæ infallibilitas e continuis non fluat novis inspirationibus, manifestum nobis est, tum ex silentio divinæ revelationis hac de re, tum ex sufficientia medii supra indicati et clare in revelatione propositi.

SECTIO SECUNDA

De organica Ecclesiæ Christi constitutione

PRÆNOTANDA

Postquam in prima sectione egimus de dotibus Ecclesiæ Christi, inquirendum nunc remanet quænam sit hujus Ecclesiæ organica constitutio. Hucusque enim vidimus, quænam qualitates ad totum Ecclesiæ corpus pertineant; nunc investigemus oportet, qua ratione hoc ipsum corpus sit compositum.

Societatis autem membra in unum coadunantur corpus morale potestatis muneribus, quibus diriguntur et juvantur ad finem suum attingendum. Jamvero supra vidimus, quod Ecclesia duplici fruitur potestate : potestate nimirum ordinis et jurisdictionis, et quod est societas inæqualis seu quod potestas ejus non est penes omnes sed penes aliquos tantum. Ergo ad solvendam propositam quæstionem de organica Ecclesiæ constitutione, inquirere debemus, quænam munera instituerit Christus in Ecclesia sua, tum quoad potestatem ordinis, tum quoad potestatem jurisdictionis.

Hujus autem quæstionis aperta habetur in revelatione christiana solutio. Potestas nempe ordinis commissa est a Christo Domino Episcopis, presbyteris et ministris; potestas autem jurisdictionis supremo Pontifici, qui totam gubernat Ecclesiam, et Episcopis, qui sub supremo Pontifice, partes Ecclesiæ cum vera jurisdictionis potestate gubernant. — Ambæ istæ munerum series vocantur *hierarchiæ* (ιερος sacer, et αρχη principatus); inde *hierarchia ordinis* ex divina institutione complectitur *Episcopos* (sacerdotes 1^{i} ordinis), *presbyteros* (sacerdotes 2^{i} ordinis) et *ministros*; et *hierarchia* jurisdictionis complectitur ex divina institutione : *S. Pontificem* et *Episcopos*.

Cum de hierarchia ordinis in Theologia morali tractetur, hic solum hierarchiam jurisdictionis scientifice exponemus. Quod ut faciamus, sequentia sunt præstanda : in primis inquirere debemur, *an* utrumque jurisdictionis munus vere a Christo *institutum* sit, et quidem in perpetuum, et *quid sit* seu quid comprehendat utrumque munus. Verum id satis non est : cum enim S. Pontifex et Episcopi non tantum separatim, sed et etiam in œcumenico congregati concilio, munere suo fungi et uti potestate sua possint, de conciliis œcumenicis nobis etiam agendum est. Tandem, dicemus de falsis hac in re opinionibus, easque refellemus.

CAPUT PRIMUM

De supremo Pontificatu

Ut plene hanc quæstionem de munere supremi Pontificatus seu primatus exponamus, agemus 1° de institutione ejus in beato Petro, 2° de perpetuitate ejus, et 3° de ejus vi et ratione. Ita enim innotescet *quod* hoc munus in Ecclesia ex voluntate Christi existit, et quidem in perpetuum, et *quid* sit hoc munus.

ARTICULUS I

De primatus seu supremi Pontificatus in beato Petro institutione

Prænotanda. Ut status quæstionis rite intelligatur, hæc sunt præmittenda : quadruplex primatus distingui potest : 1° primatus *honoris*, qui consistit in præeminentia quoad actus honorificos, v. gr. ut quis primum occupet locum sive in sedendo sive in incedendo etc.; 2° primatus *auctoritatis* seu *directionis*, qui est præeminentia in negotiorum directione, sed potestate tantum directiva, non autem præceptiva, cujusmodi primatum habent

in aliqua communitate viri seniores et prudentiores; 3° primatus *excellentiæ*, illius scilicet proprius, qui in certo ordine cæteris aliqua dote præcellit, quo sensu Demosthenes v. gr. princeps dicitur oratorum; 4° primatus *jurisdictionis*, qui potestate regendi subditos non solum directiva, sed præceptiva continetur; et qui proinde complectitur potestatem *legiferam*, *judiciariam* et *coactivam*.

Jamvero catholica doctrina docet *primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam* in B. Petro a Christo Domino institutum fuisse; sicuti id definitum est in Concilii Vaticani constitutione : *Pastor æternus*, cap. I : « Si quis dixerit B. Petrum » apostolum non esse a Christo Domino constitutum apostolorum » omnium principem et totius Ecclesiæ militantis visibile caput, » vel eumdem honoris tantum, non autem veræ propriæque dictæ » jurisdictionis primatum ab eodem D. N. J. Christo directe et » immediate accepisse, anathema sit. »

Protestantes negant jurisdictionis primatum in B. Petro a Christo Domino institutum fuisse; solummodo concedunt Petro primatum honoris et directionis, vel ob ætatem provectiorem, vel alacriorem ejus fervorem fuisse collatum. Ita v. gr. Forbesius (Institut. historic. theol. L. 15. C. 1) scribit : « Necesse est pri- » matum quemdam in Apostolos agnoscamus esse Petro Apostolo » concessum, primatum, inquam, ordinis, qui in omni societate » est necessarius, et cujusdam præsidentiæ, ætatis et reve- » rentiæ. »

Ostendemus nunc jurisdictionis primatum in B. Petro fuisse institutum, demonstrando e S. Scriptura et ex Traditione Christum cæteris apostolis Petrum prætulisse, primatum ei promisisse promissumque contulisse, atque Petrum vel ab ipsis Ecclesiæ originibus primatum, quantum id exposcerent temporum adjuncta, et gessisse et etiam exercuisse.

§ I.

Verbis Christi Domini *Matt.* XVI, 18 promittitur Petro jurisdictionis primatus in universam Ecclesiam.

Verba Christi Domini (*Matth.* XVI, 18) sunt : « *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* » Duo nobis sunt probanda, ut hoc textu primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam Petro fuisse promissum ostendamus : 1° verba allata ad unius Petri personam dirigi; et 2° eadem primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam continere.

I. Verba allata ad unius Petri personam dirigi, ex ipso textu et contextu apparet. Patet autem 1° ex testimonio Evangelistæ, qui ea tamquam ad Petrum directa refert, dum v. 17 scribit : « *Respondens autem Jesus dixit ei : Beatus es Simon,* » *Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed* » *pater meus, qui in cœlis est;* v. 18 *Et ego dico tibi* etc. » Ex hac relatione Evangelistæ, verba v. 17 et 18 ad eamdem personam diriguntur et quidem ad eam quæ immediate antea locuta fuerat, nempe ad Petrum qui v. 16 sic introducitur : « *Respondens* » *Simon Petrus dixit : Tu es Christus, Filius Dei vivi;* » ergo...

2° Patet ex verbis Christi Petrum nomine proprio, *Simon*, Bar-Jona (filius Jonæ) appellantis.

3° Patet ex logico sermonis nexu. Ex eo enim discimus : *a)* verbis : *Et ego dico tibi quia tu es Petrus* significari redditam vicem atque remunerationem; et *b)* verbis : *et super hanc petram,* interpretationem contineri appellativi nominis *Petri.* At remuneratio ad eum unice spectat, qui v. 16 edita confessione sibi meritum comparavit, quique fuit Simon Petrus. Inter-

pretatio autem illi tantum convenit, cui appellatio Petri et promissa fuerat (cfr. *Joan.* I, 42 : *Tu es Simon, filius Jona : tu vocaberis Cepha, quod interpretatur Petra)* et deinde collata (cfr. *Marc.* III, 16 : *Et imposuit Simoni nomen Petrus).* Sane, ratio ob quam Simon petra vocatur, verbis Christi proponitur : *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* et quidem omne dubium hac de re excluditur, si ratio habeatur ejus linguæ, qua usus est Christus. Locutus nimirum est Christus syriaco-chaldaice; hinc dixisse putandus est : *Tu es Cephas et super hoc Cephas...* seu *tu es saxum, et super hoc saxum ædificabo Ecclesiam meam.* Sed si in utroque inciso idem est nomen, præsertim si in altero inciso repetitur cum pronomine *hoc,* ad idem illud referri debet subjectum. Verba ergo « *et super hanc petram* » referri debent ad Petrum.

Ergo liquet verba *Matt.* XVI, 18 ad unius Petri personam dirigi. Objiciunt autem Protestantes verba Christi, quamvis ad solum Petrum dirigi videantur, re tamen vera ad omnes dirigi apostolos; quia, aiunt, Petrus omnium Apostolorum nomine locutus est. — Verum respondemus : quomodo Petrum omnium Apostolorum nomine locutum esse probant? Non *a)* e verbis Evangelistæ; hic enim hac de re ne syllabam quidem habet; imo contrarium potius testatur, quum, introductis antea (v. 14) singulis Apostolis pro se respondentibus, nunc (v. 16) Petrum etiam pro se respondere aperte significat; neque *b)* ex verbis Petri, qui se omnium sensa referre ne verbulo quidem indicat; neque *c)* ex verbis Christi, qui, si Petrus omnium nomine locutus fuisset aut omnium saltem sensa retulisset, non adeo exclusive Petrum ob talem confessionem beatum et a Patre illustratum dixisset; neque *d)* etiam per se intelligitur; quamvis enim omnes Christo adhærerent eumque tamquam Messiam haberent, eorum tamen fides, præsertim in Ejus divinitatem, tunc temporis nondum tam firma erat, ut ne minimum quidem dubitarent. At si nihil est, ex quo Petrum omnium nomine locutum fuisse constet,

sed omnia potius contrarium indicent, nonne Scripturam pervertere et sua sensa in eam introducere dicendi sunt, qui Petrum omnium nomine locutum esse contendunt?

II. Nec minus patet eadem Christi verba primatum jurisdictionis continere. Etenim metaphorica locutio : *Petrum esse fundamentum Ecclesiæ,* exprimit inter Petrum et Ecclesiam easdem haberi relationes ac inter ædificium et fundamentum ejus. Jamvero fundamentum respectu ædificii hoc præstat, quod ædificium in juncturis continet, et contra tempestatis impetum stabilit. Ergo Petrus in Ecclesia efficiet ut omnes ejus partes in unum corpus unitas contineat, et Ecclesiam a dissolutione defendet contra hostium impetum. Sed nequit talis habitus Petri ad Ecclesiam concipi citra verissimam jurisdictionis potestatem, seu jus leges ferendi, judicandi et coercendi, necnon docendi; nam certe ad Ecclesiam in unitate stabiliendam, necnon ad eam contra hostes firmandam, non sufficeret umbratilis primatus, honoris scilicet, aut directionis, aut excellentiæ; uti liquet ex historia cujusvis perfectæ societatis. Quid v. gr. fieret de societate civili, si ipsa careret potestate legislativa, judiciaria et coercitiva? Satis superque ostendimus supra, omni societati perfectæ competere hanc jurisdictionis potestatem, et eam esse societatis sustentaculum et firmamentum; jamvero Ecclesia Christi est societas perfecta; et Petrus dicitur ejus fundamentum; ergo concludatur oportet Petrum habere in Ecclesiam potestatem jurisdictionis.

Verum de quanam Ecclesia fit sermo in textu *Matth.*, utrum de Ecclesia universali, an vero de aliqua tantum Ecclesiæ parte? Liquet sermonem hic fieri de Ecclesia universali ex verbis illimitatis *Ecclesiam meam;* hæc enim comprehendunt quotquot sunt oves Christi; et proinde Ecclesiam universalem, et etiam ipsos Apostolos.

Hisce explanatis, sequentia constant : uni Petro a Christo fuisse promissum, quod esset petra Ecclesiæ universalis; et hanc

metaphoram *petram* significare plenam jurisdictionis potestatem; ergo e textu *S. Matt.* XVI, 18 constat, Petro fuisse a Christo promissum jurisdictionis primatum in totam Ecclesiam.

Evidentiæ demonstrationis accedit et auctoritas Patrum. Nostram interpretationem proposuerunt fere omnes : Origenes *hom. V, in Exod.;* Tertull. *de præscript.* c. 21; Basilius ad cap. 2 *in Isaiam;* Greg. Nazianzenus *orat.* 21; Chrysostomus *hom.* 2. *de pœnit. in Psalm.* 50; Cyrillus Alexandrinus l 2. *in Joan.* c. 12; Epiphanius *hær.* 59; Cyprianus *Epist.* 40. 57 et 71. Hieronymus *adv. Pelag.* c. 4; et S. Hilarius *in Matt.* c. 26.

Objectio. *E Patrum doctrina.* Non pauci fidei adversarii, præeunte Launoys (sæc. XVII), objiciunt multa reperiri in Patrum scriptis testimonia, in quibus verba : *Et super hanc petram* etc., explicantur vel de *Christo*, vel *de fide in Christi divinitatem*, vel quod in idem fere recidit, *de professione solemni a Petro edita;* et inde inferunt propter hanc interpretationum varietatem certe nihil ex Christi verbis, vel saltem non tam splendidas primatus prærogativas erui posse, siquidem nec Patres de illorum sensu conspirent.

Ad hanc objectionem respondemus : 1° interpretationem quæ hæc verba refert ad Petrum, etiamsi solum audiamus Patres scriptoresque Ecclesiæ, esse omnino *authenticam* et omnino *præferendam;* et 2° reliquis interpretationibus hanc non excludi, eas vero amice conspirare seque mutuo complere. — Est magis *authentica;* reliquas enim interpretationes excedit *antiquitate*, quia sola occurrit apud Patres sæculi III; — excedit etiam *universalitate* et *perennitate*, nam sæc. III, uti diximus, communis fuit, et quamvis sæculis IV et V aliæ occurrant commentationes, nostra tamen nunquam fuit exclusa, sed semper a Patribus summæ auctoritatis adhibita, et postea rursus ita invaluit, ut recentiori ætate vix sit exegeta catholicus, qui aliam defendat interpretationem, litteralem et ad hermeneuticæ regulas expressam; — excedit tandem et *usu*, siquidem recepta fuit

nostra interpretatio, non solum in scripta Patrum *dogmatica*, sed et in *formulas fidei*, in *documenta maxime solemnia et authentica*, in *libros liturgicos*. Quare traditionis inspecto suffragio, præferenda est nostra interpretatio. — Insuper, uti notavimus, reliquæ interpretationes hanc nostram non excludunt, sed amice conspirant cum ea, adeo ut iidem Patres nunc hoc utantur sensu, nunc altero; imo quandoque duos conjungant eodem in contextu. Et sane eatenus tantum Petrus petra esse potest Ecclesiæ, quatenus hanc prærogativam ei largitur Christus, qui est princeps petra. Eo ipso ergo quod Christus Petrum constituit Ecclesiæ petram, se ipsum significavit esse Ecclesiæ petram principem. Inde merito Auctor *hom. de pœnitentia* S. Basilio adscriptæ, dicit: « Christus revera petra inconcussa est, » Petrus vero propter Petram (Christum). » — Dein cum Petrus non sit Ecclesiæ fundamentum secundum corpus, seu secundum carnem et ossa, sed ratione fidei, nimirum tum propter insignem fidei professionem (causa *meritoria*), tum quatenus fide instructus firma et indefectibili, fidem quoque in Ecclesia universali docere, tuerique pro munere debet (causa *formalis*), haud incongrue super fidem Petri Ecclesia poterit dici ædificata. Hinc sicut dum Hieronymus *c. Jovinianum* dicit, super aquas Petri corpus non ambulasse sed fidem, non negat Petrum vere aquis inambulasse, sed tantum significat, virtuti fidei miraculum tribuendum esse : ita quoque Patres, dum Ecclesiam super Petri fidem vel confessionem fundatam prædicant, super Petrum fundatam non negant. Ad rem Basilius L. 2. *c. Eunomium* n. 4 : « Illico per hanc vocem Petrum intelligimus Jonæ filium... qui » quoniam fide præstabat, Ecclesiæ ædificationem in se recepit. » Falsum proinde est patres inter se dissentire, nihilque propterea certi ex illis posse erui. Non enim dissentire dici possunt, qui non semper *plenum* et *adæquatum* commentarium alicujus textus exhibent, sed pro rerum adjunctis et scopo *partiali* utuntur.

§ II.

Jurisdictionis primatus in universam Ecclesiam Petro quoque promittitur verbis Christi apud *Matth.* XVI, 19.

Verba *Matth.* XVI, 19 sunt : *Et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Duo rursus nobis sunt probanda : 1° hæc verba ad unum Simonem Petrum dirigi; et 2° ea jurisdictionis primatum in universam Ecclesiam continere.

I. Hæc verba ad unum Simonem Petrum dirigi luculenter liquet; quia nempe sunt continuatio sermonis v. 17, qui indubitanter ad unum Petrum directus est; nihil enim habetur quod indicet aliam dari sermoni directionem. — Contenderunt tamen Richerius, Febronius, necnon quidam doctores Parisienses, qui sæc. XV ad schisma occidentale facilius extinguendum, supremam potestatem spiritualem ipsi Ecclesiæ, uti objecto proprio, tribuerunt, hæc Christi verba de Ecclesia universim esse intelligenda, aut saltem de apostolis. — Verum, quam absurde id contendant, apertum est. Etenim promissionis Christi subjectum est *tibi*, quod certe ad unum Petrum spectat; et si Christus de Ecclesia aut de Apostolis voluisset loqui, debuisset sane dicere *Ecclesiæ*, aut *ei*, aut *vobis*. — Nec opponi potest Petrum hic personam gerere aut Apostolorum, aut Ecclesiæ; nam supra jam ostendimus id falso supponi ab adversariis. — Ergo certo et indubie constat hæc verba Christi ad unum Petrum esse directa.

II. Quod nunc ad sensum horum verborum attinet, liquet ea jurisdictionis primatum continere in universam Ecclesiam. Formula enim *dare claves*, symbolice adhibita, ex usu loquendo profano et sacro *auctoritatis* collationem involvit : hinc victoribus traduntur claves urbis captæ, in subjectionis signum; et si

paterfamilias famulo solemniter traderet domus claves, nemo dubitaret eum constitui rei domesticæ dispensatorem, quod illustratur *Is.* XXII, 22; *Ap.* III, 7. Ubi autem agitur de *claribus regni cujusdam*, liquet hanc formulam intelligendam esse de potestate regno propria, scilicet de potestate legislativa, judiciaria et coercitiva. — Verum quid significat *regnum cœlorum?* Est idem ac *regnum Dei*, qui nempe in cœlis habitat; ergo vox *cœlorum* ponitur pro *Dei*, tamquam locus habitationis pro habitatore. Regnum autem cœlorum, seu regnum Dei dicitur in Scriptura tum de *cœlo*, tum de *Ecclesia Dei super terram*, uti omnes concedunt; præsenti verum in loco dicitur de Ecclesia; nam agitur, uti e sequentibus verbis patet, de regno cœlorum in quo adhuc potestas ligandi et solvendi exercetur, quod cœlo convenire non potest. Quod hic debet intelligi tota Ecclesia, et non tantum pars ejus, liquet ex eo quod locutio *regnum* cœlorum ponitur absolute seu sine restrictione, et proinde debet sumi in tota sua extensione, seu uti complectens omnino omnes dominici regni cives.

Ergo per hæc verba : *et dabo tibi claves regni cœlorum*, promisit Christus uni Simoni Petro societatis perfectæ potestatem super omnes omnino fideles; ergo etiam super ipsos apostolos.

Hunc sensum metaphoræ clavium declarant etiam sequentia : *Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Verba *solvere* et *ligare*, uti supra demonstravimus, exprimunt supremam societatis perfectæ potestatem, scilicet potestatem legislativam, judiciariam et coërcitivam. — Dein verba *quodcumque ligaveris, quodcumque solveris* exprimunt objectum potestatis Petri id omne esse quod ad finem Ecclesiæ spectat, iis solis exceptis quæ excipiuntur aut jure naturæ aut jure divino; siquidem vox *quodcumque* sit universalissima; — verba « *in terra* » exprimunt quam late

quoad locum et personas se extendat Petri potestas; se extendit autem ad totam terram, seu ad omnes, quotquot dantur fideles in orbe, admistrandos et regendos, et ad omnes infideles convertendos (terra hic ponitur tum pro loco, tum etiam pro habitatoribus ejus); — et verba « *et in cœlo ligatum et solutum erit* » exprimunt potestatem Petri esse supremam, nam negant dari potestatem inter Deum et Petrum mediam; quod locum obtineret, si potestas Petri non esset suprema.

Ergo per hæc verba : *et quodcumque ligaveris* etc. promittitur uni Petro potestas suprema super omnes fideles administrandos, ergo et super ipsos apostolos, et super infideles convertendos, circa omnem materiam quæ ad Ecclesiæ finem spectat, iis solis rebus exceptis, quæ jus naturæ aut jus divinum excipiunt; quæ potestas est jurisdictionis primatus.

Per hanc ultimam phrasim : *Et quodcumque solveris et ligaveris*.... voluit ipse Jesus sensum præcedentium metaphorarum : *petræ fundamenti Ecclesiæ*, et *clavium regni cœlorum*, elucidare.

Objectiones. 1° Difficultas movetur contra Petri primatum ex collatione textus *Matth.* XVIII, 18 : quæ enim Christus *Matth.* XVI, 19 uni Petro promittit, mox ibidem omnibus pollicetur Christus Apostolis dicens : *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Nihil ergo, quod uni Petro proprium est, prioribus verbis *Matt.* XVI, 19 enuntiari videtur; ac proinde primatus, auctoritatem etiam super Apostolos secum ferens, B^to^ Petro esse promissus, saltem vi verborum *Matt.* XVI, 19 dici nequit.

R. Hæc objectio valeret, si eadem illa potestas, quam soli Petro contendimus promissam, fuisset etiam a Christo promissa aut singulis cæteris Apostolis, aut Apostolorum collegio, Petro excluso; nam tunc non maneret Petrus in possessione primatus, cum sibi quoad potestatem similes haberet, in quos nullum

posset exercere jus. — Pari modo objectio valeret, si suprema potestas fuisset promissa cœtui Apostolorum etiam Petrum comprehendenti, sed cum hoc addito, quod nempe singuli omnino parem haberent potestatem; nam ita expresse negaretur Petri primatus. — Verum nullius valoris est objectio, si suprema potestas promissa est Apostolorum cœtui, Petro in hoc cœtu comprehenso, et non addito, quod singuli parem omnino haberent potestatem. Jamvero tertia hæc hypothesis in textu *Matt.* XVIII, locum obtinet : constat enim supremam potestatem Apostolorum cœtui, Petro comprehenso, fuisse promissam, ex *Marc.* IX, 33 declarante sermonem illum Jesu, qui refertur apud *Matt.* XVIII, habitum esse ad *duodecim apostolos;* et in textu *Matt.* XVIII nullatenus significatur omnes Apostolos parem obtenturos esse potestatem; ergo.

Dixi in tertia hypothesi objectionem non valere. Quum enim concorditer interpretanda sint verba Jesu-Christi, et sententiæ minus definitæ e sententiis clarioribus sint explicandæ, liquet dicendum esse, quod suprema potestas, Apostolorum cœtui promissa, emanatura est e primatu Petro antea jam promisso expressis verbis. Textus nempe *Matt.* XVIII unice declarat supremam potestatem competituram esse Apostolorum cœtui, et colligendum relinquit ex antecedentibus textibus hanc supremam potestatem non proventuram ex pari singulorum Apostolorum potestate, sed ex Petri primatu.

Obj. 2° Ad evertendam nostram demonstrationem provocant etiam adversarii ad Patrum doctrinam. Multi, aiunt, Patres docent verba Christi : *Tibi dabo claves regni cœlorum* etc. non pertinere ad Petrum, sed ad Ecclesiam, cujus Petrus personam gessit.

R. Duplex potest distingui potestatis subjectum, subjectum nempe *utilitatis* et subjectum *inhæsionis*. Jamvero contenderunt Patres Ecclesiam universam esse subjectum, in cujus utilitatem concessa fuit clavium potestas, non autem eam esse

subjectum quod revera potestatem hanc possidet, seu cui hæc potestas inhæret. Ita S. Aug. in ultimo tractatu *in S. Joan.* n. 5° dicit : « Ecclesiæ Petrus Apostolus *propter apostolatus sui pri-* » *matum* gerebat figurata generalitate personam; » et Eulogius Alex. *Lib. II adv. Novatianos* dicit : « In persona *Coryphæi* et » ceteris Apostolis talis potestas (clavium) data est. » Quibus in textibus clare apparet ipsos sentire primatum concessum esse et convenire uni personæ Petri uti subjecto inhæsionis, sed institutum esse in utilitatem Ecclesiæ et Apostolorum. — Ubi ergo Petrus accepit clavium potestatem, Ecclesiæ personam gessit, sed non ex delegatione ejus, verum tamquam primas ejus, ex voluntate Christi constitutus; accepit nempe claves non in bonum suum proprium, sed in bonum Apostolorum et Ecclesiæ.

Obj. 3° Quidam, nostram demonstrationem ut everterent, confugerunt ad parallelismum, quem haberi sibi fingunt, inter verba Christi *Matth.* XVI, 19 et *Joan.* XX, 23. Potestas, aiunt, clavium, seu potestas ligandi et solvendi est eadem ac potestas remittendi et retinendi peccata, quæ collata refertur apud *Joan.* XX; et inde concludunt in textu *Matth.* XVI, 19 non promitti Petro supremam in Ecclesia potestatem legislativam, judiciariam, coercitivam et supremam potestatem docendi, sed unice potestatem condonandi et retinendi peccata.

R. Negamus dari parallelismum iter textum *Matt.* XVI, 19, et textum *Joan.* XX, 23; nam non existit aut in verbis, aut in usu loquendi. Quod non existit in verbis, id patet; quod etiam non existit in usu loquendi, demonstratur : 1° ex eo quod formula *ligare* et *solvere quodcumque* latius patet quam formula : *remittere et retinere peccata;* 2° ex eo quod nullibi in Scriptura fit mentio remissionis peccatorum, nisi apposito vocabulo *peccatum*, vel alio æquivalente; et præterea ubique verbum *remitto*, αφιημι adhibetur, quo Christus utitur apud *Joan.* XX, 23, tribus tantum locis exceptis, in quibus verbum *solvo* λυω usurpatur, conjunctim tamen cum vocabulo *peccatum.*

§ III.

PROMISSUM JURISDICTIONIS PRIMATUM IN UNIVERSAM ECCLESIAM CHRISTUS PETRO CONTULIT VERBIS A *S. Joanne* RELATIS XXI, 15-18.

Hæc narrat *S. Joannes* XXI, 15-18 : « *Cum ergo prandissent* (Apostoli recensiti v. 2) *dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei : Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. Dicit ei iterum : Simon Joannis diligis me? Ait illi : Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. Dicit ei tertio : Simon Joannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dicit ei tertio, amas me? Et dixit ei : Domine tu omnia nosti : tu scis quia amo te. Dixit ei : Pasce oves meas.*

Ad nostram autem demonstrationem duo sunt probanda 1° verba : « *pasce agnos meos, pasce oves meas* » ad solum Petrum dirigi, et 2° ea jurisdictionis primatum in universam Ecclesiam continere.

I. Hæc verba ad unum Simonem Petrum sensu litterali et immediato pertinere per se patet. Christus enim Petrum alloquitur *a)* eum proprio nomine, quo nempe a singulis distinguebatur, compellando; *b)* ipsam ejusdem personam, addito carnalis patris nomine *(Simon Joannis)* indigitando; et denique *c)* expresse eum a cæteris omnibus separando *(diligis me plus his)*.

II. Iis verbis primatum jurisdictionis continetur in universam Ecclesiam. Etenim verbum « *pascere* » ποιμαινειν, βοσκειν, cum objectum ejus sunt homines, significat *regere cum auctoritate, cum imperio, cum jurisdictione*. Ita Homerus (Iliad. I, 63, 263) aliique auctores profani, reges vocant *pastores* ποιμενα λαων; apud *Isaiam* XLIV, 28 Deus Cyrum vocat *pastorem;* et II Reg. V, 2 (et alibi sæpe) illi qui cum potestate præsunt, dicuntur *pascere* populum. Ergo Jesus dicendo : « *pasce oves meas*,

agnos meos » confert potestatem jurisdictionis in oves et agnos suos, qui sunt fideles.

Verum quid complectitur expressio : *agni mei, oves meæ;* utrum partem fidelium tantum, an vero universos et singulos, quotquot sunt, fideles? Liquet hic significari universos et singulos fideles, ne Apostolis quidem exceptis. Committuntur Petro agni et oves Christi *(agni mei et oves meæ);* jamvero nonne omnes et singuli fideles, etiam Apostoli, sunt de ovili Christi? Quicumque enim Ecclesiæ Christi est membrum, sive Episcopus sit sive non, is certe a Christo pascitur; sed Christus, quoscumque pascit ipse, pascendos commisit Petro; ergo omnis fidelis sive Episcopus sive non, regimini Petri e Christi voluntate submittitur. — Præterea universalem Ecclesiam Petri regimini submitti, etiam exinde luculenter liquet, quod Christus ovile suum, quod Petri curæ commisit, distinxit in agnos et oves; et tam oves quam agnos a Petro pascendos dixit; jamvero per oves, quæ agnorum sunt matres, designare non potuit nisi Apostolos et Episcopos eorum successores, et per agnos, fideles qui a præpositis Episcopis gubernantur; ergo liquet et meros fideles et fidelium pastores Episcopos, e Christi voluntate Petri jurisdictioni submitti.

Pulchre hanc demonstrationem dedit S. Bernardus *De Consider. Lib.* II, c. 8 : « Tu es cui claves traditæ, cui oves » creditæ sunt.... Nec modo ovium sed et pastorum tu es unus » omnium pastor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini : » pasce agnos meos, pasce oves meas quas? Illius vel illius » populos civitatis aut regionis, aut certe regni? Oves *meas,* » inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed designasse » omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. »

Scholion I. Allata demonstratio primatus Petri ex *Matt.* XVI et *Joanne* XXI, confirmatur ex *modo* quo Evangelistæ de Petro loquuntur, et ex *specialibus formulis* quas, de Petro loquentes, adhibent; exinde enim patet quod Petrum habuerint

tamquam primum et potiorem inter Apostolos, cæterisque dignitate præcellentem.

Ita *a)* quater recensetur catalogus Apostolorum *Matt.* X, 2-5 — *Marc.* III, 16-20 — *Luc.* VI, 14-16 — *Act. Ap.* I, 13. Jamvero etsi quoad alios Apostolos non idem semper ordo servetur, neque ab eodem scriptore; omnes tamen Evangelistæ primum locum semper concedunt Petro, ipsum a primitivo nomine appellantes, et mentionem simul facientes impositi a Christo nominis Petri, ideoque velut rationem afferentes, cur primus vocetur. Imo *Matth.* ait : « *primus Simon, qui dicitur Petrus* » etc. Jamvero apud *Matth.*, *primus* non potest dici ob ordinem numeralem, secus enim consonum fuisset ut Evangelista sequentem diceret *secundum*. Neque etiam a *Matth.* dictus est primus, aut ab aliis primo loco est nominatus, vel quia inter Apostolos prior fuerit vocatione, nam simul cum Andrea est vocatus *Matth.* IV, 18; vel prior ætate, cum ex una parte nullo argumento probari possit Petrum fuisse cæteris ætate majorem, et ex altera parte constet Evangelistæ mentem non fuisse recensere Apostolos juxta ætatis ordinem; secus enim Joannem, inter cæteros juniorem, non posuisset *Mattheus* tertio loco. Ergo manet, ut Petrus primo loco numeretur, et vocetur Apostolorum *primus* ratione dignitatis et præcellentiæ.

b) Evangelistæ Petrum et Apostolos in medium adducentes, ita loquuntur : *Petrus et qui cum eo erant, Marc.* I, 36; *Luc.* VIII, 45; IX, 32; quæ est loquendi forma adhiberi solita, cum princeps aut dux simul cum inferioribus appellantur. Etiam Petro distincte nominato, ceteros ei sub communi appellatione adjungunt : *Marc.* I, 36 : *Simon, et qui cum illo erant; Act.* II, 14 : *Stans Petrus cum undecim;* 37 : *Dixerunt ad Petrum et ad reliquos Apostolos;* V, 29 : *Respondens Petrus et Apostoli dixerunt :* quæ loquendi forma eum, qui nominatim appellatur præstantiorem exhibet cæteris. Ista igitur duplex ratio repræsentandi Petrum in comparatione cum aliis Apostolis,

arguit præstantiam quamdam Petri super alios Apostolos Evangelistis cognitam fuisse.

Scholion II. Demonstratio primatus Petri etiam confirmatur ex singulari Christi Domini œconomia in Petrum, quæ talis fuit, ut plene cum electione ejus ad primatum concordet.

Etenim *a)* antequam Jesus primatum Petro expresse promisit, et dein contulit, jam obscure specialem ad dignitatem Petrum evehendum fore præsignaverat, promittendo ei nomen *Petri*, ubi prima vice ad se accessit *(Joan.* I, 42), et dein hoc nomen ei imponendo *(Marc.* III, 16).

b) Ut narratur *Matth.* XVII, 23, Christus in solvendo tributo, Petrum sibi conjunxit; et tanta visa est reliquis Apostolis hæc prærogativa, ut suspicati sint Petrum sibi esse præficiendum; nam controversia orta est, quis eorum videretur esse major. Christus autem in compescenda hac controversia, non solum non negavit aliquem ex ipsis eorumdem fore præpositum, verum id quantum satis est significavit; atque unice fastum ab eodem voluit exclusum. Dixit nempe *Luc.* XXII, 26 : « Qui major est in vobis, fiat sicut minor, et qui præcessor est, sicut ministrator. » Quibus verbis clare insinuatur aliquem fore inter Apostolos præpositum, et unice vana gloria et pompa excluditur.

c) Jesus semper Petrum secum habuit, quando eximium aliquid operatus est, ut in transfiguratione, in resuscitatione filiæ Jairi, in hortu Olivarum ante passionem, etc ....

Jamvero liquet omnia hæc facta plene ostendere, quod modus agendi Jesu cum Petro optime congruit cum Petri evectione ad primam Ecclesiæ dignitatem.

§ IV.

AGENDI RATIO PETRI POST DOMINI IN CŒLUM ASCENSIONEM, QUANTUM SATIS EST OSTENDIT, HAUD ALITER IPSUM SE GESSISSE AC ILLUM SEMET GERERE OPORTUIT, QUI PRIMATUM ECCLESIÆ SUSCEPIT.

—

I. Prænotandum. Immerito postulant Protestantes, ut ex historia nascentis Ecclesiæ, Petri comprobetur primatus. Etiamsi enim nihil prorsus de hujus prærogativæ legeretur exercitio, sufficerent tot splendidissima Christi effata, quibus Petrum primatu fuisse auctum ostendimus. Neque etiam defectus exercitii alicujus juris argumentum est aliquem eo carere.

II. Demonstratio. Percurrendo librum *Actuum Apostolorum*, videmus facta non deesse, quæ sin minus seorsim, conjunctim saltem spectata, evincunt Petrum jurisdictionis primatum in Ecclesiam exercuisse, et quorum sufficiens ratio reddi nequit, nisi primatus ejus supponatur.

Hujusmodi facta sunt sequentia : 1° Petrus collegio Apostolorum proponit substitutionem alterius loco Judæ traditoris; et primum communem actum Apostolorum, electionem scilicet Matthiæ, ipse ordinat et moderatur *(Act. Ap.* I, 15). 2° Accepto Spiritu S^to^, Petrus stans cum undecim primus evangelizat Judæos, unusque loquitur tacentibus aliis, collegiique apostolici famam tuetur *(Act. Ap.* II, 14). 3° Cum Petrus et Joannes interrogarentur in concilio principum et seniorum, Petrus unus loquitur, omniumque Apostolorum ministerium defendit *(Act. Ap.* IV, 8). 4° Petrus primus januam Ecclesiæ aperit gentilibus, et missionem pro illis a Christo acceptam primus exercet *(Act. Ap.* X, 1 et seqq.) 5° Petrus in concilio Hierosolymitano primus sententiam dixit, et quidem quæstionem agitatam definivit; ipso enim locuto, tacuit omnis multitudo, i. e. nemo ibi fuit qui Petro non assentiretur, aut ulterius contrarium defenderet. Quæ dein a Paulo, Barnaba et Jacobo dicta sunt, ad confirmandam Petri definitionem sunt prolata *(Act. Ap.* XV, 7 et seqq.). 6° Petrus visitavit universas Ecclesias, uti constat ex *Act. Ap.* IX, 32 : « Factum est, ut Petrus, *dum pertransiret universos;* » in quem textum scribit S. Chrysostomus : « Veluti dux quidam exercitus, agmina lustrans *pertransire universos*, significat : singulos greges hic et illic dispersos invisere. »

Indubie autem functiones hic recensitæ, saltem si conjunctim considerentur, manifestant Petrum exercuisse jurisdictionis munus, quo cæteri Apostoli functi non sunt; ac proinde haud aliter se gessisse, ac se gessisse oportuit, qui auctore Christo omnes regendos suscepit; seu primatus jurisdictionem vere exercuisse.

Huc etiam spectat, quod Petrus præ cæteris Apostolis in pretio a fidelibus habebatur, uti narratur *Act.* Ap. V, 14 : « *ita ut in* » *plateas ejicerent infirmos et ponerent in lectulis ac grabatis,* » *ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quem-* » *piam eorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis;* » et quod pro Petro comprehenso oratio facta est ab Ecclesia, quod quidem factum non memoratur pro Jacobo comprehenso et morti tradito (*Act. Ap.* XII, 2, 5); quod S. Lucas in *Act. Ap.* per duodecim capita, in quibus agit de fundatione Ecclesiæ per Apostolos, unum Petrum præcipue considerat; ejus concionum et miraculorum (III, 4; V, 15) specialem narrationem instituit, eum primæ hæresis profligatorem exhibet (VIII, 19), ejusque judiciariæ potestatis specimen offert (V, 3-10). — Hæc enim omnia indubie ostendunt Petrum excellentia et primatu quodam inter cæteros resplenduisse Apostolos.

Nota. Demonstrato quod Petrus jurisdictionis primatum vere exercuit, refutantur jam, quicumque ex defectu hujus exercitii concludunt, quamvis erronee, ad institutionis primatus negationem. At insuper hic habetur argumentum positivum instituti primatus a Christo; etenim exercitium jurisdictionis primatus supponit veram potestatem, quæ sua vice supponit certam originem. Jamvero attento charactere Petri et Apostolorum, qui Christi instituta exactissime servabant, et potius mortem maluerunt subire, quam a Christi institutis deflectere, evidens est hanc potestatem non fuisse usurpatam injuste. Dein, cum Scriptura nullibi innuat hunc primatum a cœtu Apostolorum Petro fuisse delegatum, supponi non potest cum seria probabilitate,

quod primatus ab Apostolis Petro fuerit delegatus. Verum Scriptura, uti ipsi adversarii admittunt, saltem innuit Primatum a Christo esse institutum.

§ V.

Præcipuæ objectiones contra jurisdictionis primatus in Petro institutionem.

—

Obj. 1° S. Paulus I *Cor.* XII, 28, et *Eph.* IV, 11 recenset ministros divinitus institutos, nulla tamen facta primatus mentione; jamvero si Petrus primatum accepisset, non potuisset Paulus id tacere, cum primatus sit munus omnium supremum.

R. Hæc objectio valeret, si constaret Paulum voluisse recensere gradus *hierarchicos*, et quidem *omnes;* atvero neutrum constat : non constat primum, nam probabilius est eum voluisse recensere *charismata* varia, quæ in fidelium utilitatem Deus concessit; hinc I *Cor.* XII, 28 recenset etiam *virtutes, gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum;* neque alterum constat, quia omittit *presbyteros* et *diaconos.* — Quis posset instare dicendo, Paulum unice gradus recensere hierarchiæ jurisdictionis, et proinde non potuisse sermonem facere de presbyteris et de diaconis; sed falsa esset hæc assertio; nam munus *evangelistæ* et *prophetæ,* aut *charismata,* quæ Paulus recenset, certe ad jurisdictionis hierarchiam non pertinent.

Obj. 2° S. Paulus *Gal.* II, 11, de se narrat : « *Cum autem* » *venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia* » *reprehensibilis erat.* » Ergo Paulus non agnovit Petri primatum. Ita Protestantes post Gnosticos, Marcionitas, Porphyrium et Julianum Apostatam.

R. Objectio valeret, si reprehensio Pauli non fuerit correptio charitatis, sed jurisdictionis, et hæc correptio habeatur ut justa;

verum hæc correptio non fuit jurisdictionis, siquidem etiam adversariorum nemo admittat Paulum Petro fuisse *superiorem*, cum dicant Apostolos omnes parem habuisse potestatem. — Pariter objectio valeret, si insurrexisset Paulus contra legem aut fidei definitionem plenitudine potestatis a Petro editas; simul et iste actus fuisset justus; nam tunc Pauli reprehensio esset expressa Petri primatus negatio. Atvero hæc reprehensio Pauli talis non fuit; non enim agebatur de lege a Petro statuta aut de fidei definitione, sed de actione personali Petri, de modo nempe quo ipse se gerebat, et qui videbatur esse contra prudentiam; sed certo hac in re, ille qui primatum tenet, potest a recta deficere via, et proinde fraterne ab inferiori corripi; ergo ex Pauli reprehensionis materia non liquet eum primatum non agnovisse in Petro.

Cum ergo hæc reprehensio neque ex parte *modi*, quo facta est, neque ex parte *materiæ* circa quam versabatur, primatui Petri non repugnet, concludimus allatam objectionem nullius esse valoris.

Obj. 3° Petrus, uti narratur *Act. Ap.* VIII, 14, per Apostolos missus est in Samariam; quæ missio supponit in Petro inferioritatem respectu cœtus Apostolorum.

R. Nihil probat Petrum et Joannem ab Apostolis missos esse missione potestatis. Cum autem multiplex possit esse missio, ea profecta intelligenda est, quæ cum dignitate jam cognita personæ concilietur. Missi ergo sunt vel missione profecta ex communi consilio cui ipse Petrus suffragatus est, vel ex quadam missione, ut aiunt, œconomica, profecta ex postulatione; qua certe etiam superior ab inferiore mitti potest.

Obj. 4° Judæi conversi ad fidem, disceptarunt contra Petrum, ex eo quod gentiles, eosque adhuc incircumcisos in Ecclesiam admisisset; quæ disceptatio, aiunt, cum agnitione primatus componi non potest.

R. Querelæ motæ non sunt ab Apostolis, sed a fidelibus, non

ex norma fidei judicantibus, sed ex præjudiciis legis antiquæ male intellectæ, et pravis nonnihil affectionibus. Nimis enim in circumcisione et lege gloriabantur Judæi, gentesque ab iis extorres spernebant. Petrus autem non ex obligatione, sed ex charitate propria Pastoris, dedocet fratres falsam opinionem. Ita scilicet se gessit ut Christus præscripserat *Luc.* XXII, 26; et ita Pastoribus exemplum reliquit, quomodo se cum fidelibus gerere debeant.

Obj. 5° Paulus se exæquat Petro *Gal.* II, 7 dicendo, creditum esse ipsi Evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis; qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et ipsi inter gentes. Ergo, aiunt adversarii, affirmat se eamdem habere potestatem ad convertendos populos gentiles, ac Petrus ad convertendos Judæos.

R. Objectio valeret, si Paulus sermonem hic faceret de divisione auctoritatis jurisdictionis; nam tunc negaretur Petri primatus. Verum nihil adest in contextu, quod istud innuat; e contra oppositum constat ex facto, cum Petrus primus admiserit gentiles in Ecclesiam, et Paulus constanter prius prædicaverit Judæis in synagogis, antequam se converteret ad gentes. — Unice hic agitur de speciali electione Petri ad convertendos Judæos, et Pauli ad convertendos gentiles, uti patet ex analogia Scripturarum; et proinde nihil ex hoc facto erui potest quod pugnet cum primatu, cum hic de jurisdictionis primatu sermo non fiat.

Conclusio Articuli Primi

I. E S. Scripturæ testimoniis, uti ab Ecclesia catholica semper intellecta sunt, liquet B. Petrum a Christo Domino constitutum esse Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiæ militantis visibile caput, et eumdem non honoris tantum sed veræ propriæque jurisdictionis primatum ab eodem D. N. J. C. accepisse.

II. Aperte revelationi opponuntur eorum sententiæ, qui con-

stitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes, negant solum Petrum præ cæteris Apostolis, sive seorsim singulis, sive omnibus simul, vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum.

III. Aperte revelationi quoque opponitur sententia, quæ affirmat primatum non immediate directeque beato Petro, sed Ecclesiæ, et per hanc illi ut Ecclesiæ ipsius ministro delatum fuisse. Non enim Ecclesiæ, sed soli Petro locutus est Jesus primatum instituens, et Petrus primatum accipiens non gessit, uti delegatus, personam Ecclesiæ, cum id nullatenus demonstrare possit, et aperte contrarium evincatur, sed personam suam propriam.

Hæc tria puncta fuerunt definita in Vaticana synodo; constitut. Dogm. prima de Ecclesia Christi : *Pastor æternus*, cap. I.

ARTICULUS II

De Perpetuitate Primatus

PRIMATUS, PETRO COLLATUS, EX CHRISTI INSTITUTIONE DEBET IN ECCLESIA IN PERPETUUM PERDURARE.

Demonstratio. 1° *Ex ipsa rei natura.* Non omnia sane quæ in Ecclesia sub initio ejus fuerunt, debent in ea perpetuo perdurare. Ita charismata varia, Apostolis et etiam fidelibus collata, erant dona personalia, et aliis non immediate transmittenda. Verum facile distinguimus ex ipsa earum natura, inter facultates *personales*, et facultates *perpetuo durantes* et *transmittendas*. Illæ nempe sunt perpetuæ, quæ ad ipsam Ecclesiæ essentialem constitutionem spectant; et e contra istæ sunt temporaneæ, quæ respectum tantum habent ad primos fideles in Ecclesiam congregandos, seu ad primam fidei prædicationem.

Jamvero nemini non liquet potestatem primatus Petro collatam ad ipsam essentialem constitutionem Ecclesiæ pertinere; nam quid magis ad eam pertinet quam determinatio supremæ ejus potestatis, seu ejus capitis? Nec immediatum respectum habet hæc Petri potestas ad Ecclesiam nascentem; nam in initio potestas pontificia parum se manifestavit, dum e contra, eo magis resplenduit et necessaria apparuit, quo magis postea Ecclesia se extendit.

2° Perpetuitas primatus fluit quoque *e verbis Christi Matt.* XVI, 18. Constituitur nempe Petrus petra et firmamentum Ecclesiæ; atqui petræ et fundamenti munus tamdiu durare debet, quamdiu ipsa Ecclesia; scilicet ad consummationem sæculi. In perpetuum ergo manet Petrus fundamentum et petra, consequenter primas Ecclesiæ, non quidem in persona propria, sed in successoribus suis.

3° Hæc veritas confirmatur practico antiquitatis suffragio, quæ semper romanos Pontifices habuit pro *legitimis Petri successoribus;* necnon ex solemni illa Patrum doctrina, qua dicunt Petrum in successoribus suis in accepta fortitudine Petræ perseverare, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquisse et etiamnum Ecclesiam docere, regere et confirmare. Perpetuitas primatus est *de fide.* Definitum nempe est a Syn. Vatic. Const. *Pastor æternus,* cap. II : « Si quis dixerit non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam, habeat perpetuos successores, A. S. »

ARTICULUS III

De vi et ratione Primatus, seu de Primatus proprietatibus

Quid generatim de primatus proprietatibus tenendum sit, statuit concilium *Florentinum in decreto unionis*, hisce verbis : « Diffinimus, sanctam Apostolicam sedem et Romanum Pontifi- » cem *in universum orbem* tenere primatum, et ipsum Pontifi-

» cem romanum successorem esse B. Petri principis Apostolorum » et verum Christi vicarium, *totiusque Ecclesiæ caput et* » *omnium Christianorum patrem et doctorem* existere, et » ipsi in B. Petro *regendi, pascendi ac gubernandi universa-* » *lem Ecclesiam* D. N. J. C. *plenam potestatem* traditam esse, » quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum conciliorum et » in sacris canonibus continetur. » — Hæc innovavit et fusius evolvit concilium Vaticanum, explicationemque hoc modo dedit : « Si quis itaque dixerit, romanum Pontificem habere tantum- » modo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam » et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam » non solum in rebus quæ ad fidem et ad mores pertinent, sed » etiam in iis, quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per » totum orbem pertinent, aut eum habere tantum potiores par- » tes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis, » aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam » sive in omnes ac singulas Ecclesias, sive in omnes et singulos » pastores et fideles, Anathema sit. » *Pastor æternus* cap. III; et cap. IV idem concilium addidit definitionem : supremum Pontificem infallibilem esse, ubi e cathedra loquens definit fidem aut mores.

Hac ratione duobus istis in conciliis definitæ sunt proprietates primatus Petri et successorum ejus. Ut vero eas scientifice nunc exponamus, ad quædam ipsas revocabimus capita, totum rei ambitum complectentia, quæ sunt sequentia : *natura specifica* hujus potestatis primatus; *gradus* hujus potestatis; *objectum* hujus potestatis; *extensio* hujus potestatis quoad personas in quas exercetur; *modus* quo exercetur hæc potestas, utrum nempe immediate, an vero mediate, utrum ordinarie, an vero extraordinarie, et tandem an primatus *auctus sit infallibilitate in docendo.*

§ I.

PRIMATUS S. PONTIFICIS COMPLECTITUR NON TANTUM JUS INSPECTIONIS ET DIRECTIONIS, SED POTESTATEM JURISDICTIONIS, QUÆ VERE EPISCOPALIS EST.

—

Vaticana Synodus jurisdictionem primatus definiens, dixit eam esse *vere episcopalem* (Const. *Pastor æternus*, cap. III); qua voce certo exprimitur potestas, quæ non est meræ inspectionis aut directionis, sed potestas gubernandi per legis, judicia et pœnas. Talis enim potestas hoc nomine designatur apud omnes, tum catholicos, tum fidei hostes; quare Synodi Vaticanæ Patres, ut omne excluderent dubium de natura potestatis supremi Pontificatus, istud nomen in definitione sua adhibuerunt.

Talem autem esse Primatus jurisdictionem liquet e supra demonstratis. Ostensum est enim Petrum, Ecclesiæ primatem, constitutum esse a Christo, fundamentum seu petram, clavigerum et pastorem Ecclesiæ; cujusmodi munus in societate perfecta, qualis est Ecclesia, necessario supponit potestatem legislativam, judiciariam et coercitivum; ac dein Christum expressis et propriis verbis talem Petro contulisse potestatem, dicendo nempe : « *quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis.* »

§ II.

SUB RESPECTU MATERIÆ, JURISDICTIO PRIMATUS SE EXTENDIT NON TANTUM AD RES, QUÆ AD FIDEM ET MORES, SED ETIAM AD EAS, QUÆ AD DISCIPLINAM ET REGIMEN ECCLESIÆ PERTINENT.

—

Ita definita est in Conc. Vaticano extensio jurisdictionis primatus sub respectu materiæ. Dicimus igitur ad munus S. Ponti-

ficis pertinere : 1° auctoritative (ita ut fidelibus insit officium credendi) docere fidem et mores ; judicare de falsis hac in re doctrinis et renuentes se primatus decretis de fide aut de moribus submittere, pœnis coercere ; — 2° disciplinares ferre leges, secundum eas fideles judicare, et earum observantiam pœnis promovere ; — 3° conferre munera ecclesiastica, conferre jurisdictionem inferioribus eamque determinare.

Quod autem ad hæc omnia se extendit primatus jurisdictio, e supra demonstratis iterum eruitur. Ubi enim Christus Petro dixit : *quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis*, per verbum istud *quodcumque* extendit Petri potestatem ad omnem materiam spiritualem, iis per se solis exceptis quæ pertinent aut ad jus naturæ, aut ad jus divinum ; jamvero ad spiritualem pertinent materiam tum fidei et morum doctrina, tum positivæ leges in bonum fidelium condendæ, tum regimen Ecclesiæ. Præterea de potestate docendi datur et alius textus apertissimus ; *Luc.* XXII, 31 legitur : « *Simon, Simon, ecce Satanas* » *expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem* » *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua : et tu aliquando* » *conversus confirma fratres tuos.* » Hæc enim verba ad unum pertinere Simonem ex ipsa oraculi lectione manifestum est. Nec minus liquet Petro imponi officium docendi ; dicitur nempe : *confirma fratres tuos*, et quidem in fide, uti patet e verbis antecedentibus ; simulque additur ratio, cur istud munus Petro committitur : Christus nempe oravit pro Petro, ut non deficeret fides ejus.

§ III.

SUB RESPECTU SUBDITORUM, JURISDICTIO PRIMATUS SE EXTENDIT AD UNIVERSAM ECCLESIAM, AD OMNES ET SINGULAS ECCLESIAS, AD OMNES ET SINGULOS PASTORES ET FIDELES.

—

De extensione jurisdictionis primatus quoad subditos, hæc definivit Synodus Vaticana : « Cujuscumque ritus et dignitatis » pastores atque fideles, tam seorsim singuli, quam simul omnes » officio hierarchicæ subordinationis veræque obedientiæ ob- » stringuntur erga S. Pontificem. »

Qua in definitione sequentia continentur : 1° S. Pontificem potestatem habere super omnes pastores et omnes fideles simul sumptos, et proinde ejus leges et definitiones vim habere antequam accedat consensus Ecclesiæ; insuper Ecclesiam universam, omnes scilicet pastores et omnes fideles simul sumptos, nullam habere potestatem ut S. Pontificem judicent, leges ei imponant, eumve deponant, nec etiam similiter potestatem habere ut leges ejus et judicia invalident et evertant.

2° S. Pontificem potestatem habere super omnes pastores simul sumptos, et idcirco potestatem habere super concilium œcumenicum, ita ut ad ipsum solum pertineat, concilium œcumenicum convocare, de loco in locum transferre, et dissolvere.

3° S. Pontificem habere potestatem in *singulos* pastores, in *singulas* pastorum diœceses et etiam in *singulos* fideles singularum diœcesium, ita ut omnes et singuli fideles, sive pastores sint sive non, debeant S. Pontifici obedire, cujuscumque etiam ritus sint et dignitatis. Tantam autem esse primatus jurisdictionis extensionem quoad subditos, sequitur e verbis Christi supra citatis. Aliam delimitationem subditorum non dedit Christus quam hanc : « super te (Petrum) ædificabo *Ecclesiam meam*, dabo tibi *claves regni cœlorum*, quodcumque solveris *in terra*, pasce *agnos meos*, *pasce oves meas;* » unde illi omnes sunt primatus subditi, qui ad Ecclesiam Christi pertinent, qui ad regnum Christi pertinent, qui in terris christiano cultui sunt initiati, qui sunt agni et oves Christi. Jamvero nonne omnes et singuli fideles, sive pastores sint sive non, pertinent ad oves et agnos Christi, ad ecclesiam et regnum Christi, ad eos qui Christum colunt? Nonne igitur submissi sunt auctoritati et

potestati S. Pontificis? — Dein ex verbis Christi non minus patet omnes *simul sumptos*, sive pastores simul cum fidelibus, sive pastores solos, Petro submitti, ac id liquet de *singulis* fidelibus aut pastoribus. Etenim omnes fideles simul sumpti cum omnibus pastoribus efformant illam Ecclesiam Christi, illud regnum Christi, istos agnos et oves, quæ Petri jurisdictioni sunt submissa; et omnes pastores simul efformant partem istius Ecclesiæ, istius regni, istius ovilis, quæ Christus Petro commisit.

Ergo Primatus jurisdictioni submittuntur singuli fideles et pastores cujuscumque ritus sint et dignitatis, singulæ diœceses cum pastoribus suis, omnes pastores simul sumpti, omnes pastores cum omnibus fidelibus simul sumpti.

§ IV.

Sub respectu modi exercitii, jurisdictio primatus est ordinaria et immediata.

Ordinariam et *immediatam* esse primatus jurisdictionem definivit Synodus Vaticana. Dixit nempe eam esse *ordinariam*, contra eos qui contendebant S. Pontificem in casibus solum extraordinariis, cum e. g. Episcopus suum negligit munus, potestate in diœcesibus singulis frui; unde per vocem *ordinariam* intelligit Vaticanum potestatem S. Pontifici in Episcoporum diœcesibus, *semper, in omni tempore et circumstantia, ordinario competere.*

Dixit quoque Vaticana synodus potestatem Pontificiam esse *immediatam*, contra eos nempe, qui contendebant S. Pontificem in singulis Ecclesiæ diœcesibus potestatem valide exercere non posse per se aut per suos legatos, sed unice per Episcopos loci ordinarios, excepto casu negligentiæ Episcopi loci; et per vocem *immediatam* intelligit S. Pontificem posse semper valide potestatem legislativam, judiciariam et coercitivam exercere in

omnes et singulos fideles in quibusvis diœcesibus, sine interventu Episcopi, per se ipsum aut per suos legatos.

Quod autem potestas S. Pontificatus est *ordinaria*, facile demonstratur. Etenim S. Pontifex est *petra* Ecclesiæ et *pastor* ejus; jamvero petræ munus in ædificio, et pastoris munus in grege censeri non potest munus *extraordinarium*, sed *ordinarium* plane est, quamdiu ædificium consistere aut grex adunari debet. Ergo *semper* et *ordinario* debet S. Pontifex Ecclesiam sustentare et gubernare; *semper* et *ordinario* oves Christi pascere.

Immediatam esse S. Pontificis potestatem pariter facile demonstratur : etenim jam vidimus ipsos Episcopos submitti S. Pontifici, et quidem in omnibus causis ad Ecclesiam pertinentibus; jamvero si ipsi in omnibus S. Pontifici submittantur, impedire eum non possunt quominus valide sine eorum interventu agat in fideles; ergo potestas S. Pontificis est immediata.

Notandum est tamen primatum jura sua magis exserere, si instent necessitas et periculum, magisque tunc salutarem suam in omnem Ecclesiam vim splendescere. Etiam tunc præcipue, immediate in fideles, sine interventu ordinarii loci, potestatem suam exercet primatus, ubi loci ordinarius officio suo deest.

Notetur quoque hanc ordinariam et immediatam S. Pontificis potestatem non officere ordinariæ et immediatæ Episcoporum potestati. « Tantum abest, ait Synodus Vaticana, ut hæc summi » Pontificis potestas officiat ordinariæ et immediatæ illi Episco- » palis jurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spi- » ritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam » veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt » et regunt, ut eadem a supremo et universali pastore roboretur » ac vindicetur, secundum illud S. Gregorii Magni : Meus honor » est honor universalis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meo- » rum solidus vigor. Tum ergo vere honoratus sum, cum singu- » lis quibusque honor debitus non negatur. » — Et re quidem

vera, non magis nocet immediatæ et ordinariæ potestati Episcoporum immediata et ordinaria potestas Pontificis supremi, quam potestas Episcopi nocet potestati parochorum. Nihil enim impedit, quominus, ubi datur potestas superior, detur etiam in eosdem subditos ejusdem generis potestas inferior. Verum e contra potestas inferior confirmatur e robore potestatis superioris a qua dependet; nam quo fortior est radix, eo fortior quoque est ramus.

§ V.

SUB RESPECTU GRADUS, JURISDICTIO PRIMATUS EST PLENA ET SUPREMA.

Id expressis verbis definivit Synodus Vaticana. Per jurisdictionem *plenam* eam intelligimus, quæ ad omnes omnino ecclesiasticas functiones se extendit, tam ad majores nempe, quam ad minores et infimas. — Per jurisdictionem autem *supremam* eam intelligimus, qua superior nulla est in Ecclesia.

Jurisdictionem pontificiam esse plenam, patet maxime ex verbis : « *Tibi dabo claves regni cœlorum* », et « *pasce agnos* » *meos, pasce oves meas* », et « *quodcumque ligaveris super* » *terram erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris su-* » *per terram erit solutum et in cœlis.* » Si enim esset quædam functio, quam S. Pontifex exercere non posset, jam verum non amplius esset S. Pontificem omnia in Ecclesia posse solvere et ligare, eum indeterminate accepisse claves Ecclesiæ et munus pascendi oves Christi. Verbum enim *quodcumque* omnem excludit exceptionem; et expressio Christi Domini : « *dabo tibi claves regni* » *cœlorum, pasce agnos meos, pasce oves meas,* » cum a parte proferentis undequaque sit illimitata, illimitate quoque ab auditore vel lectore est intelligenda, et non nisi arbitrarie, limitate intelligi posset. Ergo S. Pontifex omnes potest ponere jurisdictionis actus, qui ad Ecclesiæ finem pertinent, seu potest ea omnia facere, quæ regimen Ecclesiæ expostulat. — Inde

liquet omnia jurisdictionis ecclesiasticæ munera in S. Pontificatu contineri, uti res minus perfecta in re magis perfecta, quemadmodum v. gr. presbyteratus, diaconatus et alii ordines inferiores continentur in Episcopali ordine.

Supremam esse S. Pontificatus potestatem, seu nullam dari in Ecclesia potestatem S. Pontificatui superiorem, ita demonstramus. Illa sane potestas vocanda est suprema, quæ exercetur in omnia et singula societatis membra, quæ sese ad omnino omnes extendit causas, et quæ totum regimen societatis complectitur. Jamvero talis naturæ est potestas pontificatus; ipsa enim sese extendit in omnia et singula Ecclesiæ membra, in omnino omnes causas, et complectitur totum regimen, uti jam ostendimus. Ergo potestas S. Pontificatus est *potestas suprema*.

S. Pontificatus jurisdictionem essè *plenam* et *supremam* expresse definitum fuit a Vaticana synodo dicente : « Si quis » dixerit, S. Pontificem habere tantummodo officium inspectio- » nis vel directionis, non autem *plenam* et *supremam* potesta- » tem jurisdictionis in universam Ecclesiam.... »

Ex eo autem quod potestas S. Pontificis est suprema, sequitur in primis, omnes fideles ad ejus judicium *appellare* posse, ejus autem judicium a nemine posse retractari. Quod proposuit Synodus Vaticana dicens : « Quoniam divino apostolici primatus » jure Romanus Pontifex universæ Ecclesiæ præest, docemus » etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium, et » in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad » ipsius posse judicium recurri; Sedis vero apostolicæ, cujus » auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractan- » dum, neque cuipiam de ejus licere judicare judicio. Quare a » recto tramite veritatis aberrant, qui affirmant licere a judiciis » romanorum Pontificum ad œcumenicum concilium tamquam » ad auctoritatem romano Pontifice superiorem appellare. » De hac S. Pontificis superioritate super œcumenicum concilium agemus ex professo, ubi de conciliis œcumenicis dicemus.

Ex ista suprema potestate sequitur secundo, nullum actum in Ecclesia a jurisdictionem habente positum valere, si voluntas dirimens S. Pontificis obstet.

Tertio sequitur ad S. Pontificem pertinere munus eligendi et instituendi Episcopos, et, si permittat id ab aliis fieri, determinandi formam hac in re adhibendam, et assumptum ab aliis Episcopum confirmandi; sequitur quoque ad ipsum pertinere munus assignandi limites diœcesium, restringendi Episcoporum potestatem per casus sibi reservatos, et eorum jurisdictionem suspendendi, necnon eos deponendi.

Quarto sequitur ad S. Pontificem munus pertinere convocandi concilia œcumenica, et cogendi Episcopos ut ad illa accedant; locum indicandi celebrationis concilii; concilium præsedendi, confirmandi, transferendi, dissolvendi.

Quinto sequitur S. Pontificem a nemine in Ecclesia judicari, puniri aut deponi posse.

§ VI.

A PARTE ORIGINIS, POTESTAS PONTIFICIA EST IMMEDIATE DIVINA, ITA UT PETRI SUCCESSORES IMMEDIATE A DEO POTESTATEM ACCIPIANT; DESIGNATIO AUTEM PERSONÆ S. PONTIFICIS, SEU ELECTIO EJUS HABET HUMANAM ORIGINEM.

Potestatem pontificiam immediate a Deo *accipi*, luculenter sequitur ex eo quod hæc potestas est suprema. Etenim collatio potestatis supponit conferentem habere potestatem superiorem vel saltem æqualem potestati quam confert; cum iste actus nihil aliud dicat, quam aliquem participem efficere propriæ suæ potestatis. Jamvero in Ecclesia nemo est supra Pontificem aut ei æqualis; ergo S. Pontifex a nemine in Ecclesia potestatem suam accipere potest; ac proinde eam accipit a Deo ipso.

Idem probatur ex eo quod, defuncto summo Pontifice, jam nullus est, qui supremam Petri habeat potestatem; ergo nullus

est, qui in Ecclesia valide eam conferre possit successori Pontificis defuncti; unde dicendum est eam conferri a solo Deo. —

Designatio autem seu electio personæ ad sedem Petri non fit a Deo, sed ab hominibus, ab iis videlicet quibus Petrus vel successores ejus illam concrediderunt, et secundum modum ab ipsis statutum. Sane determinatio personarum quæ jus habent ad eligendum, et formæ electionis, est actus jurisdictionis, et quidem jurisdictionis supremæ, ubi agitur de electione supremi capitis societatis; ergo evidens est, in potestate solius Supremi Pontificis esse, determinare et personas eligentes et electionis formam in designatione S. Pontificis, ita ut irrita sit quævis alia electio secus facta. — Nec habetur hic aliquis circulus vitiosus : etenim primus summus Pontifex h. e. Petrus nulla electione indigebat, sed jure suo cathedram primam assumpsit; potuitque ipse, et ceteri post eum potuerunt formam determinare electionis suorum successorum.

§ VII.

SUMMUS PONTIFEX, CUM *ex cathedra* LOQUITUR, ID EST, CUM OMNIUM CHRISTIANORUM PASTORIS ET DOCTORIS MUNERE FUNGENS, PRO SUPREMA SUA APOSTOLICA AUCTORITATE DOCTRINAM DE FIDE VEL MORIBUS AB UNIVERSA ECCLESIA TENENDAM DEFINIT, PER ASSISTENTIAM DIVINAM IPSI IN B. PETRO PROMISSAM, EA INFALLIBILITATE POLLET, QUA DIVINUS REDEMPTOR ECCLESIAM SUAM IN DEFINIENDA DOCTRINA DE FIDE VEL MORIBUS INSTRUCTAM ESSE VOLUIT, IDEOQUE EJUSMODI SUMMI PONTIFICIS DEFINITIONES EX SESE, NON AUTEM EX CONSENSU ECCLESIÆ, IRREFORMABILES SUNT.

—

I. Prænotanda. Citatis verbis definivit Vaticana Synodus Sess. IV. Cap. IV dogma infallibilitatis Pontificiæ.

Hanc infallibilitatem restrixit imprimis ad casum, ubi Pontifex *ex cathedra* loqui dicitur, simulque plenissime explicavit quan-

donam Pontifex censendus sit loqui *ex cathedra;* — dein definivit *causam* hujus infallibilitatis — tertio declaravit *naturam* hujus infallibilitatis; — et quarto pressius veritatem infallibilitatis pontificiæ exposuit, *excludendo errorem* præcipue hac in re timendum.

a) Ad locutionem *ex cathedra,* sequentes conditiones requirit Synodus Vaticana : 1° ut Pontifex intendat fungi supremo suo munere pastoris et doctoris omnium christianorum; 2° ut loquatur de fide aut de moribus; 3° ut intendat obligationem inducere, et quidem in universam Ecclesiam; non tamen requirit ut definitionem directe ad omnes fideles dirigat.

Per restrictionem infallibilitatis ad locutionem S. Pontificis *ex cathedra*, seponit Vaticana Synodus quæstionem de infallibilitate S. Pontificis, uti est doctor privatus vel Episcopus specialis suæ diœcesis romanæ.

b) Causam infallibilitatis explicans, Vaticana Synodus dicit, eam non ex humanis viribus esse repetendam, neque ex constanti divina inspiratione, sed ex assistentia Spiritus S^ti^; ad quod divinum elementum attendatur oportet, ubi disputatio instituitur cum incredulis, qui negant pontificiam infallibilitatem, utpote transgredientem humanas vires, vel utpote conducentem ad necessitatem quæcumque falsa, modo definiantur a S. Pontifice, fide amplectendi.

c) Naturam infallibilitatis pontificiæ definiens, Vaticana Synodus dicit, Pontificem eam obtinere infallibilitatem, qua ex divina institutione pollet Ecclesia. Unde ea omnia, quæ supra diximus de infallibilitate Ecclesiæ propria, hic sunt applicanda. Ibi ostendimus Ecclesiam docentem infallibilem esse; hic invenimus in Ecclesia docente S. Pontificem hac dote esse ornatum.

d) Clarius proponit Vaticana Synodus infallibilitatem S. Pontificis, *excludendo* hunc *errorem* qui maxime hac in re erat metuendus; errorem nempe articuli IV Gallicanæ Declarationis : « *In fidei quoque quæstionibus præcipuas summi Pontificis*

» *esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias* » *pertinere : nec tamen irreformabilia esse judicia, nisi* » *Ecclesiæ consensus accesserit;* » quem sequentibus exclusit verbis : « *Ideoque ejus (S. Pontificis) definitiones ex sese, non* » *autem ex consensu Ecclesiæ irreformabiles sunt.*

II. Demonstratio. Summi Pontificis definitiones *ex cathedra*, infallibiles esse ex assistentia Spiritus S^ti^, ea infallibilitate qua pollet Ecclesia, etiam antecedenter ad Ecclesiæ consensum, sequentibus probamus argumentis.

1° *E S. Scriptura. a)* Evidenter hoc dogma colligitur ex verbis Christi : « *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo* » *Ecclesiam meam* » etc. (*Matt.* XVI, 18.) Sane vi horum verborum Petrus et ejus successores in quibus vivit, petra et fundamentum constituuntur Ecclesiæ universalis. Jamvero in Ecclesia præcipue firmari et sustentari debet fides, quippe quæ est basis Ecclesiæ organisationis, ejus sacramentorum, quæ canales sunt vitæ supernaturalis, ejusque cultus. Ergo Petrus ejusque successores debent præcipue Ecclesiæ esse fundamenta ratione fidei. Atvero fundamenta fidei non essent, si ipsi possent falsum docere; nam tunc, cum doceant obligationem credendi inferendo, fidem destruerent; neque etiam fidei essent fundamenta pro tota Ecclesia, si eorum decreta, ut firma sint, consensu indigeant illius Ecclesiæ seu Episcoporum; nam hoc in casu non soli S. Pontifices, sed S. Pontifices simul cum Episcopis essent Ecclesiæ fundamenta. Ergo cum munere *petræ* seu *fundamenti*, quo Petrus ejusque successores ornati sunt, intimissime cohæret infallibilitatis prærogativa.

b) Romani Pontificis infallibilitas colligitur quoque ex verbis Christi « *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides* » *tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* » (*Luc.* XXII, 32). Hisce verbis divinus Redemptor Petrum alloquitur, non ut privatam personam, sed uti Ecclesiæ suæ pastorem; cui nempe imponit officium, ut confirmet in fide fratres

suos, cuique jam antea promiserat, eum fore petram et fundamentum Ecclesiæ suæ. Ergo indubitanter constat, Christum verbis citatis munus supremi pontificatus Petri definire sub respectu fidei docendæ.

Verum quid significatur hisce verbis? Imponitur munus confirmandi in fide fratres h. e. totam Ecclesiam. Christus nempe dirigit sermonem ad unum Petrum, exclusis cœteris Apostolis; nam compellat ipsum nomine ejus proprio : *Simon, Simon*, et dein aperte quoque eum ab aliis apostolis distinguit dicendo : *satanas expetivit* VOS... *ego autem rogavi pro* TE, *ut non deficiat fides* TUA *et* TU *aliquando conversus confirma fratres* TUOS; ergo vox *fratres* complectitur tum Apostolos tum omnes fideles. — Significatur quoque hisce verbis, Christum in omnium communi fidei periculo pro una tantum Petri fide orasse; ac proinde, cum Christus semper exaudiatur, fidem Petri, sed eam solam, non esse defecturam. Hæc autem duo asserta Christi ita inter se connectuntur, ut oratio Christi pro fide Petri ad ipsum munus confirmandi fratres tamquam medium ad finem dirigatur. Ut enim posset Petrus confirmare fideles omnes, ideo rogavit pro indefectibilitate fidei ejus.

Quibus expositis liquet, Christum Dominum primatus officium definiens, S. Pontifici imposuisse ut firmaret fratres in fide, et ei promisisse indefectibilitatem in fide, ut rite hoc munere fungi posset.

c) Eadem veritas colligitur ex verbis, quibus Christus post suam resurrectionem, Petrum agnorum et ovium pastorem (*Joan.* XXI, 15) constituit. Juri enim et muneri pascendi respondet in ovibus obediendi officium. Jamvero, suppone summum Pontificem, dum petræ confirmatorisque fratrum munus gerit, erroneam proponere doctrinam : vel Ecclesiæ pastorumque cœtus eum audit atque sequitur; et en universa Ecclesia ducitur in errorem, quod nefas est dicere : vel fidelium aut pastorum cœtus doctrinam examini subjicit, ut cognoscat an sit revelationi

consona necne atque erranten Pontificem non sequitur ; et tunc actum est de illa plenitudine potestatis pascendi et docendi, cum oves doceant pascantque suum pastorem ; nec ubi Petrus, ibi est Ecclesia ; nec confirmat ipse fratres, utpote ipse confirmandus ab illis. Quare ipsum supremi pastoris munus, in universum ovile dominicum Petro commissum ejusque successoribus, infallibilitatem in docendo flagitat.

2° *E. Traditione. A) Testimonia Patrum.* Huc autem faciunt Patres illi, *a)* qui adstruunt in omnibus necessitatem consentiendi ac conveniendi ad supremam cathedram, si fideles esse velint, uti S. Hieron. in *epist.* 13 *ad Damasum* scribens : « Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id » est, cathedræ Petri communione consocior : super hanc » petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc » domum agnum comederit profanus est. »

b) Qui fidenter affirmant per successionem SS. Pontificum quoscumque posse hæreticos confundi, cujusmodi inter cœteros est Irenæus *contra Hær.* Lib. III. c. 3 dicens : « Ad hanc enim » Ecclesiam (Petri) propter potentiorem principalitatem necesse » est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique » fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est » ea, quæ ab Apostolis est, traditio. »

c) Qui post S. Pontificis rescriptum clamant : *Causa finita est*, uti S. Augustinus *serm.* 131 n. 10.

d) Qui asseverant *Petrum semper in propria sede vivere, præsidere* et *præstare quærentibus fidei veritatem*, uti Petrus Crysologus, *epist. ad Eutichen presbyterum*, c. 2.

e) Qui prædicant *ad Petri sedem perfidiam habere non posse accessum*, uti Cyprianus *epist. IV ad Cornelium.*

B) Facta historica. Hujusmodi sunt, quod controversiæ circa fidem exortæ sive in Oriente sive in Occidente, ad S. Pontificem delatæ sunt ; et ipse orthodoxam doctrinam statuit, et quid credendum aut agendum sit exposuit ; Episcopi vero ipsius

decisiones dogmaticas summa veneratione, etiam in concilio oecumenico, susceperunt, atque tamquam regulam fidei agnoverunt. Ita Clemens Rom. dissidia Corinthi enata sedavit; S. Anicetus et S. Victor, contra Episcopos Asiæ tempus pro celebratione paschatis determinarunt; S. Stephanus contra Cyprianum baptisma hæreticorum validum declaravit; S. Melchiades Donatistas in Africa repressit; S. Sylvester Arium damnavit. Hæresim Pelagii Innocentius et Zosimus damnarunt, et S. Augustinus dicit : « Litteris Innocentii tota de hac pelagiana re dubitatio sublata est. »

Huc quoque accedit ipsa agendi ratio hæreticorum. Tam alte pervaserat omnium animos in antiquitate persuasio, ineluctabilia esse plane, quæ per Romanos, seu summos Pontifices quoad fidem sancirentur, ut hæretici ipsi conciliandæ sibi illorum sententiæ enixe allaboraverint. Ita sane inter cæteros se gesserunt Pelagius ac Cœlestius. Quorsum vero hæc, nisi receptum tunc temporis fuisset, S. Pontifices in fide errare non posse?

3° *E ratione theologica*. Si Summus Pontifex infallibilis non esset in quæstionibus fidei et morum, Christus non videretur sufficienter providisse Ecclesiæ suæ. Neque enim episcopi dispersi neque concilium oecumenicum videntur posse, in difficilioribus adjunctis, fidei defendendæ et hæresi refrænandæ satis expedite et efficaciter auctoritatem suam interponere.

Potest et hæc adjici ratio : Si S. Pontificis judicium non sit infallibile in quæstionibus fidei et morum, nisi ex consensu Ecclesiæ, sequitur, quod S. Pontifex non magis gaudeat privilegio infallibilitatis, quam Episcopus quivis. Etenim si ipse aliquid definiat seu doceat in materia fidei et morum, et accedat consensus cœterorum Episcoporum seu totius Ecclesiæ, judicium ejus erit infallibile. Jam vero hæc sequela a doctrina Scripturarum de potestate Petri prorsus est aliena, siquidem Scripturæ Petrum exhibent uti confirmatorem fidelium in fide, et quidem excellentiori modo ac cæteri Apostoli; ipsi enim soli promissa est inde-

fectibilitas in fide, et munus impositum omnes fratres, etiam Apostolos, in fide confirmandi. Ergo dici debet S. Pontificem esse infallibilem.

Objectiones. 1° Infallibilitatis pontificiæ adversarii, inter quos eminet Döllinger, imprimis appellant ad quosdam Pontifices, quos ex cathedra loquentes in errorem de fide aut moribus incidisse contendunt, appellant nempe ad *Liberium*, ad *Honorium*, ad *Vigilium* et alios quosdam. — Pro explicatione horum factorum, remittimus ad prælectiones Historiæ Ecclesiasticæ.

Obj. 2° Inter antiquiores hæreses nullibi numeratur doctrina de improbata seu negata Pontificis infallibilitate, quam tamen hæretici facto ipso rebellionis suæ negarunt. Ergo, aiunt, in antiquitate doctrina de infallibilitate erat ignota.

R. Neque etiam inter alicujus hæretici errores ille recensetur, quod conciliorum œcumenicorum infallibilitatem negaverit; verum sicuti plures idcirco habiti sunt hæretici, quod horum conciliorum definitiones reprobraverunt : ita plures quoque habiti sunt hæretici, quod a Romanis Pontificibus damnati noluerunt se illorum decisionibus subjicere. Hinc in formula Hormisdæ universim enuntiatur, non consentientes Sedi Apostolicæ sequestratos esse habendos a communione catholicæ Ecclesiæ. (Vid. formulam Hormisdæ Episcopis Orientis, qui schismatis Acaciani participes fuere).

Obj. 3° In Patrum scriptis, quæ de fidei norma et de Ecclesiæ auctoritate agunt, nunquam mentio occurrit hujus prærogativæ S. Pontificis, ut medii percommodi ad dirimendas controversias : omnes hi Patres admittunt tantum traditionem triplici dote præditam ANTIQUITATIS, UNIVERSALITATIS et CONSENSIONIS. Ita Vincentius Lirinensis in COMMONITORIO cap. 2 hæc statuit : In ipsa catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod UBIQUE, quod SEMPER, quod AB OMNIBUS creditum est.

R. 1° Negamus Patres nunquam mentionem facere hujus supremæ docendi auctoritatis summi Pontificis, tamquam medii

expediti ad dirimendas controversias tutoque agnoscendam sinceram doctrinam. Huc spectant verba Irenæi supra citata; huc spectat Augustini gaudium de finita responso pontificio causa pelagiana (de qua re vide supra p. 202).

2° Quod vero ad canonem Vincentii Lirinensis attinet, jam in *Tractatu de Locis theologicis* (p. 33 *nota)* ostendimus hunc sensu *affirmante*, non autem sensu *excludente*, esse accipiendum.

Obj. 4° S. Pontificum epistolæ in conciliis examini fuerunt subjectæ, quamvis essent e cathedra editæ : ac proinde non fuerunt habitæ infallibiles.

R. Advertatur multiplex, pro diverso fine, alicujus doctrinæ examen distingui posse. Aliud enim est examen, quo quæritur rei disputatæ solutio et definitio; aliud autem quo quæritur rei jam solutæ plenior intelligentia et firmior comprobatio.

Jamvero examen prioris speciei, circa litteras pontificias olim institutum, indicaret quidem infallibilitatem pontificiam antea in Ecclesia agnitam non fuisse; non autem examen alterius speciei seu plenioris intelligentiæ tantum. Hoc enim examen non supponit dubium de veritate definitionis; sicut nec examen theologi probe orthodoxi, quo accurate expendit dogmata catholica, supponit hæc ei esse dubia.

Nunc autem *quali* subjecerunt examini antiqua concilia litteras apostolicas S. Pontificis? Non examini quod supponit dubium de veritate doctrinæ in hisce litteris contentæ, sed examini confirmatorio, eas fuisse subjectas præclara ostendunt documenta.

Ejusmodi examen suæ epistolæ permisit S. Leo in concilio Calcedonensi (ad quod factum nominatim appellat Döllinger), hujus permissionis et examinis præclaram reddens rationem (1).

(1) « Gloriamur in Domino, scribit Pontifex ad Theodoretum, cum » propheta canentes : adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit » cœlum et terram : qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum » sustinere permisit, sed quæ nostro prius ministerio definierat, universæ

Aperte enim declarat S. Leo novum examen eo tantum fine esse institutum in concilio, ut solutis difficultatibus confirmatoque catholico ac definitivo dogmate, veritas clarius elucesceret, dubitantes vel etiam renitentes convincerentur, ac proinde hoc examen nihil præjudicare auctoritati præcedentis definitionis, neque vim coactivam ei denegare, sed potius illam præsumere, cum renitentes ad debitum assensum hac faciliori via debeat manuducere.

Ceterum qua reverentia exciperentur S. Pontificum epistolæ in conciliis, exponit Nicolaus I in ep. 98 ad Michaelem Imp.; postquam nempe graviter conquestus est suam epistolam corruptam fuisse, et silentio pressam. « Sed vere, ait, non sic in » synodis prisco tempore collectis, non sic actum fuisse nonnul- » lorum gesta conciliorum demonstrant. In illis enim apostolicæ » Sedis scripta non sub occultationis modio tegebantur, sed ut » omnibus, qui erant in domo Dei, lucerent, in propatulo pone- » bantur; et si qua turpitudo vel macula in fidei pulchritudine a

» fraternitatis irretractabili firmavit assensu : ut vere a se prodiisse osten- » deret, quod prius a prima omnium sede formatum, totius christiani orbis » judicium recepisset : ut in hoc quoque capiti membra concordent. In quo » amplior nobis accrescit gaudium, dum tanto magis se perculit inimicus, » quanto contra Christi ministros sævius insurrexit. Nam ne aliarum sedium » ad eam, quam cæteris omnium Dominus statuit præsidere, consensus » assentatio videretur, aut alia quælibet subrepere posset adversa suspicio, » inventi prius sunt, qui de judiciis nostris ambigerent. Et dum nonnulli a » dissensionis incitati ardore ad contradictionum bella prosiliunt, ad majus » bonum, malo ejus, auctore totius bonitatis dispensante, perventum est. » Dulcius siquidem munera gratiæ divinæ præveniunt, quoties non sine » magnis sudoribus acquiruntur : et minus bonum videri solet pax conti- » nuata per otium, quam reddita per labores. Ipsa quoque veritas et clarius » renitescit et fortius retinetur, dum quæ fides prius docuerat, hæc postea » examinatio confirmarit. Multum denique sacerdotalis officii meritum » splendescit, ubi sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum » putetur imminuta libertas. Et ad majorem Dei gloriam proficit finis exa- » minis, quando ad hoc se accipit exserendi fiducia, ut vincatur adversitas : » ne quod per se probatur reprobum, silentii præjudicio videatur » oppressum. »

» quolibet tentaretur induci, facile patesceret : ac si specula in » omnibus habebantur, et quasi quædam rectitudinis forma, qua » inprimi ceteri possent, posita colebantur. »

Instant quidam adversarii dicendo, S. Leonem in epist. ad Theodoretum agnovisse definitionem suam unice *infallibilem* evasisse per consensum Episcoporum : scribit nempe : *quæ (Deus) nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis* IRRETRACTABILI *firmavit assensu.*

R. Certe non opinatus est S. Leo epistolam suam non continere definitivam sententiam, cum de se ipso dicat Deum per os ipsius locutum esse, non secus ac olim Apostoli in concilio Hierosolymitano de se ipsis dixerant : *Visum est Spiritui Sancto et nobis.* Scripsit enim : *quæ Deus prius nostro ministerio definierat.* Jamvero qui censet Deum per os suum loqui, non opinatur certe se fallibilem proferre sententiam. — Insuper sæpius monuit S. Leo in epist. sua ad Flavianum : suam definitionem esse *per se firmam* et *irretractabilem.*

Qua ratione igitur dixit S. Leo suam definitionem, per Episcoporum consensum, irretractabilem evasisse? Non quoad catholicos, sed respectu ad adversarios; quum Pontificis definitio, post hunc universalem consensum, uti vera Ecclesiæ catholicæ fides manifesta facta sit etiam illis qui Pontificis potestati renitebantur et universalem prædicationem uti unicam habebant fidei regulam.

Obj. 5° Si S. Pontifex, ubi docet ex cathedra, est infallibilis, non amplius Episcopi manent judices fidei; ipse enim, etiam non audito Episcoporum judicio, definire potest fidem, et Episcopi tenentur ejus sententiam amplecti; quid ergo remanet judicio Episcoporum? — Atque fides docet Episcopos esse fidei judices ; ergo rejicienda est infallibilitas S. Pontificis.

R. Concedimus Episcopos judices esse fidei; sed negamus eorum judicandi munus cessare, data S. Pontificis infallibilitate.

Si munus judiciale Episcoporum impediretur per infallibilitatem S. Pontificis, id oriretur vel ex defectu materiæ judicio Episcopi relictæ, vel ex plenitudine potestatis S. Pontificis; atqui neutrum dici potest. Etenim non deerit sane *materia* judicio Episcopi; nam non minus celebrabuntur concilia œcumenica, data S. Pontificis infallibilitate, ac si ipsa non existeret; ergo in œcumenicis conciliis semper poterunt Episcopi potestate judicandi uti. Verum non in solis œcumenicis conciliis exercent Episcopi munus judicis in fide; cum potestate enim vera docent Episcopi fideles suos, judicant de controversiis in diœcesi sua exortis, resolvunt practicos principiorum applicationes, et scripta examinant, approbant aut damnant. — Jamvero hæc omnia per infallibilitatem pontificiam non subtrahuntur Episcopis; quum per infallibilitatem sibi superadditam perficiatur quidem essentialiter docendi potestas S. Pontifici propria, sed ejus objectum non extenditur. — Ergo ex infallibilitate S. Pontificis nullatenus sequitur munus judicandi Episcopis proprium, cessare per defectum materiæ.

Neque cum veritatis specie affirmari potest munus istud impediri ex *plenitudine potestatis* S. Pontificis. Nam inferioritas unius judicis, respectu habito ad alium, unice infert, quod appellari potest a sententia ab inferiore lata ad judicem superiorem. — Inde Episcopus in diœcesi sua de fidei quæstionibus judicium fert, et quidem cum auctoritate, ita ut subditis insit officium ipsius sententiam amplectendi; verum ipse non judicat infallibiliter, neque suprema jurisdictione; et idcirco ab ejus sententia ad S. Pontificem appellari potest.

Insuper admittunt adversarii concilia œcumenica cum infallibilitate fidem definire, et inde potestatem episcopalem non lædi; ergo nec opponere possunt potestatem episcopalem lædi per potestatem S. Pontificis infallibiliter fidem definientis.

Instant adversarii dicendo : Si S. Pontifex infallibili sententia, omnia quæ ad fidem et mores pertinent, definire possit, nihil

judicio Episcopi remanebit; nam omnes fideles, ut infallibile obtineant responsum ad eum recurrent; et mox omnia dubia erunt soluta.

R. Falso supponunt adversarii S. Pontificem constanter et quasi omni die infallibiles edere definitiones; nam nonnisi in solemnioribus circumstantiis et adhibitis longis inquisitionibus, e cathedra solet loqui. — Dein quotidie nascuntur ubique locorum nova dubia et practicæ quæstiones, quæ auctoritativam postulant solutionem, et pro quibus ad S. Pontificem recurri non potest. Ergo fundamento caret allata instantia.

Instant quoque hoc modo : Si Pontificia infallibilitas potestatem episcopalem non penitus destruat, ita tamen eam diminuit, ut de potestate suprema, qualis secus esset in conciliis œcumenicis, eam efficiat potestatem vere inferiorem.

R. Falso affirmatur potestatem Episcopi, seposita S. Pontificis infallibilitate, in conciliis œcumenicis esse supremam; etenim in generali synodo judicia etiam a toto Episcoporum corpore prolata, nullam habent vim, antequam a S. Pontifice confirmentur.

Constat ergo potestatem episcopalem nullatenus per infallibilitatem S. Pontificis lædi, cum ipsa neque inde judicandi materia careat, neque ex plenitudine ejus opprimatur.

CAPUT SECUNDUM

De Episcopatu

PRÆNOTANDA

Si rem a priori consideremus, potuit Christus ita Ecclesiam suam constituere, ut Petro universæ Ecclesiæ capiti reliquerit potestatem delegatos a se institutos in singulas partes ovilis mittendi, qui eum in regimine Ecclesiæ adjuvarent; vel potuit Christus sic Ecclesiam constituere, ut sua voluntate determinaverit tales aut tales debere sub Petro varias Ecclesiæ partes regere cum vera jurisdictione. In priori hypothesi, qui sub Petro Ecclesiam gubernarent, essent meri vicarii S. Pontificis, libere ab eo, non autem a Christo, deputati et instituti; in altera autem hypothesi, pastores variarum Ecclesiæ partium non sunt mere vicarii S. Pontificis, libere ab eo instituti, sed munus obtinent quod in Ecclesia ex voluntate Christi existere debet.

Jamvero si audiamus fidei doctrinam, non prior sed altera hypothesis hic obtinet. Fides nempe docet, Christum Dominum munus Ecclesiam sub Petro regendi contulisse Apostolis, et voluisse ut munus istud perpetuo in Ecclesia existeret; et si non est fidei dogma, saltem theologice constat Episcopos esse ex voluntate divina Apostolorum successores.

Quæ omnia ut scientifice demonstremus, ostendemus in primis Christum præter munus primatus, aliud munus veræ proprieque dictæ jurisdictionis instituisse in Apostolis; necnon ipsum voluisse ut hoc munus perpetuum esset in Ecclesia. Deinde dicemus de vi et ratione hujus muneris : inquiremus nimirum, an omnino constet istud munus ex Christi voluntate Episcopis esse proprium, quænam sit origo hujus potestatis, et quænam sint proprietates ejus quoad gradum et extensionem. — Hac enim

ratione constabit nobis, *quod* existit in Ecclesia ex divina institutione munus jurisdictionis, quod S. Pontificatui inferius est, et *episcopale* vocatur; et *quid* sit munus istud.

ARTICULUS I

Præter S. Pontificatum in Petro institutum, Christus Dominus instituit in Apostolis aliud munus veræ jurisdictionis, Primatui inferius, quod Episcopatus vocatur

I. Explicatio. Dicitur in propositione : *veræ jurisdictionis*, quibus verbis exprimitur non tantum potestas dirigendi per monita et consilia, sed potestas docendi cum auctoritate, leges ferendi, judicandi, et pœnis coercendi. Notetur quoque nos in præsenti materia semper agere de jurisdictione in foro externo, non vero de mera potestate administrandi sacramenta.

II. Demonstratio. Institutio hujus muneris in Apostolis, peremptorie demonstratur ex verbis Christi Domini. — Etenim disertis verbis legimus in Evangelio, Christum Dominum secrevisse quosdam a reliqua discipulorum turba, quos Apostolos vocavit; narrat nempe *S. Lucas* VI, 13 : « *Et quum dies factus esset,* » *vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et* » *Apostolos vocavit.* » Jamvero istis Apostolis contulit Jesus potestatem jurisdictionis, dicendo eis *Matt.* XVIII, 18 : « *Amen dico* » *vobis, quæcumque alligaveritis super terram, ligata erunt* » *et in cœlis, et quæcumque solveritis super terram, erunt* » *soluta et in cœlis* » et *Matt.* XXVIII, 18, 19. *Marc.* XV, 16 : « *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra; euntes* » *ergo docete omnes gentes, docentes eos servare omnia* » *quæcumque mandavi vobis : qui crediderit et baptizatus* » *fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.* » Verbis enim *ligare et solvere* confertur, uti supra sæpius jam dictum est, potestas leges ferendi, judicandi et puniendi; et verbis : *docete omnes gentes, qui crediderit et baptizatus*

fuerit, salvus erit etc., confertur potestas docendi cum auctoritate. Præterea hæc verba Jesu ad solos Apostolos fuere directa. De verbis enim *Matt.* XXVIII et *Marc.* XVI, id constat ex ipsa Evangelistarum affirmatione; dicunt nempe hæc verba a Jesu fuisse prolata, ubi erat cum undecim (jam mortuus tunc erat Judas proditor). Cfr. *Matt.* XXVIII, 16; *Marc.* XVI, 14. Verba quoque *Matt.* XVIII, 18 etiam ad solos Apostolos fuisse dicta, docemur ex *Marco* IX, 33 (cfr. supra pag. 176). Ergo ex verbis Christi Domini constat, ab Ipso munus jurisdictionis in Apostolis a se electis fuisse institutum.

Porro munus istud in Apostolis institutum est officio Petri inferius. Jesus quidem Apostolis confert potestatem jurisdictionis illimitatam et plenissimam, dicendo : « *quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo ;* » et expresse non definit in hoc sermone, utrum conferat Apostolis singulis potestatem absolutam et independentem, an vero toti cœtui tantum; utrum dein hic cœtus supremam habeat potestatem ex communi actione singulorum Apostolorum, an vero ex suprema potestate unius, qui ipsorum esset primas. Sed, cum Christus, antequam hunc sermonem ad Apostolos habuerit, jam Petro primatum pollicitus esset, et textus minus definiti e locis clarioribus sint interpretandi, patet a Christo Domino neque singulis Apostolis supremam et independentem collatam esse potestatem, neque eorum cœtui talem collatam esse supremam potestatem, quæ ex pari omnium actione deflueret; sed eorum cœtui hujusmodi esse collatam potestatem, quæ dimanaret ex primatu Petri. Singuli igitur Apostoli constituuntur participes potestatis Petri, singuli accipiunt potestatem jurisdictionis; sed potestas eorum est inferior Petri potestati, et ab ea est dependens.

Vere igitur e verbis Christi Domini demonstratur ab Ipso in Apostolis jurisdictionis munus esse institutum, quod inferius est muneri Petri.

ARTICULUS II

Munus jurisdictionis, in Apostolis institutum, ex Christi voluntate debet in Ecclesia in perpetuum perdurare

Veritas hujus propositionis, luculenter colligitur ex verbis Christi Domini *Matt.* XXVIII, 19, 20 : « *Euntes docete omnes gentes.... Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* » Jubetur hic Apostolis ut doceant omnes gentes, et eis promittitur assistentia divina ad finem mundi usque. Jamvero neque istud mandatum, neque hæc promissio impleri potuerunt, durante vita Apostolorum; ergo verba Christi supponunt Apostolos habituros esse successores, et quidem ad finem mundi usque. Ergo munus jurisdictionis, in Apostolis institutum, ex Christi voluntate debet in Ecclesia in perpetuum perdurare.

Huic argumento accedit et testimonium historiæ. Nunquam exstitit Ecclesia sine pastoribus qui cum vera jurisdictione, dependenter tamen a sede Petri, Ecclesiam regerent et gubernarent; in singulis nempe particularibus Ecclesiis apparet pastorum series nunquam interrupta, originem ducens, uti ait Tertullianus, ab Apostolis aut ab apostolicis viris. Jamvero quod semper et ubique in Ecclesia exstitit, quod non legitur ab homine institutum, sed a tempore Christi incœpit, non humana inventio, sed Christi ordinatio censeri debet.

Hoc autem munus vocatur munus episcopale seu Episcopatus, a voce nempe επισκοπος, præses, inspector.

ARTICULUS III

De proprietatibus muneris Episcopalis

Ut plene hujus muneris essentiam cognoscamus, præsertim investigare oportet 1° an hoc munus cuidam gradui hierarchiæ ordinis, et cuinam præcise gradui sit proprium; — 2° quisnam conferat jurisdictionem huic muneri propriam; utrum Deus ipse,

an vero S. Pontifex; — 3° qualis sit jurisdictionis hujus materia, extensio tum quoad personas, tum quoad materiam, gradum, et exercitii modum.

§ I.

Ex Christi institutione munus jurisdictionis Episcopalis competit sacerdotibus primi ordinis, qui inde Episcopi vocantur.

—

I. Explicatio. Non contendimus quidem jurisdictionem episcopalem nonnisi a sacerdotibus primi ordinis valide haberi posse; sed unice intendimus Christum Dominum voluisse, ut hæc jurisdictio regulatim nonnisi eis insit; iis ergo qui munus diœcesis gubernandæ susceperunt, officium incumbere ordinem etiam episcopalem accipiendi.

II. Demonstratio. 1° *E ratione theologica.* Si Christus voluit aliquos esse pastores, eos certe voluit, quos idoneos instituit ad hoc munus perfecte exsequendum : atqui soli Episcopi propter plenitudinem sacerdotii, quam habent, idonei sunt ad Ecclesiam perfecte regendam. Ut enim unitas et ordo in Ecclesia vigeant, oportet ut ejus rectores supremi ministros creare possint qui munera exerceant ad perennem Ecclesiæ existentiam necessaria. Atqui talis non est nisi Episcopus, qui et sacerdotes secundi ordinis seu presbyteros, et sacerdotes primi ordinis seu Episcopos gignere valet. Ergo dicendum est Christum voluisse ut Ecclesiarum pastores episcopali ordine forent insigniti. — Hoc autem argumentum maxime firmatur ex eo quod ipse Christus primos Ecclesiæ pastores, Apostolos nempe, episcopali ornavit ordine.

2° *E traditione.* E plurimis testimoniis Patrum liquet ab initio Ecclesiæ non presbyteros, sed solos Episcopos fuisse Ecclesiarum pastores. S. Ignatius Antiochenus *ad Magnesianos* ita scribit : « *Studete omnia operari præsidente Episcopo in* » *loco Dei, presbyteris in loco consessionis Apostolorum, et*

» *diaconis mihi dulcissimis habentibus creditam ministra-*
» *tionem Jesu-Christi.* » E quibus verbis patet S. Ignatium habuisse Episcopos tamquam veros pastores, ad normam nempe Jesu-Christi pastoris summi, cujus locum tenent; presbyteros vero tamquam Episcopi adjutores, quemadmodum Apostoli, vivente Jesu, ejus fuerunt adjutores. In eadem epistola scribit quoque S. Ignatius : *Presbyterium coaptari debet Episcopo sicuti chordæ citharæ;* qua comparatione dilucide exprimitur Episcopum esse pastorem et rectorem, et munus presbyterorum esse ut Episcoporum sint adjutores. — Id expressit etiam clarius S. Cyprianus, in epist. sua 5ª, ita ad *Presbyteros* scribens : « *Quando a primordio Episcopatus mei statuerim, nihil* » *sine vestro consilio et sine consensu plebis privatim* » *gerere...* » Unde apertissime liquet presbyteros meros fuisse adjutores Episcopi, non vero rectores et pastores proprie dictos. — Præterea S. Hieronymus verbotenus thesim nostram proponit in epist. 41 *ad Marcellam,* dicens : « *Apud nos, Apostolorum locum Episcopi tenent, apud eos* (Montanistas scilicet) *Episcopus tertius est;* » et pari modo S. Gregorius Magn. *hom. in Evang.* XXVI : « *Horum* (Apostolorum) *profecto nunc in* » *Ecclesia Episcopi locum tenent, ligandi atque solvendi* » *auctoritatem suscipiunt.* »

Quibus testimoniis et hæc animadversio utiliter additur : Si supponamus Episcopos ab initio presbyteris fuisse quoad jurisdictionem æquales, et postea tantum, v. gr. sæc. V (a quo tempore indubitanter jurisdictio episcopalis fuit penes sacerdotes primi ordinis), obtinuisse ex Ecclesiæ instituto, ut ipsi soli essent pastores et doctores, et presbyteri meri fierent Episcoporum adjutores; quomodo tantæ immutationis nullum superest vestigium in historiæ documentis? Sane haud licet supponere tantam immutationem sine lucta in Ecclesia peractam esse; neque etiam silentium de hujusmodi lucta intelligi potest; ergo cum historia hac de re taceat, dicendum videtur, non humana sed divina

Christi institutione ordinatum esse, ut Episcopi soli in Ecclesia essent pastores et rectores.

III. Objectiones. 1° Opponunt multi nostram demonstrationem ex ratione theologica et ex Traditione haustam, non valere, ex eo quod supponat e Scriptura aut e Traditione constare, ordinem episcopatus esse distinctum ab ordine presbyteratus; jamvero, aiunt, id e revelationis fontibus non potest demonstrari; ergo allata demonstratio caret fundamento. Etenim dici non potest jurisdictionem episcopalem non convenire sacerdotibus secundi ordinis, sed sacerdotibus primi ordinis, antequam constet distinctionem veram existere inter sacerdotes primi et secundi ordinis.

R. Fatemur distinctionem inter ordinem episcopalem et presbyteratum nullibi expresse in Scriptura doceri; imo ubi de gradibus ordinis in Scriptura agitur, promiscue de iisdem personis adhiberi vocabula : *Episcopus* et *presbyter*. Attamen ex hac communi appellatione concludi non potest, ad communem potestatem, cum diversæ res, modo quid commune habeant, eodem designari possint nomine, ubi circumstantiæ clariorem non exigunt locutionem.

Verum, sin minus e S. Scriptura, saltem peremptorie e Traditione distinctionem inter ordinem episcopalem et presbyteratum evincimus. Etenim satis erit citare S. Hieronymum, qui in *epist.* 85 *ad Evangelum* n. 1. scribit : « *Quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod presbyter non facial;* » S. Chrysostomum, qui cum *hom.* 11 *in Timotheum* dixisset *inter episcopos et presbyteros fere nihil interesse,* subjicit : « *sola quippe ordinatione sunt superiores, atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur;* » et S. Epiphanium, qui sequentibus verbis Aerium, distinctionem inter Episcopum et presbyterum negantem, plene confutare intendit : « *Velut,* » ait, *Episcopum et presbyterum æquare conatur. Hoc autem* » *constare qui potest? Siquidem Episcoporum ordo ad gig-*

» *nendos patres præcipue pertinet : hujus enim est patrum* » *in Ecclesia propagatio. Alter cum patres non possit, filios* » *Ecclesiæ regenerationis lotione producit, non tamen patres* » *aut magistros. Quinam vero fieri potest, ut is presbyterum* » *constituat, ad quem creandum manuum imponendarum* » *jus nullum habet? Aut quomodo presbyter Episcopo dici* » *potest æqualis? Verum Aerium istum nimia quædam* » *procacitas æmulatioque decepit.* » — Ex his nempe textibus docemur, Patres tenuisse quod solus Episcopus, non vero merus presbyter, manus ad ordines conferendos imponere potest; ac proinde distinctionem haberi inter Episcopalem Ordinem et Presbyteratum.

Falso igitur ab adversariis asseritur e revelationis fontibus demonstrari non posse, distinctionem inter ordinem Episcopalem et Presbyteratum.

Obj. 2° S. Hieronymus, qui inter Traditionis testes illustrem sane obtinet locum, expresse negat divinæ institutioni tribuendum esse, quod Episcopi sint in Ecclesia pastores et rectores, non vero presbyteri; et omnimodam Episcoporum et presbyterorum, saltem de jure divino, æqualitatem propugnat. In *comment.* nempe *in Epist. ad Titum,* hæc scribit : « Idem est ergo » presbyter qui et Episcopus. Et Episcopi noverint se magis » consuetudine quam dispositionis dominicæ veritate, Presby- » teris esse majores. »

R. 1° Etiamsi S. Hieronymus hic nobis adversaretur, tamen, antiquissimæ traditionis unanimitas, et firma theologica conclusio, *unius* quamvis eruditissimi Doctoris oppositione, labefactari non possent.

2° Quamvis S. Doctoris verba duriora videantur, non concedimus tamen eum ab universalis Ecclesiæ consensu hac in materia recessisse. Etenim 1) S. Hieronymus nunquam venit in suspicionem hæresis Aerii, quod certo locum obtinuisset, si vere a communi doctrina circa Episcoporum potestatem deflexisset,

Asseclæ nempe Aerii certe provocassent ad tanti Doctoris auctoritatem. — 2) In aliis locis episcopalem potestatem non consuetudini sed divinæ institutioni adscribit. In libro nempe *adversus Joannem*, Hieronymus dicit : *illum circa fidem naufragium fecisse, qui doceret nihil inter Episcopum et presbyterum interesse, eamdemque esse dignitatem* MITTENTIS *et* MISSI. Quæ duo puncta jam indicant haud facile putandum esse, quod S. Hieronymus in objecto textu a recta deflexerit doctrina. — Jamvero 3) hæc verba possunt explicari de communi administratione per Episcopos et Presbyteros, servata tamen inter eos dignitatis distinctione; quæ interpretatio maxime firmatur, ex eo quod S. Doctor comparat Episcopum et presbyteros Moysi duci et septuaginta consiliariis ejus. Moyses, ait S. Doctor, cum solus præesset, elegit septuaginta viros, qui secum populum judicarent. Hac comparatione haud obscure sane insinuatur, Episcopum solum quidem præesse fidelibus, sed omnino decere, ut utatur consilio et juvamine presbyterorum. — Hieronymum autem in hac communi per presbyteros et episcopos administratione sæpius institisse, liquet ex ejus *Epist. ad Nepotianum De vita clericorum*, in qua dicit : « *Pessimæ consuetudinis* » *est in quibusdam Ecclesiis, tacere presbyteros, et præsen-* » *tibus Episcopis non loqui, quasi aut invideant, aut non* » *dignentur audire. Gloria patris est filius sapiens. Gaudeat* » *Episcopus judicio suo cum tales Christo elegerit sacer-* » *dotes.* »

Nota. Veritas hic demonstrata nondum est ut propositio de fide ab Ecclesia definita, attamen est omnino admittenda, deducitur enim evidenter ex ratione theologica, uti unanimiter admittitur; et idcirco vocanda est *veritas theologica*. Forsan etiam dici potest *fidei proxima*, cum tam clare in divina traditione contineatur.

§ II.

JURISDICTIO EPISCOPALIS, QUAMVIS DIVINITUS SIT INSTITUTA, VIDETUR TAMEN NON IMMEDIATE A DEO, SED A S. PONTIFICE CONFERRI.

—

I. Explicatio. Supra jam vidimus Christum Dominum instituisse, ut sub S. Pontifice essent Episcopi, qui Ecclesiam tamquam veri pastores et rectores gubernarent, ac proinde corpus episcopale in Ecclesia existere ex Christi ordinatione, non vero ex voluntate S. Pontificis, qui posset illud aut supprimere aut retinere, sicuti vellet. Etiam jam vidimus ad S. Pontificem Episcoporum electionem et institutionem pertinere. Hic autem quærimus, a quonam ille qui tamquam Episcopus a S. Pontifice instituitur, jurisdictionem suam accipiat, utrum immediate a Deo, an vero a S. Pontifice.

Hæc quæstio in controversia est apud theologos; verior nobis ea videtur sententia, quæ dicit jurisdictionem episcopalem conferri a S. Pontifice.

II. Demonstratio. Opinamur hanc sententiam veriorem esse, propterea quod ab una parte nullum serium argumentum alteram tuetur sententiam, et pro nostra sententia firmæ militant rationes. In primis, ad defendendam opinionem, quæ dicit episcopalem jurisdictionem immediate a Deo dari, allegatur præcipue hoc motivum : si Episcopi a S. Pontifice jurisdictionem accipiant, vere fiunt S. Pontificis vicarii; quod, aiunt, cum tota catholica traditione pugnat. — Sed respondemus : Episcopi vere essent Pontificis vicarii, si ipsa institutio et conservatio muneris episcopalis ab ejus voluntate penderet, non autem si jurisdictionem tantum ab eo accipiant. Jamvero ex divina institutione episcopatus existit, et perseverare debet semper et perpetuo in Ecclesia.

Deinde, multa adsunt argumenta, quæ saltem maxime suadent episcopalem jurisdictionem a S. Pontifice conferri. — Huc certe facit, quod S. Pontifex vi plenitudinis potestatis suæ, singulis Episcopis subditos assignat, diœcesis limites constituit, jurisdictionem Episcopi restringit, extendit, suspendit et aufert juxta judicium suum. Etenim si S. Pontifex tanta fruitur potestate in jurisdictionem Episcopi, cur etiam facultatem non haberet jurisdictionem ipsi conferendi? Nulla sane ratio afferri potest; nam potestas restringendi, extendendi et auferendi episcopalem jurisdictionem, æquivalens certe est potestati jurisdictionem conferendi. Quocirca, cum nullum fidei dogma exigat, ut dicamus jurisdictionem episcopalem immediate a Deo conferri, et S. Pontifex certe fruatur in hanc jurisdictionem potestate æquivalente isti, qua posset ipsam conferre, concludere licet jurisdictionem episcopalem a S. Pontifice vere tribui. — Huc quoque facit, quod talis videtur fuisse sententia S. Patrum. Ita S. Optatus (lib. VII *contra Parm.*) scribit : *Petrus præferri omnibus Apostolis meruit, et claves Regni cœlorum communicandas cæteris solus accepit;* et S. Gregor. Nyss. : « *Per Petrum Episcopis Christus dedit claves cœlestium honorum.* »

§ III.

Definiuntur jurisdictionis episcopalis materia, extensio tum quoad causas tum quoad personas, gradus, exercitii modus, dotes necnon discrimen cum potestate Apostolorum.

I. Materia jurisdictionis Episcopalis. Jurisdictio hæc complectitur *a)* potestatem fidem cum auctoritate docendi, ut liquet e Christi verbis Matth. XXVIII, 19, 20, et Marci XVI, 16, omnibus Apostolis dictis : « *Euntes docete omnes gentes..... qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur;* » et *b)* potestatem regendi per

leges, judicia et pœnas, necnon per collationem munerum, ut colligimus e verbis *Matt.* XVIII, 18 pariter omnibus Apostolis a Christo dictis : « *Quæcumque alligaveritis super terram,* « *erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super* « *terram, erunt soluta et in cœlo.* »

II. Gradus hujus jurisdictionis. Hæc jurisdictio non est suprema et plena, uti jurisdictio S. Pontificis; est enim jurisdictioni pontificiæ inferior et ab ea dependens. Quocirca jurisdictio singulorum Episcoporum a S. Pontifice determinatur quoad loca, et potest restringi per causarum reservationem. Inde etiam Episcopus quivis obnoxius est judicio pontificio; a Pontifice potest transferri de loco in locum, et etiam deponi.

III. Extensio hujus jurisdictionis quoad causas. Quod ad fidem docendam spectat, Episcopi positi sunt ut revelatam doctrinam fidelibus proponant, et quidem cum auctoritate. De quæstionibus controversis jus habent ut judicium edant, et scripta de fide aut de moribus tractantia possunt cum vera jurisdictione censurare; attamen fidei unitate id exigente, consuetudo invaluit ut de controversiis fidei majoribus et difficilioribus, necnon de iis quæ in magna Ecclesiæ parte aut innotuerunt, aut aguntur, solus S. Pontifex aut œcumenicum concilium judicent. — Unitas enim fidei nimis facile læderetur, si quivis Episcopus seorsim ab aliis in hujusmodi quæstionibus judicare posset, siquidem singuli Episcopi seorsim sumpti sunt fallibiles.

Quod vero ad potestatem legislativam, judiciariam et coercitivam attinet, Episcopus potest leges ferre, circa ea omnia, quæ ad divinum cultum ordinandum, ad disciplinam tuendam et fidei depositum integre custodiendum spectant, iis tamen exceptis, in quibus intervenit lex superioris aut jus commune; judicat etiam clerum et populum suum, et pœnas delinquentibus infligit tum pro transgressione legum suarum, tum quoque pro transgressione legum superioris aut juris communis, iis tamen etiam exceptis, quæ superiori reservantur.

IV. Extensio jurisdictionis episcopalis quoad personas. Singuli Episcopi obtinent jurisdictionem in portionem tantum Ecclesiæ a S. Pontifice delimitandam. Hanc autem fuisse voluntatem Christi, in verbis quidem Christi non expresse continetur, legitime tamen ex iis deducitur. Ubi enim Christus corpus instituit Episcoporum, quod sub S. Pontifice Ecclesiam administraret, pro suprema sua sapientia, hanc suam institutionem ita sane ordinavit, ut non in perniciem ordinis et pacis sed in eorum stabilimentum tenderet. Jamvero data hypothesi, quod singuli Episcopi universalem habeant et exerceant per totam Ecclesiam jurisdictionem, quis non videt nullum fore ordinem, nullamque pacem in Ecclesia? Ergo dicendum est Christum voluisse, ut singuli Episcopi obtinerent tantum jurisdictionem in portionem quamdam Ecclesiæ, a S. Pontifice delimitandam.

Hæc doctrina confirmatur ex antiquissima Ecclesiæ praxi quæ aliud fundamentum habere non potest, ac Christi institutionem. Quomodo enim Episcopi, si Christus eis universalem per totam Ecclesiam concessisset jurisdictionem, tolerassent ut Pontifices ipsorum jurisdictionem ad Ecclesiæ portionem aliquam restringerent? — Antiquæ illius praxis testes sunt : S. Ignatius ad Ephesios scribens : « *Episcopi per terræ terminos definiti ex Jesu-Christi sententia;* » S. Cyprianus, *de unitate Ecclesiæ* : « *Episcopatus enim unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur*; » et *can. Apost.* XI, necnon *canon Nicænus* XV et V, quibus vetitum est Episcopis, derelicta Ecclesia sua, alienas invadere, et ab aliis excommunicatos recipere; et usus ille, quo quilibet Episcopus a nomine sedis suæ appellationem accepit, uti e subscriptionibus conciliariis patet. Diversam tamen sub hoc respectu fuisse Apostolorum jurisdictionem mox videbimus.

V. Modus exercitii jurisdictionis Episcopalis. Jurisdictio Episcopalis est *ordinaria* et *immediata;* id est, exerceri potest neglectis presbyteris, quorum curæ fidelium sanctificatio est commissa (seu immediate); necnon exerceri potest ordinario, seu

quotiescumque Episcopus id opportunum judicabit, non vero eo tantum casu, quo presbyteri munera sibi demandata non implerent.

Ratio autem nostræ assertionis est, quod Christus Dominus potestatem docendi et regendi contulit Episcopis, sola subjectione S. Pontifici in omnibus debita restrictam. Jamvero si Christus tam illimitatam Episcopis dedit potestatem, quo jure quis eam restringet, atque contendet eam non esse ordinariam aut immediatam?

VI. Dotes jurisdictionis episcopalis : sintne episcopi infallibiles; qua ratione sint fidei doctores?

R. 1° Certo singuli Episcopi infallibiles non sunt; nullus enim in Scripturis datur textus, nullumque in traditione testimonium, unde erui possit infallibilitatem eis singulis a Christo esse promissam; nec quisquam eam episcopis singulis unquam vindicavit.

Verum quamvis singuli Episcopi infallibilitatis dote non fruantur, non sunt tamen eo modo tantum doctores, quo meri presbyteri; sunt enim doctores speciali instructi auctoritate. Etenim *a)* ex officio divinitus instituto jus habent prædicandi, custodiendi et propagandi fidem; et *b)* jus habent exigendi, ut ipsi audiantur, et ea doctrina, quam proponunt, audiatur et credatur; uti deducimus e verbis Christi apud *Matt.* XXVIII, et *Marc.* XVI ad Apostolorum cœtum dictis : « *Euntes docete* » *omnes gentes... qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus* » *erit, qui vero non crediderit, condemnabitur; .... ego enim* » *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem* » *sæculi.* » Liquet enim Jesum per hæc verba non tantum cœtui in synodo congregato, sed et cœtui disperso, et proinde singulis membris hæc jura conferre; nam fieri certo non poterat ut cœtus pastorum in synodo congregatus iret juxta Jesu mandatum in omnes gentes, ad eas docendas et baptizandas.

Si autem quis dicat : *Falso contenditur Episcopum posse*

fidem exigere prædicationi suæ, cum ipse sit fallibilis, et proinde fieri possit, ut falsam proponat doctrinam; respondemus : ut teneamur ad aliquod punctum fide credendum, non requiritur ut infallibili certitudine nobis constet, hoc punctum vere esse revelatum, sed satis est, ut *prudenter* timere non possimus hoc punctum immerito fidei nostræ tamquam revelatum proponi. Jamvero, ubi Episcopus fidem docet, debent subditi ejus, nisi specialis et firma dubitandi ratio occurrat, ex ipsa Christi institutione præsumere, ipsum recte docere. Episcopus enim a Christo tamquam fidei doctor est institutus et ad fideles missus. Jamvero qui legatum ad suos mittit subditos, certe vult, ut ipsi præsumant hunc legatum recte agere, donec firma detur dubitandi ratio, et ejus verbis fidem adhibeant. Ergo et Christus, Episcopos ut legatos suos instituens, et omnibus mandans sub damnationis pœna, ut fidem ab eis accipiant, certe voluit ut præsumeretur ab omnibus Episcopos recte fidem proponi, nisi quædam adsit dubitandi ratio. In hoc autem casu, quis certe non teneretur neque etiam posset credere : non tamen externe posset Episcopi doctrinam contemnere et improbare, donec, re ad superius tribunal delata, a superiori judice Episcopus improbetur. Cum enim Episcopus munus habeat docendi, in foro externo pro doctrinæ ejus rectitudine præsumitur, quoadusque ipsa a superiori judice respuatur.

Est autem differentia inter præsumptionem, quæ stat pro Episcopo et præsumptionem propter quam pueri, discipuli, fideles tenentur parentibus, magistris et parochis credere; illa enim fundatur in jure divino ex Christi institutione oriundo ac vim habet in foro externo; dum e contra cæteræ præsumptiones oriuntur tantum ex jure naturali et unice in foro interno valent.

R. 2° Episcoporum cœtus universus, S. Pontifice autem non comprehenso, nequit infallibilitatem in docendo sibi vindicare; ac proinde sententia etiam unanimiter in generali concilio prolata, sed nondum a S. Pontifice confirmata, censeri non debet

infallibilis. Ex Christi enim institutione Petrus, et ipse solus, munus habet fratres confirmandi in fide. Qui autem in fide ab alio confirmandi sunt, ii ex se infallibiles certe non sunt; sed Episcopi omnes, sive seorsim, sive simul sumantur, a Petro sunt confirmandi in fide; ergo Episcopi, etiam ubi omnes simul sumuntur, Pontifice vero excluso, infallibiles non sunt.

Verum cum cœtus iste, non quidem judicium de re non definita profert, sed testis est *fidei definitæ et amplectendæ*, infallibile est testimonium ejus. Si enim hac in re erraret, corrumperetur fides Ecclesiæ universæ; quod est contra Ecclesiæ indefectibilitatem. Inde, ad demonstrandam fidei veritatem, solemus in theologia provocare ad unanimem Patrum consensum, tamquam ad infallibilem fidei regulam.

R. 3° Totus Episcoporum cœtus una cum S. Pontifice, sive in generali concilio congregatus, sive per orbem dispersus, si assentiente S. Pontifice aliquid in rebus fidei et morum docet et prædicat, infallibilitatis prærogativa est præditus. Id enim patet ex promissionibus Christi, quibus pastorum corpori, omni præcisione facta ab eorum congregatione, vel dispersione locali, confertur infallibilitas in docendo (pag. 133).

Quam maxime igitur hic attendatur, non ea tantummodo ut infallibiliter certo revelata esse habenda, quæ in Ecclesia, aut solemni locutione e cathedra, aut judicio concilii œcumenici sunt definita, sed ea quoque, quæ uti dicit *Const. Dei Filius* cap. III, *ordinario et universali magisterio proponuntur*. Hoc autem ordinarium et universale magisterium nihil aliud est quam doctrina illa, quam Episcopi, una cum S. Pontifice, in bullis, mandatis, litterisque suis, in catechismis populo traditis, in prælectionibus seminariorum, in libris quos approbant aut damnant, in liturgicis precibus, in libris quos ipsi conscribunt, in sermonibus ad populum habitis, ut divinitus revelatam proponunt. In isto magisterio quotidie et omni hora impletur a corpore Ecclesiæ docente istud mandatum a Christo acceptum :

« *Euntes, docete omnes gentes* »; et verificatur quoque constanter Christi promissio huic corpori facta : « *Ecce ego vobiscum* » *sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* »

VII. Discrimen inter potestatem Apostolorum, et potestatem Episcoporum, qui eorum sunt successores.

Unanimis Patrum et theologorum consensus, necnon ipsa ratio theologica, aperte nos docent, Apostolos peculiari ornatos esse potestate, quæ successoribus eorum non erat transmittenda. De testimoniis traditionis, cum nemo est qui ea neget, opus non est ut dicamus; attendamus ergo unice ad rationem theologicam, quæ simul rem demonstrabit et explicabit.

Apostoli, ex ipso munere, quo constituti sunt *primi* legati Christi et Ecclesiæ *fundatores*, necessario habuerunt sequentia sibi propria : 1° ut revelationem immediate a Christo et a Spiritu Sancto susceperint, et constituti sint organa novarum revelationum, quibus tota revelatio christiana compleretur; 2° ut essent instructi singuli a Christo jurisdictione universali pro universa Ecclesia; 3° ut essent singuli infallibiles fidei doctores.

Liquet primum ad solos Apostolos pertinere, quum soli acceperint a Christo et a Spiritu Sancto depositum divinarum revelationum; successores autem eorum non immediate a Deo sed ab Ecclesiastico magisterio fuerint edocti, neque proinde sint organa novæ revelationis, sed revelationis jam ab Apostolis transmissæ.

Secundum quoque, ipsis solis fuisse proprium ex Scriptura et Traditione constat, et ex speciali eorum missione fluebat. Cum enim Ecclesia nondum erat fundata, neque fides per gentes propagata, quomodo potuisset restringi singulorum Apostolorum jurisdictio ad aliquam diœcesim, cum onere ad Petrum recurrendi pro majoribus causis? Propaganda sane erat fides, et quidem late extendenda, antequam diœceses possent erigi et Episcopi cum restricta jurisdictione eis præfigi.

Tandem infallibilitas in docendo Apostolis peculiari dono, successoribus non transmittendo, propriam fuisse, fluit ex ipso illorum munere. Si enim Ecclesia debet esse infallibilis, ut fidei depositum servetur integrum, debuerunt sane infallibiles quoque esse primi promulgatores harum revelationum. Nec satis erat, ut unus Apostolus, Petrus scilicet, in eis communicandis infallibilis esset; nam oportebat ut in tanto negotio plures essent testes, uti ipse Christus ostendit duodecim eligens Apostolos. Præterea neque poterat fieri, ut sub Ecclesia nascente, peregrinantibus ubique Apostolis, recurrendum esset ad Petrum, ut obtineretur infallibilis circa fidem doctrina.

Notetur tamen Apostolos, quamvis tanta fuerunt prædíti potestate, obnoxios semper mansisse Petro, et debuisse Ecclesias, quas fundabant, ei subordinare, tamquam unitatis Ecclesiasticæ capiti et centro.

CAPUT TERTIUM

De conciliis œcumenicis

Concilium œcumenicum seu generale, uti ex sacro loquendi usu constat, est *cœtus seu congregatio totius corporis docentis et regentis Ecclesiam.*

Concilium enim significat cœtum seu congregationem de rebus ecclesiasticis agentem; *œcumenicus* significat terram habitatam, et inde valet idem ac « universalis, generalis »; quocirca, usu sic volente, cœtus totius corporis docentis et regentis Ecclesiam, S. Pontificis scilicet et Episcoporum, dicitur concilium œcumenicum. Quæ de hisce conciliis dicenda habemus, in tres coarctabimus articulos, quorum 1^us^ erit de conditionibus ad legitimum concilium generale requisitis; 2^us^ de auctoritate hujusmodi concilii; 3^us^ de ejus in Ecclesia necessitate.

ARTICULUS I

De conditionibus ad legitimum concilium œcumenicum requisitis.

Quatuor hic sunt inquirenda : 1° a quonam concilium œcumenicum sit convocandum, et quinam ad illud vocandi sint; 2° quantus requiratur præsentium numerus; 3° quomodo concilium sit celebrandum; et 4° quomodo concilii generalis decreta sint confirmanda.

I. *A) Quis debet concilium œcumenicum convocare?* Concilia œcumenica a S. Pontifice sunt convocanda, ita ut nisi concilium convocetur ab ipso vel ab alio de ejus consensu et auctoritate, aut saltem nisi ab alio facta, ab ipso rata habeatur convocatio, non possit esse concilium generale seu œcumenicum.

Ratio responsi est, quod illi soli competit hæc potestas, qui omnibus Episcopis permittere potest, ut in unum conveniant ad universæ Ecclesiæ negotia tractanda, et qui potest eos ad id cogere; jamvero solus S. Pontifex, utpote supremus omnium pastor et rector, id potest; ergo.

In casu tamen schismatis, in quo dubii forent Pontifices, ut tempore schismatis occidentalis, possent Ecclesiæ prælati, qui altiora obtinent munera, concilium œcumenicum convocare, ad dandum Ecclesiæ certum Pontificem, sed ad nihil aliud. Quod si istud concilium aliquid definiat circa fidem et mores, aut generalem ferat legem; hæc omnia non erunt rata et firma, nisi a sequente Pontifice confirmentur.

Notetur idem esse, si S. Pontifex per se ipsum concilium convocet, aut si convocationi ab alio factæ consentiat, aut hujusmodi convocationem ratam habeat, modo convocatio ultimatim fiat auctoritate S. Pontificis. Inde facile solvuntur objectiones quibus adversarii conantur demonstrare vetera concilia, quæ ab omnibus ut legitima habentur, non a summis pontificibus, sed ab Imperatoribus fuisse convocata. Hæc enim concilia, uti præclara historiæ documenta testantur, fuerunt

quidem ab Imperatoribus convocata, sed non nomine ipsorum, verum auctoritate S. Pontificis, a quo erant rogati. Hac œconomia usi sunt S. Pontifices, quia, sine Imperatorum auxilio, nonnisi difficulter potuissent Episcopos congregare. Tum enim timendæ erant seditiones, tum quoque Patres ad concilium concurrentes indigebant Imperatorum auxilio pro itineris securitate et impensis.

B) Quinam ad concilium œcumenicum vocandi sunt? Cum œcumenicum concilium sit cœtus pastorum et doctorum Ecclesiæ, ad illud omnes sunt vocandi, qui ex Christi institutione, aut ex institutione Ecclesiæ, pastoris et doctoris munus habent.

Ex divino jure munus episcopale est munus doctoris et pastoris, ac proinde ex divino jure ad generale concilium vocandi sunt 1° omnes Episcopi consecrati et habentes jurisdictionem; 2° Episcopi nondum consecrati sed jurisdictionem habentes, quod tamen ab aliquibus, sed ob infirma motiva, negatur. 3° An autem ex divino jure vocandi sint Episcopi in partibus infidelium, qui consecrati quidem sunt, sed jurisdictione carent, disputatur; de facto autem ad Vaticanum concilium a Pio IX fuerunt vocati.

Præterea ex jure ecclesiastico vocandi sunt : 1° Cardinales, qui Episcopi non sunt; et 2° Generales Ordinum, et Abbates exempti atque ab Episcopo benedicti.

II. *Quis Episcoporum numerus requiritur ad concilium œcumenicum?*

R. 1° Certo non requiritur, ut omnes omnino totius orbis Episcopi adsint : patet tum ex usu; nullum enim fuit celebratum concilium, cui omnes totius orbis Episcopi adfuerint; tum quia alias impossibile foret celebrari concilium œcumenicum, cum semper aliqui Episcopi, sive propter infirmitatem, sive propter senectutem, aliasve causas, adesse non possent.

2° Indubie etiam non requiritur certus Episcoporum numerus; quia id neque ex Scriptura, neque ex Traditione, neque ex usu

habetur, cum in conciliis generalibus hucusque habitis, modo plures, modo pauciores fuerint Episcopi.

3° Requiritur autem et sufficit, ut generali omnium Episcoporum catholicorum convocatione facta, aliqui ex diversis Ecclesiæ provinciis conveniant, ita ut eorum conventus inspectis locorum, temporum et personarum adjunctis, generale concilium dici possit.

III. *Cujus est concilio œcumenico præsidere?*

R. Eodem titulo, quo ad solum S. Pontificem pertinet concilii convocatio; ipsius quoque solius est ei præsidere. Etenim cum œcumenicum concilium sit cœtus corporis docentis et regentis Ecclesiam et hujus corporis S. Pontifex sit caput, petra et pastor; liquet S. Pontifici et ipsi soli competere, ut plena cum potestate concilium dirigat atque ordinet, causas tractandas proponendo, disputandi modum determinando; etc. — Potest autem S. Pontifex præsidere concilio aut per se ipsum, aut per legatos suos.

Legitur quidem in historia aliquando Imperatores conciliis præfuisse; verum, uti e certis documentis constat, eorum præsidendi modus in eo situs erat, ut judiciorum consultationumque prospicerent ordini, et conventus tuerentur tranquillitatem.

IV. *Quomodo concilii generalis decreta sunt confirmanda?*

R. Ut hæc decreta vim omnes obligandi habeant, a S. Pontifice sunt confirmanda. Etenim, uti supra jam diximus, suprema potestas cœtui pastorum inest; verum ipsi non inest ratione æqualis potestatis, quæ singulis pastoribus sit propria, sed ratione primatus S. Pontificis qui plenitudine potestatis ecclesiasticæ fruitur; ergo liquet, concilii œcumenici decreta, summam atque universalem vim, qualis omnibus œcumenicorum conciliorum decretis inesse agnoscitur, habere non posse ex solo Episcoporum voto, sed eam obtinere per S. Pontificis confirmationem.

Quum dos infallibilitatis sit omnino S. Pontifici propria, aliis

incommunicabilis, sequitur S. Pontificem neminem *universali mandato delegare* posse, ut suo nomine concilii decreta de fide aut leges confirmet, nam tum ad fidei definitiones tum ad leges universales confirmandas, infallibili opus est judicio. — Diximus *mandato universali,* h. e. absque determinatione tale aut tale decretum a S. Pontifice recognitum confirmandi.

Posset autem S. Pontifex concilium confirmare ope delegati, *speciale* mandatum circa hoc vel illud decretum ab Ipso recognitum habentis; verum hujusmodi confirmatio, uti liquet, haud discrepat ab illa quæ fit per ipsum pontificem.

ARTICULUS II

De potestate concilii œcumenici

Potestas œcumenici concilii ita est *definienda :*

I. Concilium œcumenicum a S Pontifice confirmatum, est infallibile in definiendis quæstionibus fidei et morum, atque in universam Ecclesiam exercet supremam potestatem legislativam, judiciariam et coercitivam.

Id probatur in primis ex iis omnibus, quibus demonstravimus (Cfr. p. 117 et seqq.) Ecclesiam docentem et regentem infallibilem esse, et supremam habere universalem potestatem legislativam, judiciariam et coercitivam; nam concilium œcumenicum est illa Ecclesia docens et regens.

Probatur quoque ex iis omnibus, quibus demonstravimus infallibilitatem et supremam potestatem S. Pontificis; quæ dotes evanescerent si concilium *a S. Pontifice confirmatum* errare posset, aut supremas et universales non posset ferre leges.

II. Concilium œcumenicum non est supra S. Pontificem; et idcirco appellari non potest a S. Pontifice ad œcumenicum concilium.

Etenim, concilium œcumenicum vel est cum S. Pontifice, vel est sine S. Pontifice : si sit cum S. Pontifice, frustra appellaretur a S. Pontifice ad œcumenicum concilium, cum

tribunal hujus concilii non sit distinctum a tribunali S. Pontificis. Si vero concilium sit sine S. Pontifice, iste cœtus pastorum potestate inferior est S. Pontifici, utpote ab Ipso confirmandus, stabiliendus et pascendus; ac proinde cum appellari non possit de superiore ad inferiorem, patet appellari non posse a S. Pontifice ad œcumenicum concilium S. Pontificem non comprehendens.

Sententia opposita, orta est sæc. XIII, tempore et occasione dissidii inter Bonifacium VIII et Philippum regem Galliæ : celebris vero evasit initio sæc. XV, occasione schismatis occidentalis. Plures enim tunc temporis idcirco eam amplexi sunt, quod medium aliud ad tristissimum schisma tollendum non reperirent: proinde hanc superioritatem defendisse non videntur nisi pro casu schismatis sive Pontificis incerti. Illam illimitate ultro amplexi sunt Janseniani, Febroniani et Regalistæ; secundum hosce potestas ecclesiastica principaliter residet in Ecclesia, ex qua in Pontificem velut in caput ministeriale, ipsi Ecclesiæ obnoxium, redundat. Fatendum tamen est, præter hos etiam alios theologos, præsertim gallicanos, innixos imprimis Concilii Constantiensis decretis, tueri, ita S. Pontificem esse super concilia particularia, ut tamen sit subjectus synodo universali; quam doctrinam etiam amplexus est clerus gallicanus in sua famosa declaratione anni 1682, art. 2. — Verum hæc sententia implicite jam in conc. Florentino damnata (cfr. supra pag. 188), expresse proscripta est in Vaticana concilio (cfr. pag. 196).

III. Concilium œcumenicum, quamvis altiorem et pleniorem auctoritatem divinam non habeat, quam S. Pontifex, habet tamen divinam autoritatem solemniorem et splendidiorem; atque insuper habet summam auctoritatem humanam sibi propriam.

a) Liquet œcumenicum concilium non habere divinam auctoritatem altiorem et pleniorem quam ipse S. Pontifex, cum supremam suam autoritatem a capite suo, S. Pontifice, accipiat.

b) Concilium œcumenicum habet tamen auctoritatem divinam,

quæ est solemnior et splendidior. In decretis enim conciliariis non tantum locum obtinet auctoritas suprema S. Pontificis, sed etiam auctoritas inferior corporis Episcoporum; emanant nempe hæc decreta a toto corpore Pastorum et Doctorum. Jamvero nonne solemnius et splendidius est hoc decretum, quod edit rex simul cum omnibus judicibus et ministris sibi inferioribus, quam illud quod rex per se solum ederet?

c) Habet quoque sibi propriam summam auctoritatem humanam qualis actibus pontificiis non inest. — Auctoritas humana, quæ inest alicui doctrinæ propositæ, aut vivendi normæ præscriptæ, oritur ex veracitate, scientia, prudentia et sanctitate auctorum hujusmodi decreti, et quo major est testium, doctorum et legislatorum numerus, eo major quoque erit auctoritas decretorum seu legum, quia facilius evenire potest, ut unus fallat aut fallatur, quam multi. Si vero magnus doctorum et legislatorum cœtus sanctitate et scientia excellens, decretum edat, certo summam apud omnes obtinet auctoritatem et, ratione id jubente, præsumetur doctrinam in isto cœtu propositam esse veram, aut legem præscriptam esse æquam et justam. — Proinde cum concilium œcumenicum sit corpus pastorum et doctorum totius Ecclesiæ, sanctitate et scientia excellens, liquet illud frui, abstractione facta ab infallibilitatis dote divinitus collata, summa auctoritate humana, ita ut homo prudens quivis debeat, doctrinam et leges in hoc concilio propositas maximo in pretio habere.

Notetur illam solemnitatem et hanc summam auctoritatem humanam, non constituere *essentiale* discrimen, sed *accidentale* tantum, inter decreta Concilii et decreta pontificia. Essentialis enim auctoritas utriusque generis decretorum oritur ex infallibilitate et suprema auctoritate divinitus accepta S. Pontificis, et est prorsus eadem in utroque genere; solemnitas vero decretorum concilii et humana eorum auctoritas hanc supremam auctoritatem divinam non auget aut intrinsece roborat, sed unice eam ornat, et aliam auctoritatem in se longe inferiorem ei adjungit.

Observanda I. Contra assertionem supra datam : « *concilium œcumenicum est cœtus pastorum et doctorum Ecclesiæ, et idcirco obtinet omnem illam potestatem, quæ huic corpori est propria ;* » ita objici posset : nunquam in concilio œcumenico totum corpus pastorum et doctorum adest, ergo potestas huic corpori propria œcumenico concilio non convenit. — Verum respondemus : potestas œcumenici concilii non oritur ab Episcopis, sed tota venit ex S. Pontifice ; unde ex majori vel minori Episcoporum præsentium numero, neque major neque minor fit postestas œcumenici concilii.

II. Cum potestas œcumenici concilii a S. Pontifice oriatur, patet non requiri majorem votorum partem, ut quid a S. Pontifice confirmetur. Non enim tenetur Pontifex majorem votorum partem sequi, cum isti Episcopi sint fallibiles, et infallibilitatis dos Pontifici insit.

III. Quod ad personalem dignitatem et potestatem Episcoporum qui in concilio œcumenico præsentes sunt, attinet, hæc sunt notanda : 1° ipsi non sunt *meri consultores*, sicuti theologi et canonistæ qui ad concilium præparandum et juvandum vocantur, sed ex divina institutione sunt *veri judices* et *legislatores*, subordinati tamen S. Pontifici ; 2° Exercent in concilio majorem jurisdictionem, quam ubi sunt in sedibus suis ; in concilio nempe exercent potestatem doctoris et pastoris in universam Ecclesiam, quamvis dependenter a S. Pontifice, dum in sedibus suis nonnisi in diœcesanos suos potestatem habent.

ARTICULUS III

De œcumenici concilii necessitate

Prænotandum. Duplex potest distingui necessitas : *necessitas stricte dicta*, quæ oritur ex lege ; et *necessitas minus stricte dicta* quæ æquivalet summæ utilitati.

Quibus prænotatis, quæstionem de necessitate conciliorum œcumenicorum ita solvimus :

1° *Celebratio conciliorum œcumenicorum non est stricte necessaria*; et ratio est quod in S. Scriptura aut in Traditione nihil habetur, unde erui possit Christum Dominum positiva lege celebrationem conciliorum œcumenicorum mandasse, ita ut pertineret ad Ecclesiæ constitutionem, non secus ac primatus et episcopatus. — Præterea hæc stricta necessitas etiam non fluit ex potestate œcumenici concilii, nam ejus potestas essentialis superior non est illi quam habet S. Pontifex; quod enim potest concilium generale, id et potest S. Pontifex solus.

2° *Celebratio conciliorum œcumenicorum tamen est dicenda necessaria necessitate minus stricte dicta.* — In primis liquet celebrationem hujusmodi concilii organizationi Ecclesiæ congruere. Cum enim ex Christi institutione quidam sint sub S. Pontifice doctores et pastores, æquum sane est, ipsa ratione duce et praxi cujusvis societatis id confirmante, ut in solemnioribus et difficilioribus circumstantiis, S. Pontifex et omnes sub ipso pastores in unum conveniant, ad Ecclesiæ necessitatibus subveniendum.

Præterea œcumenicum concilium adfert summam utilitatem : etenim præstat S. Pontifici pro recta administratione *summum juvamen*, et quandoque est *unicum fere remedium* ad pacem et unitatem in Ecclesia stabiliendam.

Quamvis enim Pontifex sit infallibilis, non debet tamen in controversiis fidei judicandis solo suo judicio fidere, aut exspectare divinam revelationem, sed adhibere diligentiam quantum tanta res postulat, et ordinariis uti mediis. Jamvero quodnam medium magis opportunum habetur, quam consultatio eorum, quos Deus doctores posuit in Ecclesia sua? Attamen ex hac parte concilium œcumenicum stricte necessarium dici nequit. Potest enim Pontifex examen de re definienda aliis mediis peragere, aut per concilium particulare, aut expostulando sententiam Episcoporum per mundum dispersorum, quemadmodum id factum est pro definitione Immaculatæ Conceptionis B. M. V. —

Si nunc attendamus ad canones disciplinares, facile etiam patet summam in his conficiendis præberi Pontifici utilitatem a concilio œcumenico. Etenim cum hujusmodi canones attemperandi sunt exigentiæ et utilitati Ecclesiæ universalis, consultatione sane opus est, et illam potissimum singuli Episcopi, quippe qui diœcesis suæ statum cognoscunt, suppeditare valent.

Deinde concilium œcumenicum quandoque quasi unicum esse efficax remedium ad paci et unitati Ecclesiæ consulendum, ita demonstratur : in primis, ubi quædam dissensio existit a parte Episcoporum, celebrato œcumenico concilio, per uberiorem rei intelligentiam et communem laborem, fructuosius manus apponetur ad eam sedandam. — Deinde qui hæresi aut schismati adhærent, necnon generatim omnes fideles minus ferventes multo facilius decreta concilii œcumenici quam statuta a solo Pontifice edita accipient, ob majorem nempe illorum solemnitatem et humanam auctoritatem (Cfr. pag. 232) ; homo enim ratione seu rationalibus argumentis ducitur ad fidem et vacillans in ea firmatur. E quibus omnibus liquet : celebrationem œcumenici concilii esse summopere utilem, et aliquando vere necessariam necessitate minus stricte dicta.

Hanc demonstrationem confirmat historia. Apostoli, ad sedandam primam fidei controversiam in Ecclesia ortam, concilium convocarunt. Pontifices deinde ab Ecclesiæ initiis ad nostra tempora, quoties paci et unitati Ecclesiæ consulendum cum peculiari diligentia erat, et circumstantiæ id permittebant, etiam œcumenica celebrarunt concilia.

SCHOLION I.

Postquam, de singulis hierarchiæ jurisdictionis muneribus disserendo, varia infallibilitatis subjecta invenimus, pro majori rei claritate ea simul exhibebimus in hoc scholion. Sunt autem sequentia :

1° S. Pontifex e cathedra loquens.

2° Ecclesia docens (S. Pontifex et Episcopi) in concilium congregati; cujus definitiones a definitionibus pontificiis discrepant ratione multo majoris solemnitatis et auctoritatis humanæ.

3° Ecclesia docens per mundum dispersa, in aliquod doctrinæ fidei punctum consentiens; quod doctrinæ organon solemnitate, quæ decretis conciliariis inest, caret; auctoritatem autem humanam sat magnam habet, majorem nempe quam definitiones pontificiæ ob multorum testium et doctorum consensum, sed minorem quam decreta conciliaria, ob absentiam collationis suffragiorum et antecedentis disputationis. — Consensus autem Ecclesiæ docentis dispersæ innotescit variis modis : *a)* per constitutiones Pontificias e cathedra non editas, quibus omnes Episcopi subscribunt; *b)* per decreta conciliorum particularium, quæ ab aliis Ecclesiis approbantur et acceptantur; *c)* per consensum SS. Patrum et Theologorum; *d)* per catechismos, doctrinam Seminariorum et Universitatum ab Episcopis dependentium, libros liturgicos etc.

Notetur tertium organon, Ecclesiam docentem dispersam constantis et perennis esse usus; primum vero et secundum, S. Pontificem nempe et Concilium œcumenicum, pro casibus extraordinariis inservire.

Notetur quoque universalem fidelium in aliquod doctrinæ fidei punctum consensum, ob passivam Ecclesiæ credentis infallibilitatem, infallibile etiam esse argumentum veritatis hujus doctrinæ.

SCHOLION II

Ostendimus hierarchiam jurisdictionis ex divina institutione componi Primatu et Episcopatu; inde cætera jurisdictionis munera, quæ in Ecclesia nunc existunt, qualia sunt : Cardinalatus, Patriarchatus, Metropolitatus, sunt meræ institutionis Ecclesiasticæ. Hæc autem omnia ab Ecclesia regente institui possunt, ob plenitudinem potestatis ejus; modo intacta relinquantur munera a Christo instituta.

CAPUT QUARTUM

De erroribus circa Ecclesiæ Christi hierarchiam jurisdictionis

Inter errores, qui hac in materia prodierunt, alii jurisdictionis hierarchiam divinitus institutam penitus negant; alii eam penitus non negant, sed pervertunt; alii tandem eam hierarchiam, prouti supra est definita, admittunt, sed justo latius eam extendunt.

ARTICULUS I

Errores hierarchiam jurisdictionis divinitus institutam penitus negantes

1° Protestantes omnes, exceptis Anglicanis, tamquam principium fundamentale habent, omnem jurisdictionem et potestatem esse negandam; et inde rejiciunt omnem hierarchicam potestatem, potestatem scilicet Papæ et Episcoporum, nullamque aliam reipsa admittunt nisi rationem uniuscujusque hominis. — Ad negandam autem omnem hierarchicam potestatem adductus est Lutherus, Protestantismi pater, per principium suum de essentiali corruptione naturæ humanæ per peccatum Adæ et de exstinctione liberi arbitrii. Si enim omnis homo sit essentialiter malus, non potest quis, utpote malus, præponi ut regat alium in ordine ad sanctitatem; et si non simus liberi, ad nihil inservit potestas docendi cum auctoritate, et potestas legifera, judiciaria et coercitiva.

2° Moderni Radicales et Socialistæ etiam omnem hierarchicam organizationem, quemadmodum societati civili, etiam Ecclesiæ denegant. — Ipsi enim sequentia propugnant principia : 1° Quoniam experientia compertum est, maximam partem

hominum, qui socialem vitam agunt, miseria, doloribus et ærumnis premi, colligere licet præposteram et defectuosam esse societatis actualis constitutionem, nec præfatis malis aliter remedium posse afferri, nisi vetus societas funditus subvertatur novaque constituatur; 2° Opus est, ut hæc nova societas hisce fundamentis tamquam supremis legibus innitatur : *a)* homines omnes perfecta gaudent æqualitate, nec aliud discrimen inter ipsos est agnoscendum, nisi discrimen sexus et ætatis; *b)* omnes hominis facultates, vires et inclinationes æque legitimæ sunt in seipsis, bonæ atque divinæ, nec proinde ullatenus coercendæ; 3° ergo e medio tollere oportet, quidquid aut applicationem principii æqualitatis, aut prædictarum virium et inclinationum evolutionem satisfactionemve impedit aut quomodolibet coercet; 4° quare delere oportet e societate *a)* auctoritatem publicam, *b)* dominium proprietatis, *c)* jus hæreditarium, *d)* matrimonium seu proprietatem uxoris; siquidem hæc omnia libertatem agendi uniuscujusque hominis atque evolutionem et satisfactionem virium et passionum naturalium præpediunt, eaque ratione sunt origo dolorum et miseriæ, quæ hominem in actuali vita affligunt. — Inter socialismi primos fautores eminent : *Claudius de Saint-Simon,* qui natus Parisiis an. 1760, ibidem obiit 19 Maii 1825; *Robertus Owen,* qui natus in Anglia an. 1771, tum in Anglia, tum in America socialismum prædicavit; *Carolus Fourrier,* qui natus Besuntii, an. 1772, obiit Parisiis an. 1837; *Proudhon* qui natus est in Gallia an. 1809, et ibidem obiit an. 1865; et *Ludovicus Blanc,* qui natus est in Hispania versus annum 1810, et usque ad nostros dies falsas suas in Gallia sparsit doctrinas. — Totum vero illud socialistarum systema refelli potest ostendendo omnino necessariam esse potestatem in omni societate; quod quidem ita demonstratur. — In societate voluntates ad unicum finem conspirare debent communi consensu. Atqui conspiratio istæc absque auctoritatis moderamine ac ductu haberi nequit. Etenim conspiratio operationum haberi nequit, nisi socii

mente et voluntate in iisdem mediis adhibendis, pro sua quisque parte, adhibeant. Sed mentes voluntatesque hominum non sunt ad unum determinatæ, naturali necessitate. Ut ergo in tanta opinionum, studiorum ac propensionum varietate, ad certa quædam media adhibenda determinentur, necesse est ut adsit vis aliqua, quæ et operandi modum præfiniat et omnium voluntates ad operandum obligare valeat. Hæc autem vis est auctoritatis socialis : ergo potestas socialis ab ipsa societatis essentia requiritur.

ARTICULUS II

Errores hierarchiam jurisdictionis non negantes sed pervertentes

I. Primus error est *Multitudinistarum,* qui nempe contendunt omnem potestatem ecclesiasticam immediate ipsi fidelium communitati, e qua in hierarchiam derivatur, collatam fuisse; vocantur autem Multitudinaristæ quia supra potestatem S. Pontificis ponunt potestatem *multitudinis* fidelium, uti omnis potestatis fontem. Docent igitur jurisdictionem ecclesiasticam *primo, proprie* et *essentialiter* toti multitudini competere, Papæ vero et Episcopis *instrumentaliter, ministerialiter* et *quoad executionem.*

Hunc errorem in primis professus est *Edmundus Richerius* (sæc. XVII), Doctor Universitatis Parisiensis; eam instauravit *Quesnellus* Jansenista (1634-1719), uti patet ex propositione ejus XC damnata a Clemente XI : « Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis. » Idem docuit *Febronius* sæc. XVIII, et *pseudosynodus Pistoriensis* anno 1786; atque secundum hanc doctrinam edita est an. 1790 *constitutio civilis Cleri,* in qua forma regiminis ecclesiastici auctoritati civili h. e. populo subjiciebatur. Tandem nostris diebus eadem illa pestifera principia proposuerunt et proponunt *Nepo-*

mucenus Nuytz professor Taurinensis (an. 1850); *Dœllinger* qui tempore concilii Vaticani sequentem ausus est proferre doctrinam : « Episcopi munere legatorum multitudinis fidelium » in concilio funguntur; et debent nomine omnium fidelium de- » clarare quid singuli credant. Sunt igitur vere legati, et præter » legationem suam nullam potestatem habent. Si quid statuerent » præter rem sibi demandatam, Ecclesia seu multitudo fidelium » id non confirmaret »; et *Dr Josephus Langen*, qui in opere : « *Vaticanum dogma* » an. 1876 edito *Bonn.*, expresse docet totam potestatem ecclesiasticam penes multitudinem primario esse.

Hæc autem sententia facile refellitur, tum ex eo quod ipsa ex nullo testimonio aut Scripturæ aut Traditionis demonstratur, tum ex eo quod Scriptura et Traditio nobis exhibent Christum Dominum conferentem supremam potestatem S. Pontifici, et cum ipso Episcopis; et quidem cum onere eam propagandi successoribus suis, siquidem voluit ut munera jurisdictionis a se instituta perenniter in Ecclesia existerent.

II. Cæsaristæ etiam jurisdictionis hierarchiam pervertunt. Ipsi enim, uti nomen indicat, Cæsari seu principi civili supremam in Ecclesia tribuunt potestatem, cui se submittere tenentur et Episcopi et Pontifex.

Hujus doctrinæ propugnatores sunt : 1° *Marsilius Pativinus* et *Jandunus*, doctores Parisienses (sæc. XIV); 2° *Henricus VIII* et *Elizabetha* in Anglia, et 3° moderni *Naturalistæ politici* (les Libéraux), qui nostris diebus fere ubique sua principia spargunt et simul ad effectum adducunt.

Plena hujus doctrinæ confutatio habetur in verbis Christi ad Petrum *Matth.* XVI : *quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis;* e quibus patet mediam non haberi potestatem inter cœlum et Pontificem. (Cfr. p. 90 et art. III p. 93).

III. Episcopalistæ hierarchiam jurisdictionis pervertunt, ex ea auferendo primatum. Juxta ipsos enim potestas ecclesiastica

commissa est Apostolis, sed ita ut nullus Apostolus aut Episcopus cœteris præemineret potestate. Ita generatim *Anglicani* qui ad Ecclesiam Constitutam pertinent, et passim schismatici *Græci* et *Rutheni*. Ita quoque *Marcus Antonius de Dominis*, qui natus est an. 1566 et e vivis decessit an. 1625.

IV. Presbyteriani hic quoque citandi sunt. Ipsi enim sectam Anglicanorum constituunt, qui hierarchiam in Ecclesia Constituta seu Alta admissam et ordinem episcopatus, presbyteratus et diaconatus complectentem agnoscere noluerunt, et regimen ecclesiasticum e solis presbyteris contenderunt compositum. Vocantur quoque *Puritani* et non-conformistæ, quia dicebant Ecclesiam Constitutam adhuc multis ab inquinamentis catholicis esse purgandam.

V. Libertates Gallicanæ præfatis erroribus quoque accensendæ sunt utpote jurisdictionis hierarchiam divinitus institutam penitus pervertentes. Earum origo repetenda est a miserrima occidentalis schismatis epocha, quo ex tempore, politica potestate urgente, sensim illæ increvere, donec certis quibusdam solemnibusque formulis expressæ sunt in celebri declaratione anni 1682. Istæ autem propositiones sunt sequentes :

a) S. Pontifices nullam, ne indirectam quidem, habent potestatem in reges et negotia civilia. *b)* Auctoritas concilii generalis est superior potestati S. Pontificis. *c)* Potestas S. Pontificis restringitur per canones jam conditos totiusque mundi veneratione consecratos. *d)* Ejus potestas restringitur quoque per consuetudines in Gallia acceptas. *e)* S. Pontificis judicium censendum non est infallibile, nisi Ecclesiæ consensus accedat.

Quæ varia puncta confutata sunt, ubi egimus de Ecclesiæ potestate in principes civiles, de auctoritate suprema et plena S. Pontificis, de auctoritate concilii generalis et de infallibilitate S. Pontificis.

Varia hujus doctrinæ gallicanæ capita a pluribus scriptoribus catholicis, minus recte de potestate pontificia sentientibus, ante

Vaticanum Concilium admissa fuerunt; qui vero nunc, postquam lux veritatis per declarationem ultimi concilii nobis apparuit in tota plenitudine sua, ea admitteret, in hæresim caderet.

VI. Veteres catholici seu **Neo-protestantes,** qui, duce Joanne Dœllinger, tempore convocationis et celebrationis Concilii Vaticani orti sunt. Ipsi admittunt inprimis errores Multitudinistarum, et insuper denegant omnem infallibilitatem Ecclesiæ; nam contendunt S. Pontificem, necnon universos Episcopos et universos fideles in hæresim incidisse, quum definitiones Concilii Vaticani sanxerunt, et professi sunt.

ARTICULUS III

Errores jurisdictionis hierarchiam divinitus institutam justo latius extendentes

I. Inprimis commemorandus est error *Gersonis* (sæc. XIV-XV), qui censuit Parochos in Ecclesia esse ex institutione divina; eosque proinde si non ad hierarchiam jurisdictionis utpote jurisdictionem in foro externo non habentes, saltem ad hierarchiam administrationis divinitus institutam pertinere.

II. Jansenistæ etiam docuerunt parochos esse ex divina institutione; et hanc doctrinam dilatantes asseruerunt jus competere Parochis, ex divina institutione, decidendi controversias fidei et excommunicandi; atque ipsos esse ita pastores immediatos, ut Episcopus sit tantum pastor mediatus, unice nimirum officium habens ad supplendum Parochi defectum.

Ambæ illæ sententiæ sunt falsæ et ab universa Traditione alienæ. Parochiale munus, juxta Ecclesiæ canones, est *officium ministrandi ex obligatione et proprio nomine Verbum Dei et Sacramenta certo diœcesanorum numero, qui ab officium istud habente vicissim aliquatenus tenentur sacra recipere.* Jamvero hujusmodi munus a Christo Domino fuisse institutum neque ex Scriptura neque ex Patrum doctrina constat. Insuper

dici nequit a Christo institutum, cum longo tempore in Ecclesia non exstiterit, tum quoque quando nihil obstabat quominus divina institutio in actum deduceretur. Etenim primis tribus sæculis jam aucto fidelium numero ita ut posset certe non solum in Episcopatus, sed et in parochias distribui, nullus fuit parochus, sed omnem curam gerebat Episcopus, vel per se vel per presbyteros, quos pro *data occasione* mittebat ad fideles suos absque tamen habituali jurisdictione; et tantum sæc. IV in pagis, et sæc. XI in civitatibus cæperunt institui parochiæ. Atqui si parochiale munus a Christo fuisset institutum, non potuisset profecto Ecclesia illud tamdiu negligere. Unde legitime colligimus parochos non a Christo Domino sed ab Ecclesia esse institutos. — Ex institutione quidem Christi existunt presbyteri seu sacerdotes secundi ordinis, qui apti sunt ut ad parochiale munus assumantur; sed ex ejus institutione non debent esse parochi in Ecclesia. Quia autem parochiale munus de se aptum est ut multum conferat bono Ecclesiæ, necessitas huic bono providendi potuit Ecclesiæ superiores cogere ad hoc munus instituendum; quod quidem, historia teste, revera contigit.

Quod nunc ad Jansenianorum doctrinam attinet, haud longo sermone opus est ad eam confutandam. Ex argumentis contra Gersonem allatis jam constat munus parochiale a Christo non esse institutum. Si ergo contendunt parochis jus competere fidei quæstiones in synodis dirimendi, necnon excommunicandi, id demonstrare debent ex jure ecclesiastico seu ex legibus per Ecclesiam latis. Atqui Ecclesia nunquam, uti omnes fatentur, hujusmodi jura parochis concessit aut agnovit; ergo....

Falsæ illæ doctrinæ Gersonis et Jansenianorum præcipue fructus suos tulerunt in concilio Basileensi et in concilio Pistoriensi.

PARS QUARTA

De Notis Ecclesiæ

PRÆNOTANDA

Expedita quæstione, *an* et *quid* sit Ecclesia Christi, inquirendum nunc est, *an* et *quomodo* vera Christi Ecclesia, quæ perenniter existere debet, dignosci possit inter tot sectas, quæ singulæ se veras esse Christi Ecclesias volunt.

Quod ut præstemus, inprimis investigandum est an Ecclesia Christi quatenus *vera* visibilis sit; seu an vera Christi Ecclesia habeat notas, quibus inter falsas sectas dignosci possit; — dein quid requiratur ad veras notas constituendas; — et tandem quænam sint veræ notæ Ecclesiæ Christi.

CAPUT PRIMUM

Ecclesia Christi, tamquam vera, visibilis est

I. Explicatio. Duplex distinguitur visibilitas : *materialis* et *formalis*. Materialis Ecclesiæ visibilitas in eo consistit, quod Ecclesia externa hominum societas est, ad quam qui pertinent, signis externis cognoscuntur. Formalis autem Ecclesiæ visibilitas supponit eam tamquam veram Christi Ecclesiam a falsis dignosci. Quare quæstio, num Ecclesia Christi formaliter visibilis sit, alia non est quam hæc, num certis notis a falsis dignos-

catur sectis. — Supra ostendimus Ecclesiam Christi materialiter visibilem esse (pag. 63); hic vero ostendemus eam quoque formaliter visibilem esse, seu certas habere notas, quibus a falsis sectis dignoscitur.

II. Demonstratio. 1° Ecclesiam Christi certas habere notas, sequitur ex ejus *necessitate*. Christus enim voluit ut omnes homines in Ecclesiam intrarent (p. 19 sq.), et quidem in Ecclesiam veram : « *Attendite,* dixit Christus, *a falsis prophetis,* » *qui veniunt ad vos in vestimentis ovium.* » (*Matt.* VII, 15). Jamvero si vera Christi Ecclesia non haberet notas quibus a falsis sectis distingueretur, hoc Christi mandatum impleri non posset. Ergo...

2° Huc quoque faciunt varia *Scripturæ* loca. Ita apud Isaiam de Ecclesia legimus : « *Erit in novissimis diebus præparatus* » *mons domus Domini (Ecclesia) in vertice monitum, et ele-* » *vabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.* » *Is.* II. 2. (cfr. pag. 64). Quod autem Ecclesia in monte collocata et super *omnes* colles elevari dicitur, hoc eam adeo conspicuam esse certo postulat, ut internosci possit. — Pariter Christus *Matt.* V, 14 Ecclesiam suam civitati supra montem positæ comparat; ac proinde eam conspicuam et visibilem ostendit. Loquitur autem de visibilitate formali, quia visibilitas materialis non potest per se solam conducere ad finem ob quem Ecclesia est instituta. Ipsa nempe est magistra et dux omnium fidelium; atque ut talis debet posse agnosci.

3° Formalem Ecclesiæ visibilitatem expresse declaravit concilium Vaticanum in Const. « *Dei Filius* » Cap. III, ubi hæc leguntur : « *Ut autem officio veram fidem amplectendi,* » *in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus,* » *Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit,* » *sucque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tam-* » *quam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset* » *agnosci... Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in natio-*

» *nes, et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos* » *certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam* » *profitentur.* » E quibus verbis colligimus 1° veram Ecclesiam Christi ab ipso Fundatore suo notis distinctivis fuisse instructam; et 2° iis notis veram Christi Ecclesiam formaliter visibilem esse, ita ut inter omnes sectas sit conspicua et facile dignosci possit.

III. Doctrina Protestantium. Quod ad formalem Ecclesiæ visibilitatem attinet, Protestantes in reformationis suæ initio absque hæsitatione eam admiserunt, ut ex variis fidei confessionibus probat Bossuetius Lib. XV. Hist. Variat. Postmodum vero, cum urgerentur a catholicis petentibus, ubinam fuerit Ecclesia Reformatorum ante Lutherum et Calvinum; ut hac difficultate gravissima se expedirent, eam quidem dixerunt formaliter visibilem esse, sed ita tamen ut hæc visibilitas aliquando ferme aut etiam penitus extinguatur.

CAPUT SECUNDUM

De Ecclesiæ notis in genere

Postquam demonstravimus Ecclesiam Christi veras habere notas, jam inquiratur oportet de *natura* hujusmodi notarum. Jamvero ut hæc innotescat, quæri debet quid sit nota *in genere* sumpta; quænam sint notarum *species* hic attendendæ; et tandem *quales* debeant esse notæ Ecclesiæ, ut ipsa earum ope congrue agnosci possit.

I. Quid intelligitur per notam? Nomine *notæ* intelligitur signum, cujus ope aliquid tuto agnosci et ab aliis discerni possit. Unde ad rationem notæ hæc requiruntur : *a)* ut sit obvia et

fulgore suo oculos percellens; *b)* ut sit propria rei, quam manifestat; *c)* ut sit illa re, ad quam agnoscendam adhibetur, notior.

II. Quænam notarum species præcipue hic sunt attendendæ? Triplex notarum distinctio hic præcipue est attendenda : distinctio nempe in notas *positivas* et *negativas;* in notas *obscuras* et *claras;* in notas *sensibiles* et in notas *mere intelligibiles.*

Nota *positiva* hæc dicitur, quæ nonnisi isti rei, quam manifestat, est propria, et proinde eam indubitato modo declarat.

Nota vero *negativa* est illa, quæ quidem a re, quam manifestat abesse nequit, sed tamen ipsi non est exclusive propria; ac proinde non declarat *rem esse*, sed *rem esse posse.* Per ejus vero absentiam declaratur *rem non esse.*

Quibus ex definitionibus liquet, notam positivam aliquam esse per se *sufficientem* ad aliquid tuto agnoscendum et ab aliis rebus discernendum; notas vero negativas ad id non esse sufficientes; sed tamen *necessario* adesse debere. — Nota *sensibilis* sub sensibus cadit; *intelligibilis* vero non. — Nota *obscura* est hæc quæ nonnisi doctioribus obvia est; nota vero *clara* est illa quæ omnibus patet.

III. Quales debent esse notæ Ecclesiæ? Ecclesiæ notæ debent, uti patet, inprimis esse *sensibiles;* dein una saltem nota debet esse *positiva;* cæteræ autem possunt esse *mere negativæ.* Insuper debent esse *claræ* i. e. cognitu faciles pro cujuscumque conditionis hominibus; Ecclesia enim est cognitu necessaria non tantum doctis sed et indoctis.

Ex hucusque dictis colligitur; quomodo *notæ Ecclesiæ Christi* generatim sint definiendæ : *sunt nempe externi characteres per quos ab omnibus indubie vera Ecclesia cognosci possit.*

CAPUT TERTIUM

Inquiritur quænam sint veræ notæ Ecclesiæ Christi

Protestantes, qui admittunt Ecclesiam aliquibus insignitam esse notis, optime intellexerunt, quantum periculum ex hac quæstione Eccclesiis suis immineat, si recto tramite ad veritatem tendant. Hinc statim in assignandis Ecclesiæ notis causæ suæ consulendum putarunt; et idcirco notas statuerunt, quæ in solis rebus invisibilibus consistant; videlicet : *puram verbi divini prædicationem* et *legitimam sacramentorum administrationem*.

Catholici autem passim has quatuor assignant notas : *Unitatem, Sanctitatem, Catholicitatem* et *Apostolicitatem* ; quas jam recenset Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum hisce verbis : « *Credo unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam.* » — Patres quidem et theologi antiquiores non raro pauciores vel plures his quatuor notis statuerunt; sed pauciores illæ adeo generales sunt, ut prædictas quatuor includant; dum istæ plures adeo particulares sunt, ut ad quatuor communiter assignatas commode reduci possint.

Quibus præmonitis, demonstrabimus imprimis notas a Protestantibus allatas non esse *veras* Ecclesiæ notas; ac dein notas a Catholicis assignatas esse *veras, claras* et *sufficientes*.

ARTICULUS I

Pura Evangelii prædicatio et legitima Sacramentorum administratio non possunt esse veræ notæ Ecclesiæ

Demonstratio. Ut constat ex ipsa notarum definitione, vera Ecclesiæ nota, debet esse 1° notior re significata; et 2° sensibilis et ita obvia, ut omnium hominum conditioni sit accommodata ;

atqui hi characteres non conveniunt notis a Protestantibus assignatis. Ergo non sunt veræ Ecclesiæ notæ.

In primis non sunt re significata notiores; imo Ecclesia est necessario notior quam istæ notæ. Etenim, uti ex tota Christi doctrina patet, Ecclesia est instituta tamquam medium custodiendi fidem integram, et legitime Sacramenta administrandi. Si ergo recta evangelii prædicatio et legitima sacramentorum administratio ab Ecclesia sunt discenda, absurdum sane est eas tamquam Ecclesia vere notiores proponere.

Neque etiam notæ istæ sunt accommodatæ omnium hominum conditioni. Etenim, ut cognosceretur ubinam pura sit Verbi Dei prædicatio, oporteret accuratissimo examine singula prædicationis Verbi Dei et administrationis Sacramentorum perpendere puncta, ea cum S. Litteris et cum Traditione conferre, adversariorum difficultates audire et dispungere, aliaque hujus generis non pauca examinis media adhibere, quæ rudibus omnino impossibilia sunt, et sapientissimis quoque perdifficilia.

Insuper notæ istæ ambiguæ sunt, quum cœtui schismatico quoque conveniant.

Loca autem Scripturæ ad quæ appellant Protestantes, docent quidem puram fidem et legitimam Sacramentorum administrationem semper in Christi Ecclesia servandam esse, sed nullatenus affirmant eas esse veras Ecclesiæ notas.

ARTICULUS II

***Unitas, Sanctitas, Catholicitas* et *Apostolicitas* sunt veræ et claræ notæ Ecclesiæ; eæque necessariæ omnes sunt, atque sufficientes sunt tum simul sumptæ, tum quædam quoque ex illis seorsim, ad demonstrandam veram Christi Ecclesiam**

Demonstrationem hujus propositionis, pro majori rei claritate, in duos distribuemus paragraphos contra Protestantes. In priori ostendemus hasce quatuor qualitates esse veras Ecclesiæ pro-

prietates. Si enim Ecclesiæ non essent propriæ, non possent certo ejus esse notæ. — In posteriori ostendemus hisce proprietatibus ea omnia competere, quæ requiruntur ut sint notæ veræ, claræ, necessariæ et sufficientes Ecclesiæ Christi.

§ I.

Unitas, Sanctitas, Catholicitas et Apostolicitas ut proprietates Ecclesiæ Christi competunt.

—

A) *De Unitate Ecclesiæ*

I. Explicatio. Patentibus omnibus, unitas in Ecclesia adesse debet circa ea omnia quæ Christus Dominus absoluto et perenni modo instituit; atqui hoc modo instituit Christus fidei doctrinam, regimen unum universale, et quædam ad cultum pertinentia. Ergo unitas in Ecclesia debet dari circa *ea omnia a Christo Domino circa fidem, regimen et cultum perenni et absoluto modo stabilita;* circa cætera vero, quæ a Christo non absolute et perenniter statuta sunt, multiplicitas et varietas dari possunt.

Inde juxta theologiæ catholicæ doctrinam : *Ecclesiæ unitas consistit in unitate fidei, in unitate regiminis et in unitate cultus.*

Unitas fidei in hoc consistit, quod omnes fideles debent credere et profiteri eamdem fidem ab Ecclesia docente propositam; ita ut ne minimum quidem fidei punctum, sufficienter ab Ecclesia propositum, absque hæresi pertinaciter negare possint.

Unitas regiminis in hoc habetur, quod omnes fideles agnoscant unum S. Pontificem universali et plena jurisdictione fruentem, necnon cæteros legitimos pastores sub Pontifice Ecclesiam administrantes; et ex hac unitate sequitur Ecclesiam esse *numerice unam*. (Cfr. pag. 67).

Unitas cultus id infert, quod idem Missæ sacrificium et eadem Sacramenta, prouti a Christo sunt instituta, ubique per totam Ecclesiam sunt servanda.

Unitas regiminis et unitas cultus interdum unico termino vocantur *unitas communionis*, quia nempe regimen et cultus sunt media *communia* quibus fideles ad finem tendunt, et *commune* vinculum quo omnes fideles in unum agmen coadunantur.

II. Demonstratio. *Supra definita unitas veræ Ecclesiæ inest.* — Id facile colligitur ex dictis supra de Ecclesiæ dotibus. Ostendimus institutum fuisse a Christo primatum in perpetuum duraturum, cui jurisdictio universalis et plena in omnes fideles competit; ergo liquet Ecclesiam Christi habere unitatem regiminis, et proinde etiam numerice unam esse.

Ostensum etiam est Ecclesiam docentem habere munus prædicandi totam Christi doctrinam, eamque frui prærogativa infallibilitatis in docendo; necnon fidelibus officium inesse, sub pœna damnationis æternæ, fidem ab Ecclesia propositam amplectendi. Jamvero aperte exinde constat eamdem fidem credendam et profitendam esse ab omnibus fidelibus; et illam veram non esse Ecclesiam Christi, in qua hæc fidei unitas non existeret.

Tandem ex necessitate unitatis fidei, sequitur necessitas *unitatis cultus* in iis punctis quæ a Christo perenniter sunt instituta, siquidem ipsa ad fidei doctrinam pertinent.

Triplicem hanc Ecclesiæ unitatem etiam expresse in Scripturis et in Patribus declaratam invenimus. *Unitatem* enim *fidei et cultus* expresse docet S. Paulus *Eph.* IV, 5 dicens : « *Unus Dominus, una fides, unum baptisma;* » et *unitatem regiminis* aperte indicant metaphoræ *regni, civitatis, domus, corporis*, quibus Ecclesia Christi tum in Evangelio, tum in aliis N. T. Scripturis passim adumbratur; nam talis sunt naturæ ut ideam ingerant societatis unum tantum supremum habentis regimen.

Patres autem Ecclesiam sub respectu fidei, regiminis et cultus comparant cum *Arca Noë;* cum *veste Christi inconsutili;* atqui

una tantum fuit Arca Noë, una atque indivisa vestis Christi. Præterea frequenter docent eos omnes qui a fidei aut communionis unitate recedunt, ab Ecclesia excludi, et non amplius ut fratres esse habendos; quam veritatem longe lateque probat S. Cyprianus in Lib. *de Unitate Ecclesiæ* et S. Augustinus in suis operibus contra Donatistas.

III. Errores. Protestantes fere omnes, dilucidis Scripturæ testimoniis devicti, fatentur Ecclesiam aliquo saltem modo debere esse unam; sed longe abest, ut ipsi triplicem unitatem fidei, regiminis et cultus admittant.

In initio reformationis, ad sibi speciem unitatis vindicandam, proposuerunt, ut supra dictum est, systema articulorum fundamentalium et non fundamentalium, quo in systemate admittebant fidei unitatem in fundamentalibus articulis, sed *plenam* fidei unitatem rejiciebant; et rejecta plena fidei unitate negarunt quoque unitatem regiminis et cultus, utpote eam inter articulos non fundamentales recensentes.

Vi hujus distinctionis articulorum fidei, quædam sectæ eo usque pervenerunt, ut tamquam unitatis conditionem unice exigerent consensum in dogma divinitatis D. N. Jesu Christi.

Recentiores Anglicani, qui vocantur Puseyitæ vel Unionistæ, docent Ecclesiam universalem et veram constare ex Ecclesia Catholica-Romana, ex Ecclesia Anglicana et ex Ecclesia Græco-Russica; quæ tum sub respectu regiminis et cultus, tum sub respectu fidei maxime inter se dissentiunt.

B) *De Sanctitate Ecclesiæ*

I. Explicatio. Sanctum dicitur : « quod ad Deum pertinet. » — Datur autem duplex sanctitas : *a)* personalis seu moralis; *b)* realis. *Sanctitas personalis seu moralis* est rectitudo moralis seu rectitudo voluntatis coram Deo; eaque est aut actualis aut habitualis. *Habitualis* consistit in immunitate a

reatu culpæ gravis, et (in præsenti ordine supernaturali) in annexa huic statui gratia sanctificante; *actualis* vero consistit in actibus bonis et supernaturalibus.

Sanctitas realis in hoc consistit, quod aliqua res vel sit ad Dei servitium consecrata, uti templum, calix; — vel sit principium sanctitatis personalis, uti sacramentum, fidei doctrina, etc.; — vel speciali Dei præsentia nobilitata ostendatur per miracula in ea aut circa eam facta, aut per alia charismata supernaturalia, uti locus in quo Dominus Moysi apparuit, et qui ab ipso Domino vocatus est « terra sancta. » *Exod.* III, 5.

Liquet personas aut societates simul habere posse et personalem et realem sanctitatem.

II. Demonstratio. *Hujusmodi sanctitas Ecclesiæ Christi vere propria est.*

Triplicem sanctitatem realem supra definitam ad Ecclesiam pertinere, ex Ecclesiæ dotibus supra demonstratis eruimus. Inprimis Ecclesia est sancta, utpote Dei servitio dedicata, siquidem ejus finis est hominum sanctificatio et eorum salus æterna, uti dictum est pag. 24 et 78. — Dein est sancta ut principia personalis sanctitatis ministrans : nam per sacramenta et Missæ sacrificium confert divinam gratiam, quæ unum est e principiis justificationis; et per infallibilem suam fidei doctrinam et leges suas generales, quæ infallibiliter bonæ sunt, promovet hominis cooperationem gratiæ divinæ, quæ cooperatio est alterum justificationis principium (cfr. pag. 117 et 118). — Tandem Ecclesia sancta est, utpote fruens Dei præsentia per miracula cæteraque charismata supernaturalia manifestata. Unum e mediis quibus Christus Ecclesiam suam juvat, sunt miracula et alia signa supernaturalia, edita ad fidei prædicationem et morum sanctitatem divinitus confirmandam. Id enim promisit Christus Apostolis suis dicens : *Marc.* XVI, 15 et seqq. : « *Euntes in mundum* » *universum, prædicate evangelium omni creaturæ,.. Signa* » *autem eos qui crediderunt hæc sequentur : in nomine*

» *meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes* » *tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit :* » *super ægrotos manus imponent et bene habebunt.* » Quibus verbis promisit Christus, semper in Ecclesia inter fideles fore, qui valeant miracula operari, non quidem omni occasione pro lubitu suo, sed ubi profectus Evangelii id exposcet. Talem enim interpretationem exigit ipsa ratio miraculi, quod extraordinarium quoddam est. Hæc autem Christi promissio jam ab evangelicæ prædicationis initio eventu comprobata est; *Marcus* enim de Apostolis in mundum missis dicit : XVI, 20 « *illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis;* » et S. Paulus de se ipso testatur, *I Cor.* II, 4, 5 : « *Et sermo meus et prædicatio mea,* » *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in* » *ostensione spiritus et virtutis (h. e. in ostensione virtutis* » *Spiritus Sancti, seu in miraculis).* »

Ecclesiam etiam ex voluntate Christi sanctam esse sanctitate *personali* in multis membris, ita probamus. Christus nempe dixit, quod *portæ inferi nunquam prævalerent contra Ecclesiam suam* (cfr. *Matth.* XVI, 18), seu quod diabolus eam nunquam devinceret. Jamvero Ecclesia est regnum Dei, in quo fideles Deo serviunt tum credendo verbum divinum (qua fide datur initium servitii Dei), tum observando divina mandata (in quo datur perfectio servitii divini). Ut ergo Ecclesia stet, multi debent esse qui credant in Evangelium, et simul mandata ejus observent; non enim sufficit ut multi sint qui fidem solam habeant; nam hac ratione Ecclesia non amplius esset regnum Dei, sed initium tantum regni Dei. Proinde, si Christus promisit Ecclesiam suam nunquam a diabolo esse vincendam, necessario voluit, ut ipsa esset constanter in multis membris sancta. Dicitur : *in multis membris* h. e. in magno fidelium numero absolute sumpto. Etenim regnum Dei seu Ecclesia debet esse, juxta Christi voluntatem, universale. Si autem regnum Dei seu

Ecclesia debet esse ubique, etiam oportet ut ubique sint sancti. Ergo.

Præterea in SS. Litteris Ecclesia vocatur *corpus Christi; sponsa, domus, templum Christi; templum sanctum, regnum cœlorum;* quæ appellationes ei tribuuntur uti essentialiter propriæ. Atqui nonnisi sanctos vivificat Christus uti anima vivificat corpus, nonnisi sanctis adhæret Christus uti sponsus adhæret sponsæ, nonnisi in sanctis inhabitat Christus uti homo inhabitat in domo et in templo; nonnisi sancti possunt dici *templum sanctum* et *regnum cœlorum*. Ergo ad Ecclesiæ essentiam pertinet ut sint sancti in Ecclesia; et quidem debent esse multi, siquidem Ecclesia ex Christi voluntate est regnum sanctum totum orbem complectens.

III. Errores Protestantium. Quoad sanctitatem realem, concedunt quidem Ecclesiam esse sanctam ex parte consecrationis suæ; sed negant eam esse essentialiter sanctam sub respectu mediorum seu principiorum sanctificationis, necnon sub respectu manifestæ inhabitationis Spiritus Sancti per miracula aliaque charismata. — Quoad sanctitatem personalem falso docent : 1° Ecclesiam unice e justis constare; 2° posse fieri ut aliquo tempore nullus homo sit sanctus; et 3° omnem sanctitatem quæ fidelibus inesse potest, non esse nisi justificationem externam.

C) *De Ecclesiæ Catholicitate*

I. Quid est catholicitas, et quomodo distinguitur? Catholicitas idem est ac *universalitas*. Inde *catholicitas Ecclesiæ* generatim valet : *lata Ecclesiæ per orbem dispersio cum magna et conspicua membrorum multitudine.*

Catholicitas autem est : vel *juris* vel *facti*. *Catholicitas juris* in eo consistit, quod Ecclesia instituta sit pro toto mundo, et non sicut Lex mosaica pro quadam natione tantum. — *Catholicitas facti* autem est Ecclesiæ *actualis lata diffusio* per orbem et *actualis comprehensio* multarum personarum.

Catholicitas facti sua vice distinguitur 1° in *simultaneam* et *successivam*. *Simultanea* est, cum eodem tempore ad omnes nationes extenditur; *successiva* est, si nationes omnes unam post aliam obtineat Ecclesia, ut ab una recedens ad aliam se porrigat.

2° *In physicam* et *moralem*. *Physica* esset, si Ecclesia omnes omnino homines in sinu suo contineret; *moralis*, si ita sit in mundum diffusa, ut præcipuas orbis cogniti regiones occupet, in eisque membrorum magnum numerum obtineat.

Catholicitas moralis tandem dividitur in *absolutam* et *relativam*. *Absoluta* in eo consistit, quod Ecclesia ita sit per orbem diffusa, ut omnibus locis conspicua sit, atque ita moraliter totum orbem occupet. *Relativa* autem in eo consistit, quod Ecclesia, quæ catholica dicitur, amplior sit cæteris cœtibus, qui christianum nomen sibi immerito usurpant.

Tandem animadvertendum est catholicitatem necessario præsupponere illam unitatem, quæ Ecclesiæ propria est. Ut enim Ecclesia possit dici catholica, requiritur ut una et vera sit Ecclesia, quæ per mundum est diffusa.

II. Qualis catholicitas Ecclesiæ ex Christi voluntate propria est? Ecclesiæ ex Christi voluntate proprium est, ut tum *jure*, tum etiam *facto* catholica sit; et ejus catholicitas facti debet esse *simultanea*; sed sufficit ut sit *moralis*; verum hæc catholicitas facti simultanea, moralis, debet esse tum *absoluta*, tum *relativa*, seu Ecclesia debet simultanee totum mundum notum moraliter sumptum occupare, et simul amplior esse quovis cœtu, qui sibi christianum nomen immerito usurpat.

Hæc tamen catholicitas facti non debuit, quia nempe nullo pacto haberi poterat, adesse sub Ecclesiæ primordiis; pertinet enim solum ad Ecclesiam adultam. Pro Ecclesiæ initiis satis erat, ut talis eo tempore fieret prædicatio, quæ posset hanc catholicitatem producere.

III. Demonstratur responsum datum. Ecclesiæ necessario competere *catholicitatem juris,* jam supra demonstratum est, ubi ostendimus Ecclesiam institutam esse ut in sinu suo complectatur omnes gentes omnesque homines ad finem mundi (cfr. p. 40). — Ipsi etiam necessario competere *catholicitatem facti,* sequitur ex textibus Scripturæ ibi citatis, uti : « *Postula* » *a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem* » *tuam terminos terræ.* » Ps. II, 8; et : « *Virgam virtutis* » *tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimico-* » *rum tuorum* » Ps. CIX; nam in hisce textibus prædicitur quod Christus, Unctus Domini, non quidem de *jure* tantum, sed *de facto* obtineret a Patre cœlesti regnum per totum orbem diffusum. — Præterea catholicitas facti quæ prænuntiatur, est *simultanea;* locutio enim, qua in Ps. II dicitur, quod regnum Christi se extendet *usque ad terminos terræ,* hanc necessario ingerit ideam, quod non tantum una gens post alteram, sed quod omnes simul Christi regno subjiciendæ sint. Sic enim nemo prædii cujusdam magni hæres vocatur, si nonnisi agros aliquos in isto prædio possideret, et, his ereptis, aliquos alios acciperet. — Non autem requiri in Ecclesia catholicitatem facti *physicam,* patet ex eo quod nullus Scripturæ textus id exigit, imo quod constat ex S. Paulo *Rom.* XI, 25, id saltem usque ad ultima tempora, nunquam locum habiturum. Dicit nempe S. Paulus : « *cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret.* » — Requiri vero catholicitatem facti *moralem,* et quidem *absolute magnam,* aperte e S. Scripturis liquet. Ita in Ps. II, dicitur Ecclesiam in sinu suo comprehensuram esse omnes gentes, ita ut fines sui sint ipsi termini terræ; jamvero hoc vaticinium non impleretur, nisi Ecclesia in omnibus locis præcipuis orbis cogniti conspicua esset. — Ecclesiæ tandem necessario etiam proprium est, ut *relative* amplior sit quovis cœtu qui christianum nomen falso sibi usurpat; quod ita probamus. In Scriptura V. T. expresse a Deo Patre promittitur

Christo, utpote filio Ejus proprio, imperium universale, conspicuum tum extensione sua, tum divina in subjiciendis hostibus potentia. Jamvero hujusmodi imperium Christo, *utpote proprio Dei Filio promissum,* auctori sectæ falsæ, qui nomen Christianorum falso usurpat, concedi a Deo certo non potest. Ergo, providente Deo, fieri non potest, ut cœtus quidam hæreticus aut schismaticus numero adhærentium et extensione Ecclesiam Christi superet, aut etiam exæquet. (Cfr. Psalm. II et CIX.)

Ex hac autem promissione imperii universalis non sequitur quod Ecclesia superare debet catholicitate sua omnes cœtus hæreticos aut schismaticos simul sumptos; nam, cum isti omnes cœtus simul sumpti non constituant *unum imperium*, comparari non possunt cum vera Christi Ecclesia.

Pari modo ex hac promissione non sequitur, quod Ecclesia superare debet numero et extensione singulos cœtus paganos, cum nihil insit in testimoniis scripturisticis quod indicet Deum hisce in textibus Ecclesiam Christi comparare cum cœtibus paganis; imo contrarium innuitur, siquidem ubi in Scripturis Ecclesia Christi depingitur, id fit non quidem respectu ad gentiles, sed respectu ad Synagogam et ad futuros hæreticos et schismaticos cœtus.

IV. Errores circa catholicitatem Ecclesiæ propriam. *a) Donatistæ* sæc. IV, contendentes veram Ecclesiam ubique terrarum extinctam esse, et in sola Africæ parte, quæ Donato Episcopo adhærebat, remansisse, simpliciter negarunt de Ecclesiæ essentia esse, ut sit *facto* catholica.

b) Protestantes admittunt catholicitatem Ecclesiæ, in quantum hæc ex natura sua nullius gentis aut regionis finibus limitatur; sed jus habet ad universalem diffusionem. Quæ catholicitas a quibusdam vocatur *negativa.* Præterea, qui systema tuentur articulorum fundamentalium et non fundamentalium, dicunt Ecclesiam catholicam coalescere ex omnibus societatibus christianis quæ in fide quorumdam dogmatum fundamentalium

consentiunt; et Pyseystæ, qui unitatem regiminis in Ecclesia non requirunt, contendunt Ecclesiam catholicam constitui ex tribus magnis societatibus, nempe ex Ecclesia Romano-catholica, ex Ecclesia Anglicana et ex Ecclesia Græco-russica.

D) *De Apostolicitate Ecclesiæ*

I. Quid est Ecclesiæ Apostolicitas? Apostolicitas ex usu loquendi valet idem ac « per Apostolos a Christo fundatum. » Inde Apostolicitas Ecclesiæ in eo consistit, quod vera Ecclesia debeat absque interruptione esse *identice* illa quæ per Apostolos a Christo est fundata.

Hac igitur ratione apostolicitas ab unitate differt : unitas postulat ut vera Ecclesia immutabilis sit in iis omnibus quæ a Christo Domino absoluto et perpetuo modo sunt instituta, seu ut habeat unitatem *logicam* cum illa quæ per Apostolos a Christo est fundata. Apostolicitas vero dicit Ecclesiam veram debere *numerice* unam esse cum illa quæ a Christo per Apostolos est fundata. — Quod ut clarius pateat, rem exemplo illustremus : supponamus templum aliquod ab Apostolis ædificatum; si templum istud fuisset destructum, et postea reædificatum in eadem illa forma quam habuerat antea, hoc templum novum haberet quidem cum priori unitatem logicam, non tamen identitatem numericam, nec dici posset ab Apostolis fundatum, seu apostolicum.

II. Quid igitur speciatim requiritur ad Ecclesiæ Apostolicitatem? Ecclesia constituitur duabus partibus constitutivis, multitudine nimirum fidelium (materia Ecclesiæ), et pastoribus qui fideles regunt (forma Ecclesiæ); ergo ad Ecclesiæ apostolicitatem requiritur 1° ut cœtus ille fidelium sit numerice idem iste qui a Christo per Apostolos est institutus; et 2° ut corpus pastorum legitime et sine interruptione Apostolis succedat. Dein 3° conditio legitimæ successionis tum in cœtu fidelium, tum

in corpore pastorum est observatio unitatis in fide, regimine et cultu veræ Ecclesiæ propriæ; nam qui ab hac unitate recedunt, jam non pertinent ad Ecclesiam.

III. Demonstratur apostolicitatem veræ Christi Ecclesiæ debere inesse. Diximus inprimis ad veram Christi Ecclesiam essentialiter requiri ut *cœtus fidelium* quibus Ecclesia componitur, omni tempore sit idem numerice cœtus, ac ille qui a Christo et Apostolis constitutus fuit, ita ut existentia ejus nunquam interrupta fuerit. — Id essentialiter in Ecclesia requiri constat ex supra demonstratis de Ecclesiæ perennitate (cfr. pag. 47). Christus nempe Ecclesiam suam instituit ad modum societatis proprie dictæ et visibilis, quæ ad finem mundi usque, absque interruptione existere deberet. Ergo quovis tempore Ecclesia vera Christi debet manere numerice eadem ac societas christiana constituta ab Apostolis.

Nec dicatur hanc unitatem numericam in Ecclesia dari non posse, cum alii paulatim decedant, et alii in ipsorum locum subintrent, ita ut detur continua mutatio. Etenim societas hominum, cum sit totum aliquod morale, eadem subsistere potest, quamvis individua ejus membra successive mutentur. Ita unum et idem regnum stare potest per sæculorum decursum, modo aliunde non ita deficiat, ut opus fuerit illud rursus constituere. Si autem societas decursu temporis ex integro vel ex parte defecisset, ita ut debuerit aliquando rursus ad pristinum statum restitui, tunc poterit quidem ea societas dici *specifice, logice* eadem ac primitiva societas, non autem *numerice* eadem.

Diximus secundo veram Christi Ecclesiam apostolicam etiam esse debere *in suis pastoribus;* quod nempe ejus pastores debent esse legitimi Apostolorum successores, et ipsis succedere serie quæ nunquam fuit interrupta. — Id pariter constat ex dictis de perennitate Ecclesiæ, simul iis attentis quæ diximus de perpetua institutione Primatus et Episcopatus. Christus nempe

instituit, ad regendam Ecclesiam suam, hierarchiam pastorum, quæ, « *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* » existere debet; et cui soli in Ecclesia regiminis potestatem contulit. Ergo omni tempore hierarchia pastorum qua vera Christi Ecclesia regitur, debet esse illa quæ sit legitima et non interrupta continuatio corporis apostolici. Supponas enim interruptionem factam esse in illa pastorum serie, aut non semper legitimam fuisse successionem; et jam non habes illos pastores qui in Ecclesia ex Chrisii voluntate haberi debent, nec proinde veram Ecclesiam Christi.

Diximus tandem conditionem numericæ unitatis cœtus fidelium per sæculorum decursum existentis, necnon legitimæ successionis pastorum esse *observationem unitatis*, quæ Ecclesiæ propria est. Liquet enim non sufficere materialem successionem aut in cœtu fidelium, aut in corpore pastorum, sed requiri ut quis succedat formaliter qua fidelis aut qua pastor. Jamvero conditiones necessariæ ut aliquis verus fidelis constituatur, habentur omnes in observatione unitatis fidei regiminis et cultus, quæ veræ Ecclesiæ propria est. Pari modo, ut quis legitimus sit Ecclesiæ pastor, debet *saltem externe* unitatem fidei, regiminis et cultus observare; unitas regiminis observatur in electione S. Pontificis, si electio fiat juxta regulas ab antecedentibus Pontificibus præscriptas; in aliis vero muneribus accipiendis et servandis, observatur hæc unitas per submissionem S. Pontifici et aliis legitimis superioribus.

IV. Errores circa Ecclesiæ apostolicitatem. Protestantes omnes, si Anglicanos Episcopales excipias, negant Ecclesiam vere apostolicam esse debere ratione legitimæ et non interruptæ successionis pastorum, siquidem ipsi contendunt Christum Dominum non instituisse pastorum hierarchiam.

Anglicani autem Episcopales requirunt in vera Ecclesia successionem apostolicam in Episcopis perdurantem; verum pro hac legitima successione non exigunt observationem unitatis,

sed unice validam consecrationem sacramentalem. Omnes dein protestantes qui male definiunt unitatem, errant quoque circa notionem apostolicitatis.

Conclusio

Veræ igitur Christi Ecclesiæ essentialiter proprium est :

1° Ut sit *una*, unitate scilicet excludente multiplicitatem et diversitatem in iis omnibus quæ Christus Dominus absoluto et perpetuo modo instituit circa *fidem*, *regimen* et *cultum*; et unitate numerica, ita ut sit societas unica.

2° Ut sit *sancta*, sanctitate tum *reali*, quia Dei servitio est dedicata, quia media sanctitatis ministrat, quia fruitur Dei præsentia per miracula manifestata; tum etiam sanctitate *personali*, quia absolute multi e suis membris gratia sanctificante sunt ornati et omnium virtutum dant exempla.

3° Ut sit *catholica*, scilicet tum *jure*, utpote ad omnes homines ad finem mundi usque destinata; tum etiam *facto*, ita ut simultanee præcipuas mundi cogniti partes occupet, magnumque ibi adhærentium numerum obtineat et relative amplior sit quovis cœtu immerito christianum se vocante.

4° Ut sit *apostolica*, ita ut ipsa sit numero eadem illa societas quæ ab Apostolis est fundata, et ab eorum tempore sine interruptione existit; necnon ita ut ejus pastores per non interruptam legitimorum pastorum seriem, cum Apostolis jungantur.

§ II.

QUATUOR CITATÆ PROPRIETATES TALIS SUNT NATURÆ, UT SINT VERÆ ET CLARÆ NOTÆ ECCLESIÆ; EÆQUE NECESSARIÆ SUNT OMNES; ATQUE SUFFICIENTES SUNT TUM SIMUL SUMPTÆ, TUM QUÆDAM QUOQUE EX ILLIS SEORSIM.

—

I. Quatuor illæ proprietates sunt veræ et claræ notæ Ecclesiæ. Ut quædam Ecclesiæ proprietas sit vera et clara ejus nota, requiritur, uti supra diximus, ut sit sensibilis et omnibus obvia, et notior quam ipsa Ecclesia; jamvero tales sunt citatæ proprietates; ergo.....

1° Sunt *sensibiles et omnibus obviæ;* nam consistunt in rebus quæ sunt externæ, aut saltem externe se produnt, in rebus quæ pervulgatæ sunt apud omnes, et ex actis publicis historiæque documentis sine operoso examine cognoscuntur et intelliguntur. — *Unitas* nempe seu immutabilitas in fide, regimine et cultu semper et ubique conservata, oculis conspicitur et historia innotescit, haud secus ac sensibus et historia notum sit quænam fidei doctrina, quodnam regimen, quinam cultus habeantur in tali parochia, in tali communitate, in tali secta; fides nempe se prodit per symbola, per catechismos, per liturgiam, per totam vitam publicam fidelium; regimen autem et cultus sunt de se externa. Ergo unitas Ecclesiæ est factum externum, propria uniuscujusque experientia et aliorum testimonio innotescens. *Unitas numerica* seu *unicitas* Ecclesiæ fluit ex unitate regiminis; ac proinde de se sensibus obvia est. — Pariter *sanctitas* est visibilis et omnibus obvia : sanctitas nempe realis consistens in dedicatione divino servitio, in administratione mediorum sanctitatis personalis, et in Dei præsentia per miracula manifestata, sensibus apprehenditur et quidem facillimo modo. Nihil certe facilius innotescit quam miracula in favorem alicujus doctrinæ aut personæ facta, sive coram nobis eveniant, sive alibi eveniant aut antea evenerint. Sanctitas autem personalis aperte omnibus se manifestat per externam virtutum omnium culturam, facile enim unusquisque virum probum et sanctum discernit a viro impio et pravo. — *Catholicitas* tam facile noscitur ac quævis res geographica aut ethnographica; nam difficilius non est addiscere quod Ecclesia tales aut tales regiones occupet, et magnum ibi habeat fidelium nume-

rum, quam addiscere rudimenta geographiæ et ethnographiæ. — *Apostolicitas* historicis testimoniis innotescit; et quidem eadem ratione ac novimus tale regnum a tali principe fuisse fundatum, tale ædificium a tali homine esse constructum; et ab eorum fundatorum tempore usque nunc absque interruptione existere. Non ergo scitu difficilior est Ecclesiæ apostolicitas, quam origo alicujus regni, communitatis, ædificii.

2° Contendimus, has quatuor proprietates *notiores esse ipsa Ecclesia;* et hoc ita probamus. — Notiores sunt hæ proprietates, quam ipsa Ecclesia, si revera facillime, absque labore omnibus innotescunt, dum e contra ipsa vera Ecclesia, absque hisce notis inquirenda, nonnisi difficillime, a paucis viris doctissimis, post longum examen, et cum summo periculo erroris, posset detegi. Atqui ita res sese habet; ergo... Ut nempe absque notarum ope Ecclesia vera inveniretur, oporteret adamussim e Scripturis et Traditione addiscere, qualis sub quovis respectu Ecclesia a Christo sit instituta, quænam omnia et singula sint fidei puncta a Christo revelata, quodnam regimen et quisnam cultus fidelibus a Christo sint imposita; et hisce detectis, comparatio esset facienda inter hanc Ecclesiam a Christo institutam et illas omnes Ecclesias quæ se nunc christianas vocant; ut ita tandem appareat quænam sit vera Christi Ecclesia. — Verum, uti nemo sane negabit, hujusmodi examen supponit summam eruditionem et scientiam, tum ad scrutandas Scripturas et Traditiones, tum ad comparandam Ecclesiam a Christo institutam cum illis ecclesiis quæ se nunc christianas vocant, tum ad solvendas omnes difficultates, quæ opponi solent; et quidem tam arduum est opus istud, ut nonnisi a paucissimis viris doctis ad felicem exitum posset duci. — E contra vero, planum est scrutari num citatæ proprietates vere adsint; nam in oculos incurrunt et elementari scientia apprehenduntur; ergo legitime concludimus illas quatuor proprietates revera ipsa Ecclesia notiores esse.

Proinde, cum quatuor illæ proprietates sint sensibiles omnibusque obviæ, et insuper notiores sint ipsa Ecclesia, inde inferimus eas esse veras et claras Ecclesiæ Christi notas.

II. Quatuor illæ notæ necessariæ omnes sunt. Dicimus nempe, necesse esse ut omnes illæ notæ insint Ecclesiæ veræ; ita ut si cuidam cœtui una desit, inferri statim possit, hunc cœtum non esse veram Christi Ecclesiam. Ratio autem est, quod, uti ostendimus, sunt omnes proprietates quæ ex Christi voluntate Ecclesiæ veræ inesse debent.

III. Sufficientes sunt tum omnes illæ notæ simul sumptæ, tum quædam ex illis seorsim sumptæ, ad demonstrandam veram Ecclesiam. Unitas non videtur esse nota per se solam sufficiens; quia absolute loquendo fieri posset, ut cœtus quidam schismaticus unitatem haberet : posset veram fidem servare; unum habere regimen cui omnes sese submitterent, instituendo nempe antipapam; et retinere cultum a Christo institutum; ita ut esset unus in fide, in regimine et in cultu. — Sanctitas vero, Catholicitas et Apostolicitas cum unitate conjuncta, sunt vere positivæ et sufficientes notæ. In cœtu enim hæretico aut schismatico certe miracula haberi non possunt; et ubi hæc habentur certe constat cœtum istum, in cujus favorem miracula fiunt, esse veram Ecclesiam; nam repugnat ut Deus miraculis falsum testetur aut confirmet. Catholicitas facti, qualis supra definita est, est etiam positiva et sufficiens nota, utpote a Deo unice veræ Ecclesiæ promissa. Tandem Apostolicitas in unitate fundata, evidenter est positiva et sufficiens nota, siquidem ostendit Ecclesiam, cui inest, perfecte numero identicam esse cum illa Ecclesia a Christo instituta.

Si vero tres e nostris notis sufficientes sunt, etiam seorsim sumptæ; multo magis omnes simul sumptæ sufficientes erunt ad positive demonstrandam veram Ecclesiam.

Quod intrinseco argumento hactenus probavimus, confirmatur quoque extrinsece, ex auctoritate Patrum, qui hisce notis

usi sunt ad veram Ecclesiam demonstrandam. *Sanctitate* usi sunt Apologetæ contra Infideles; *Apostolicitate* contra hæreticos et schismaticos Tertulianus *de Præscript*, et Optatus L. II contra eosdem; *Unitate* Cyprianus de *Unit. Ecclesiæ; Catholicitate* Augustinus de *Unitale Ecclesiæ* et Optatus *ibid.*

Conclusio Partis Quartæ

Vera Christi Ecclesia inter falsas sectas certis notis agnosci potest et quidem ab omnibus; notæ autem certæ, quibus agnoscitur, sunt : unitas, sanctitas, catholicas, apostolicitas.

PARS QUINTA

De Veritate Ecclesiæ Romano-Catholicæ

PRÆNOTANDA

Ad absolvendam « Demonstrationem catholicam », superest ut probemus veræ Ecclesiæ notas, ex omnibus Ecclesiis existentibus, soli Ecclesiæ Romano-Catholicæ inesse, et proinde eam solam esse veram Christi Ecclesiam.

Ad hunc finem attingendum, duplicem possumus inire viam. Vel *a)* possumus ostendere solam Romano-Catholicam Ecclesiam possidere legitimos successores B. Petri in supremo Pontificatu, Romanos nempe Pontifices. Isti enim per supremam suam jurisdictionem et suam infallibilitatem, sunt principium et fundamentum totius Ecclesiæ atque omnium proprietatum quæ sunt notæ Ecclesiæ. Jamvero quum fieri non possit ut principium absolute a Deo ad aliquem effectum destinatum, effectu suo careat; necessario fiet ut ubi est verus Petri successor, ibi sit etiam Ecclesia vera. Vel *b)* possumus directe demonstrare singulas istas notas Ecclesiæ Romano-Catholicæ, prouti ex historia et quotidiana experientia cognita est, vere competere; et saltem omnes notas positivas abesse a cæteris cœtibus, qui christianos se dicunt.

Utramque autem sequemur viam, ad majorem rei obtinendam scientiam; et priori quidem loco agemus de legitimis successo-

ribus B. Petri in primatu, quia hujus quæstionis solutio viam pandit ad demonstrandum cuinam cœtui insint notæ Christi Ecclesiæ; ita nota Apostolicitatis comprehendit essentialiter legitimam successionem in B. Petri primatu, nec potest ostendi alicui Ecclesiæ inesse, nisi probetur hanc Ecclesiam possidere legitimos Petri in primatu successores.

CAPUT PRIMUM

Ecclesia Romano-Catholica est sola vera Christi Ecclesia, quia ejus Pontifices Romani sunt legitimi successores Petri in Primatu

I. Prænotanda. Ex divina Christi institutione datur *lex successionis* in Primatu Petri, seu debent semper ad mundi finem dari successores in hoc primatu; verum *conditio successionis*, seu conditio implenda, ut quis sit verus Petri successor, non noscitur a Christo fuisse determinata; ergo, juxta communes legitimæ successionis regulas, inquirendus est verus Petri in primatu successor.

Unde, quando affirmamus Episcopos romanos esse legitimos Petri in primatu successores, seu successionem in primatu annexam esse episcopatui romano, seu conditionem successionis in primatu Petri esse possessionem episcopatus romani seu urbis Romæ, non contendimus hanc conditionem fuisse a Christo determinatam, sed dicimus eam oriri ex factis Petri, quæ talis sunt naturæ, ut juxta communes legitimæ successionis regulas, nemo possit esse Petri in primatu successor, nisi sit Episcopus urbis Romæ.

Ergo ad demonstrandum quod Romani Pontifices sunt legitimi Petri in Primatu successores, afferenda sunt historiæ testi-

monia, e quibus probetur successionem in primatu, positis factis quæ historia refert, ex ipsa rerum natura episcopatui romano esse propriam.

II. Demonstratur Romanos Pontifices, seu Episcopos romanam sedem obtinentes, esse legitimos primatus Petri successores.

1° *Probatur indirecte ex rei necessitate.* Aut enim nullus est Petri successor in primatu, aut hic est Episcopus sedis romanæ. Atqui nullum esse Petri in primatu successorem admitti nequit, siquidem ex absoluta Christi voluntate semper in Ecclesia existere debet primatus; ergo admittatur oportet Petri in primatu successorem esse romanum Episcopum. — Propositio major demonstratur ex historia ecclesiastica, quæ evidentissime testatur, nullum unquam Episcopum hanc successionem in Petri primatu cum specie veritatis sibi vindicasse, excepto Episcopo romano; nec ullus unquam ex antipapis sibi vindicavit primatum, quin simul sibi vindicaret episcopatum romanum tamquam conditionem legitimæ successionis in primatu. Ergo si Episcopus romanus non est legitimus Petri in primatu successor, nullus erit legitimus successor in Petri supremo munere; quod est contra absolutam Christi voluntatem; proinde romani Episcopi sunt Petri in primatu successores.

2° *Demonstratur directe ex eo quod conditiones ad legitimam successionem requisitæ adsunt.* Episcopi romani sunt legitimi in primatu Petri successores, si primitivo quodam facto, aut immutabili, aut saltem nunquam mutato, legitime statutum est successionem in Petri primatu annexam fore successioni in sede romana; atqui tale datur factum; ergo.....

Prob. minor. Factum, quo successio in primatu est annexa successioni in sede romana, est sessio Petri in hac romana sede ad mortem usque, una cum ejus decreto, quo alligabat successionem primatus successioni in hac sede. Hujusmodi autem facto potuisse a Petro conditionem successionis in primatu vere sta-

tui, evidenter liquet, attenta suprema et plena ejus jurisdictione. Quod vero hoc factum est immutabile, est opinio tenenda, uti infra dicemus; verum si quis id negaret, deberet saltem admittere hoc factum nunquam fuisse mutatum, cum nequidem tentatæ hujusmodi mutationis in historia habeatur vestigium. Unde sequitur quod si factum Petri a nobis assertum sit verum, successio in primatu necessario dicenda est successioni in sede romana annexa. Hujus igitur facti veritas nobis demonstranda remanet.

Id demonstramus inprimis *generali argumento*. Romanus Pontifex in universa christiana historia semper habitus est uti centrum fidei et communionis, et ideo ut talis habitus est, quia creditur esse Petri in primatu successor, utpote romanam occupans sedem a Petro fundatam et ad dignitatem primatus evectam. Jamvero si Petrus nunquam romanam sedem fundasset et huic sedi successionem in primatu non alligasset, consequeretur totius orbis catholici persuasionem commento alicui fabuloso inniti. Atqui id legibus moralibus adversatur; fieri enim non potest ut magna societas per totum orbem diffusa et sanctitate scientiaque conspicua, pendeat ex aliquo commento, cui tota ejus existendi ratio, et quidem per 18 sæcula, fuerit annexa. Maxime id fieri non posse æstimandum est, ubi agitur de suprema quadam potestate, quemadmodum hic, ad quam stabiliendam multi debuissent se propriis suis juribus exuere, et alterius se submittere auctoritati. — Quod autem fideles semper censuerint Romanos Episcopos supremam habere in Ecclesia potestatem, nimis aperte ex historia constat, quam ut id demonstremus; unde et increduli multi id confitentur. Nec dicatur cum aliquibus Protestantibus, id non obtinuisse ante sæculum V, siquidem oppositum constat vel ex ipsa communi fide, quæ sæculo V apparet; hæc enim fides non potuisset hoc sæculo V adesse, si antea non exstitisset; ac præterea hæc fides in scriptis Patrum exhibetur tamquam e monumentis summæ anti-

quitatis hausta. — Nec minus manifestum est fideles censuisse Romanos Pontifices ideo supremam habere potestatem et successores esse in Petri primatu, quia succedunt in sede Romana, a Petro fundata et simul ad dignitatem primatus evecta; Pontifices autem romanos propter hoc idem motivum semper sibi successionem in Petri primatu vindicasse. Nemini enim notum non est romanam sedem tum ab ipsis romanis Pontificibus, tum a Patribus et Scriptoribus ecclesiasticis, tum a fidelibus semper vocatam esse : *sedem Petri, sedem a Petro fundatam et ejus sanguine consecratam, sedem pontificiam, sedem summam, sedem in qua Petrus vivit, cathedram Petri.* Sedem Romanam a Petro esse fundatam et ejus sanguine consecratam expresse in hisce locutionibus asseritur; eam vero a Petro ad dignitatem primatus simul esse evectam, innuunt locutiones *sedes Petri, sedes summa, cathedra Petri,* quæ idem valent ac sedes, cui annexa est successio in primatu. Si enim Petrus positiva sua voluntate primatum romanæ sedi non alligasset, hæc sedes primatus successionem non haberet sibi propriam. Nec dicatur hanc annexionem fieri potuisse per ecclesiasticum decretum a sequenti Pontifice editum; nam de hujusmodi decreto vestigium non datur, atque insuper in modo loquendi catholicorum, hæc annexio primatus sedi romanæ habetur uti originem ducens ab ipso Petro. Verum quidem est de hoc Petri decreto etiam specialem mentionem nullibi dari; atvero communis persuasio supponit necessario quod tale decretum ab ipso fuit latum, et certo notum est ipsum fundasse romanam sedem; unde legitime concludimus Petrum romanam sedem fundando, simul eam ad dignitatem primatus evexisse. — Ergo cum omnino constet de generali et constanti ista fide fidelium, qua credunt Romanos Pontifices esse veros Petri successores in primatu, propterea quod succedunt in sede romana a Petro fundata et ab ipso ad dignitatem primatus sublimata; et cum hujus fidei sufficiens ratio dari non possit, nisi admissa istius facti veritate; sequitur,

quod nisi quis velit admittere effectum sine causa, admittere cogitur Petrum romanam sedem fundasse eique pro suprema sua auctoritate successionem in primatu alligasse.

Factum romanæ sedis a Petro fundatæ et ab ipso ad dignitatem primatus evectæ, probatur etiam testimoniis antiquitatis.

A) Petrum romanam sedem fundasse et tenuisse testatur e sæc. II. S. Irenæus, in lib. III, cap. 3 *contra Hæreses;* ibi enim Ecclesiam Romanam appellat « maximam et antiquissimam » et omnibus cognitam a gloriosissimis duobus Apostolis Petro » et Paulo Romæ fundatam et constitutam Ecclesiam, eam quam » habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus » fidem; per successiones Episcoporum pervenientem usque ad » nos, ad quam propter potentiorem principalitatem necesse est » omnem convenire Ecclesiam; » atque enumerat Pontifices qui inde ab Apostolis sedem Romanam occuparunt. Idem testatus est sæc. IV S. Hieronymus, qui in suo *catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum* hæc habet : « Simon Petrus, secundo Claudii » anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibi- » que viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit, » usque ad ultimum annum Neronis, id est, decimum quartum. » A quo et affixus est cruci et martyrio coronatus est capite ad » terram verso et pedibus in sublime elevatis, asserens se indi- » gnum ut sic crucifigeretur ut Dominus suus. Sepultus Romæ » in Vaticano juxta viam triumphalem totius urbis veneratione » celebratur. » Similia testimonia invenimus apud *Tertullianum;* de Præscrip. cap. 36; *Auctorem carminis adversus Marcionem; Auctorem libri adversus Artemonis hæresim* vid. Euseb. H. E. V. 28; *Caium* in libro adversus Proclum. vid. Euseb. H. E. II, 25; *Hippolytum* seu auctorem primæ partis catalogi Liberiani; *Cyprianum,* epist. 52 seu 55 ad Antonianum, n. 8; et epist. 55 ad Cornelium, n. 14; et *Firmilianum* in epist. ad Cyprianum, n. 17; qui omnes vixerunt sæculo III.

B) Petrum Romæ ad mortem usque sedisse, et ibi martyrio obiisse testantur *Origenes*, cujus testimonium refert Eusebius H. E. III, 1; *Tertullianus, Caius* et *Auctor primæ partis Catalogi Liberiani* (locis supra citatis) qui omnes vixerunt sæculo III; et Hieronymus (loco citato) multique alii sæc. IV. — Supervacaneum est scriptores sæc. IV et posteriorum sæculorum afferre, quum nemini dubium sit, quin jam a medio sæc. III ab omnibus admissum fuerit, nemine veterum contradicente, Petrum Romæ sedisse, ibique mortuum esse. Pro uberiori harum quæstionum tractatione remittimus ad auctores Historiæ Ecclesiasticæ. Cf. e. g. Jungmann. *Dissertationes selectæ in Hist. Eccl. Dissert. prima* Ratisbonæ 1880. — Lecler. *De Romano Sancti Petri episcopatu* Lovanii 1888.

C) Petrum primatum sedi romanæ alligasse, explicite quidem non dicunt Patres, attamen implicite id affirmant. Ita Irenæus (textu citato) dicit a Petro et Paulo fundatam esse Ecclesiam romanam, et hanc Ecclesiam romanam ab ipsis fundatam vocat *maximam; omnibus cognitam; potentiore principalitate fruentem, propter quod ad eam convenire debent omnes ecclesiæ;* ergo dicit Irenæus romanam sedem a Petro et Paulo fundatam esse tamquam Ecclesiam primatu fruentem. Atqui hujusmodi fundatio supponit primatum Petri voluntate romanæ sedi esse alligatam; ergo Irenæus implicite affirmat, romanam sedem Petri voluntate ad primatum evectam esse. Idem dicendum de cæteris Patrum testimoniis, quæ simul affirmant romanam sedem a Petro esse fundatam et hanc sedem a Petro fundatam extollunt uti primariam totius Ecclesiæ. Non enim sane hæc sedes, a Petro fundata, esset primaria sedes, si ad hanc dignitatem Petri voluntate non fuisset evecta; ergo implicite docemur ex hisce testimoniis romanam sedem Petri voluntate ad dignitatem primatus esse evectam.

III. *Demonstratur ex consensione antiquitatis christianæ circa Romanæ sedis præcellentiam, et in omnes alias Eccle-*

sias principaliorem potestatem. Patres expresse agnovisse primatum romanæ sedis e sequentibus probamus testimoniis : 1° S. Ignatius Antiochenus *in epistola ad Romanos* (scripta versus initium sæc. II) vocat romanam sedem « προκαθημένη της ἀγαπής » h. e. *præsidem charitatis seu vinculi communionis. Communio* enim seu unitas in regimine et in cultu sæpe vocatur a Patribus *vinculum charitatis* seu etiam *charitas*. Ergo per verba S. Ignatii exprimitur romanam sedem præsidere in regimine seu supremam habere jurisdictionis potestatem. — 2° S. Irenæus (versus ann. 180) scribit in *lib. adversus Hæreses* III, 2 : « *Ad hanc (romanam) Ecclesiam* » *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem* » *convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles,* » *in qua semper ab his, qui sunt undique conservata est ea* » *quæ ab Apostolis est traditio.* » 3° Tertullianus, (sæc. III) jam Montanista, in libro de Pudicitia ironice vocat Episcopum romanum : *Pontificem Maximum, Episcopum Episcoporum.* 4° S. Cyprianus in epist. 55 ad Cornelium n. 14, dicit : « *Navi-* » *gare audent (schismatici) et ad Petri cathedram atque ad* » *Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta* » *est, a schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare* » *eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante lau-* » *data est ad quos perfidia habere non possit accessum.* »

Quod autem Patrum testimonia tam dilucide evincunt, non minus aperte demonstrant plura historiæ facta. Etenim 1° *plebem fidelem* romanæ sedis primatum agnovisse liquet ex facto Ecclesiæ Corinthiacæ, quæ, dum adhuc vivebat S. Joannes, et quidem haud longe ab ipsa, Ephesi nempe, degebat, ad Clementem romanum Pontificem recurrit, ut suis intestinis divisionibus finis imponeretur.

2° *Episcopi* etiam luculenter primatum romanæ sedis agnoverunt; nam Polycarpus et Hegesippus venerunt ex Asia ad Anacletum romanum Pontificem ut quæstionem tractarent de

celebratione paschatis; — S. Cyprianus *epist.* 69 postulavit a romano Pontifice Stephano, ut Marcianum, Episcopum Arelatensem, deponeret; — Dionysius Alexandrinus probavit coram Dionysio rom. Pontifice se ab errore in fide esse immunem, ut a S. Pontifice acceptus et approbatus a nemine haberi posset ut hæreticus; — Basilides, Hispaniæ episcopus libellaticus, et Privatus, Episcopus Africanus, ambo provinciali synodo depositi, rogarunt a romano Pontifice ut in pristinam suam dignitatem restituerentur; — etiam solebant Episcopi in antiquitate decreta synodorum provincialium aut nationalium ad romanum mittere Pontificem, ut ab ipso examinarentur.

3° *Ipsi Pontifices* romani suo primatu semper persuasi fuerunt; et haud raro suprema sua potestate, nemine unquam reclamante, usi sunt variis in mundi regionibus. Ita Victor I diremit quæstionem de celebrando paschate in Asia motam; Zepherinus et Callixtus leges pœnitentiales mutarunt; et S. Stephanus diremit quæstionem a S. Cypriano et Firmiliano motam de valore baptismi ab hæreticis collati.

4° *Ipsi hæretici*, uti Montanistæ, Donatistæ, Novatiani supremam Romani Pontificis agnoverunt potestatem, conando nempe ab ipso obtinere ut suam approbaret doctrinam, aut se in communionem reciperet.

Quibus testimoniis plane destruitur argumentatio Protestantium, qui conantur probare Pontifices inde tantum a sæc. IV habitos esse uti Petri in primatu sucessores, atque Episcopos romanos sibi sæc. III hanc supremam potestatem illegitime usurpasse. Probant enim testimonia allata, hoc ipso sæc. III quo, juxta ipsos Protestantes, nulla fraus in Ecclesia potest supponi, Romanos Pontifices ut veros Petri in primatu successores habitos esse, eosque proinde jura primatus legitime sibi vindicare.

Corollaria ex præcedenti doctrina deducta

I. *Romanus Pontifex, utpote Petri in primatu successor, obtinet totum primatum non honoris tantum sed et jurisdictionis Petro a Christo collatum.* Ratio autem est hæc : Primatus a Christo in Petro institutus, debet ex Christi voluntate semper in Petri successoribus perdurare, uti supra ostendimus; ergo totus ille primatus cum plenitudine jurisdictionis suæ obtinetur a Romanis Pontificibus, utpote legitimis Petri in primatu successoribus.

II. *Romanus Pontifex, utpote Petri in primatu successor, jure divino obtinet primatum in universam Ecclesiam.* A Christo enim institutum est, ut semper essent, qui Petro in primatu succederent. Ergo qui in primatu Petro succedit, ideo obtinet primatum, quia Christus instituit, ut primatus a se Petro collatus perpetuo perseveraret in legitimis ejus successoribus; ac proinde jure divino seu ex lege Christi. Non vero obtinet primatum jure ecclesiastico, seu lege Ecclesiæ, quia Ecclesia nec primatum instituit nec ejus perennitatem. — Hanc autem veritatem sequentibus verbis proposuit Vaticana Synodus in const. *Pastor æternus* cap. II in corp. : « Quicumque in hac cathedra » (Romana) Petro succedit, *secundum Christi institutionem* » primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. »

Quæsita circa Primatum Romani Pontificis

I. *Quam certum est Romanum Pontificem esse Beati Petri in primatu successorem?* Quamvis a Christo id non est revelatum, est tamen *de fide.* Constituit nempe hæc veritas factum dogmaticum, ab Ecclesia expresse definitum. Id nempe definivit Concilium Vaticanum. Const. *Pastor æternus* cap. II, dicens : « *Si quis dixerit, non esse ex ipsius Christi institutione, seu* » *jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam* » *Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum*

» *Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu succes-* » *sorem; anathema sit;* » quo canone renovatæ sunt definitiones concilii Lugdunensis II in professione fidei a Michaele Palæologo concilio oblata; et concilii Florentini in decreto unionis Græcorum.

Liquet conditionem successionis in primatu Petri, seu scire utrum tales vel tales sint legitimi Petri in primatu successores, esse factum dogmaticum, h. e. factum hujusmodi naturæ ut, si certitudo de eo non detur, Ecclesia subsistere non possit. Si enim haud certe cognosceremus, quinam sint legitimi Petri in primatu successores, careret Ecclesia certo magisterio et regimine certe authentico; atque necessario schismata orirentur. Jamvero in hujusmodi factis declarandis Ecclesia est infallibilis: atque hoc factum declaravit definiendo Romanos Pontifices esse beati Petri in primatu successores; ergo infallibiliter id nobis constat, et fide a nobis est amplectendum. Debemus nempe illud credere immediate propter infallibilem auctoritatem Ecclesiæ, et mediate propter auctoritatem Dei, qui nobis infallibilem auctoritatem Ecclesiæ revelavit.

Antequam autem Ecclesia solemni definitione declaravit Romanos Pontifices B. Petri in primatu esse successores, idem infallibiliter constabat per unanimem consensum tum in Ecclesia docente, tum in Ecclesia credente, quem supra demonstravimus.

II. *An successio in locum Petri primatu aucti adhæret Romanæ Sedi jure divino?* Romanus Pontifex, uti modo diximus, quatenus de facto Petro in primatu succedit, jure divino primatum cum omnibus ejus juribus obtinet. Hic autem ulterius quæritur, utrum, ut quis Petri in primatu sit successor, debeat ex jure divino esse episcopus urbis Romæ; seu quæritur utrum, quemadmodum divina lege statutum est, ut semper essent successores Petri in primatu, ita etiam divina lege statutum sit ut Episcopi Romani essent Petri in primatu successores. — Quidam opinantur Petro revelatum esse, quod Dei esset volun-

tas, ut sedes Romana esset in perpetuum sedes primatus; qua in opinione veritas legitimæ successionis R. Pontificum in primatu Petri non tantum esset factum dogmaticum, sed simpliciter veritas de fide. Verum firma non dantur argumenta ad hanc sententiam tuendam. — Alii putant sola voluntate Petri, proinde jure ecclesiastico tantum, non vero jure divino, primatum romanæ sedi esse annexum; sed contendunt ita hanc annexionem factam esse, ut postea auctoritate ecclesiastica dissolvi non posset ac proinde nunquam primatus a romana sede posset separari. — Tandem aliqui, sed numero pauci, dicunt ecclesiastico tantum jure primatum romanæ sedi esse annexum et simul admittunt eum ab hac sede suprema Ecclesiæ auctoritate separari posse.

Quænam autem ex hisce sententiis, quæ omnes a catholicis sunt propositæ, est præferenda? Prima sententia, quæ admittit per revelationem Spiritus Sancti, ac proinde jure divino factum esse ut primatus a Petro romanæ sedi alligatus fuerit, non videtur admittenda ut *certa*, quia sufficientia argumenta desunt; potest tamen admitti ut *probabilis*, quia graves auctores eam amplectuntur, et non pauca dantur facta, quæ eam aliquatenus suadeant. — Tertia sententia videtur rejicienda quoad secundam suam partem, quæ nempe admittit primatum a romana sede suprema Ecclesiæ auctoritate separari posse. Id enim adversatur menti et praxi Ecclesiæ et Romanorum Pontificum; nunquam scilicet in tota antiquitate christiana in mentem alicui venit, ut separationem primatus a romana sede moliretur, non obstantibus gravissimis persecutionibus, aliisque causis recedendi, quæ hanc separationem suadebant; quales fuerunt persecutiones imperatorum Ethnicorum; devastationes Gothorum; persecutiones ipsorum civium Romanorum tempore S. Bernardi, quæ tantæ fuerunt ut sæpissime compellerentur Pontifices ab urbe exulare; causæ politicæ ob quas Pontifices per 70 annos in urbe Avenionensi manserunt. Quod factum aliunde sane repeti non potest, nisi ex ineluctabili totius Ecclesiæ persuasione de indis-

solubili nexu inter primatum et sedem romanam. Præterea hæc sententia videtur attingi per damnationem propositionis 35ᵉ syllabi, quæ ita sonat : « Nihil vetat alicujus generalis concilii » sententia aut universorum populorum facto, summum ponti- » ficatum a Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum » aliamque civitatem transferri. » — Secunda sententia videtur *probabilior;* ab una parte non admittit divino jure hanc annexionem factam esse, quia sufficientia non adsunt argumenta; ab altera autem parte admittit indissolubilitatem primatus et episcopatus romani, quæ ob communem et constantem Ecclesiæ praxim omnino videtur admittenda. Verum nonne, rejecto hic divino jure, eo ipso primatus fit separabilis a sede romana, quia nempe id quod a Petro est statutum, a successoribus ejus in primatu potest dissolvi? Aliqui ita respondent : Ut quis, aiunt, in primatu Petri succedat, debet legitime Petro succedere; atqui Petrus romanam sedem ad mortem usque tenuit ac proinde nemo vere Petro succedit, nisi in hac romana sede ipsi succedat, ergo nemo potest Petro in primatu succedere, nisi romanam sedem occupet. Qui ergo ita ratiocinantur, volunt ex ipso facto Petri indissolubilitatem primatus a romano episcopatu demonstrare; verum hoc argumentum non videtur solidum, quia excipi semper id potest : si Petrus suprema sua potestate primatum romanæ sedi alligavit, alius S. Pontifex potest eum inde separare. — Melius alii respondent : Petrus accepit a Christo specialem potestatem ad eligendam primatus sedem, et ad primatum huic sedi perenniter alligandum. Talis enim specialis potestas videtur non minus fluere ex eo quod Petrus erat primus Ecclesiæ et cathedræ pontificiæ fundator, quam specialis Apostolorum potestas fluit ex ipsorum munere primorum promulgatorum Evangelii et cofundatorum Ecclesiæ cum Petro. Oportebat nempe ut sedes primatus ab initio Ecclesiæ immutabili modo stabiliretur; nam pone, quod hæc sedes libera Ecclesiæ electione mutari possit; nonne iste primatus, qui in bonum unitatis, pacis

et ordinis a Christo institutus fuit, nova et constans fieret in Ecclesia discordiarum et schismatum causa? Cum igitur ex communi Ecclesiæ persuasione admittendum sit, primatum romanæ sedi indissolubiliter annexum esse, et firma non adsint argumenta, ut dicamus id ex divina fluere institutione, legitime opinari possumus hanc indissolubilem annexionem oriri ex speciali Petri potestate, cum hujusmodi specialis potestas in ipso quasi exigatur tum ex munere ejus, tum etiam ex Ecclesiæ necessitate; atque insuper certo constet Apostolis propter similes rationes specialem propriam fuisse potestatem. Hæc sit ergo nostra conclusio: vel primam vel secundam e tribus propositis sententiis licet amplecti; verior autem omnino videtur secunda sententia.

Notetur 1° Quamvis primatus indissolubiliter romanæ sedi est annexus, *residentia* tamen S. Pontificis potest mutari. Sic sæc. XIV Romani Pontifices residere potuerunt Avenione, sedulo servando titulum sedis romanæ. Non enim erant Episcopi Avenionenses, sed Episcopi romani; et quia erant Episcopi romani, ideo erant S. Pontifices. Quare cum olim Avenionensi Papæ, qui Italis erat infensus, quidam familiaris suaderet, ut Papatum Romæ eriperet, et Cadurcum transferret in Vasconiam: *An ignoras*, ait, *me tunc Episcopum Cadurcensem, illum qui Romæ præfuerit Papam fore?*

Notetur 2° Posset quis putare contradictionem in hoc haberi, quod ab una parte dicimus: « *De fide est Romanos Pontifices esse successores Petri in primatu;* » et ab altera parte fatemur *non esse omnino de fide a romana sede non posse separari apostolicam sedem seu primatum;* verum, re semel attente considerata, liquet hic nullam antilogiam haberi. Etsi enim de fide non sit, a romana sede separari non posse primatum, de fide tamen esse potest, et quidem est, uti demonstravimus, quod, quamdiu conjunctum videmus primatum romanæ sedi, Romanus Episcopus, ut talis, Petro in primatu succedit; quid enim hic contrarietatis?

CAPUT SECUNDUM

Ecclesia Romano-Catholica est sola vera Christi Ecclesia, quia ipsi soli insunt notæ : unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas

Ad divinitatem Ecclesiæ Romano-Catholicæ demonstrandam, probandum superest notas veræ Ecclesiæ Christi soli Ecclesiæ Romano-catholicæ inesse : quæ res sicut magni momenti, sic exigui laboris est et nullius difficultatis : difficile enim non est ea investigare quæ omnium oculos insigni claritate percellunt. Erunt hujus capitis duo articuli : in priori ostendemus Ecclesiam Romano-catholicam omnibus veræ Ecclesiæ notis esse insignitam ; et in posteriori statuemus eis carere cæteras omnes sectas, quæ Christianæ vocantur.

ARTICULUS I

Ecclesiæ Romano-Catholicæ insunt quatuor notæ : unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas

—

A) *De Unitate*

I. Demonstratio. *Unitas fidei*, in hoc consistens, quod omnes fideles ex obligatione credant et profiteantur eamdem fidem ab Ecclesia docente propositam. Hanc Ecclesiæ R. C. inesse, patet ex symbolis ab Ecclesia docente impositis et a fidelibus acceptis, ex catechismis catholicis, ex solemnibus fidei definitionibus, ex principio unitatis in fide ab omnibus agnito. Ubique per totum mundum catholicum eadem proponuntur ab Ecclesia, et adhibentur a fidelibus eadem symbola : symbolum nempe *apostolicum*, quod quotidiano usu a fidelibus frequentatur et

adhibetur in collatione baptismi; *Nicæno-Constantinopolitanum*, quod recitatur ex Ecclesiæ lege inter Missarum solemnia; *Athanasianum*, quod in officio breviarii reperitur, et formula fidei Pii IV, quæ solemni juramento est firmanda ab omnibus fidelibus ad Ecclesiasticas dignitates promovendis et ab iis omnibus qui ab hæreticorum castris ad Ecclesiam accedunt. — Catholici catechismi ubique locorum in fidei doctrina consonant; exiguntur nempe ad regulam symbolorum communium et Ecclesiastici magisterii definitiones. — Fidei definitiones omnibus imponuntur, et qui eas pertinaciter negant accipere, habentur uti ab Ecclesia separati. Ita Concilii Vaticani decreta omnibus fidelibus sunt imposita et ab omnibus etiam fuerunt accepta, solis Veteribus Catholicis exceptis, qui idcirco etiam a toto orbe catholico habentur uti Ecclesia extorres. — Tandem in Ecclesia R. C. ab omnibus agnoscendum est et agnoscitur magisterium Ecclesiæ docentis, a quo fides est accipienda, et controversiæ suprema auctoritate sunt dirimendæ; e quo principio necessario fluit in cœtum fidelium perfectissima in fide unitas.

Unitas regiminis, quæ in eo consistit, quod omnes fideles se ex obligatione submittant uni regimini universali a Christo instituto et legitimos agnoscant pastores sub S. Pontifice Ecclesiam regentes, etiam manifeste Ecclesiæ R. C. propria est. Etenim in ipsa singuli fideles docentur et administrantur per suos sacerdotes; sacerdotes isti docentur ac reguntur cum suis fidelibus a suis Episcopis; et Episcopi simul cum suis sacerdotibus et fidelibus docentur et reguntur ab uno S. Pontifice, qui plena cum jurisdictione toti Ecclesiæ præest. Qui autem legitimum pastorem agnoscere pertinaciter recusat, eo ipso habetur uti schismaticus et ab Ecclesia extorris; quæ omnia omnibus non tantum doctis sed etiam indoctis plane manifesta sunt. — Ex unitate regiminis qualis in Ecclesia datur, sequitur, uti diximus, unitas *numerica* Ecclesiæ; jamvero et hanc unitatem Ecclesiæ R. C. propriam

esse, aperte liquet ex supremo pontificatu, qui solus omnibus fidelibus suprema et plena jurisdictione præest, qui omnes in se colligit, omnibus inviligat et prospicit (Cfr. pag. 68.)

Unitatem cultus quoad ea quæ a Christo instituta sunt, in Ecclesia R. C. haberi in oculos incurrit. Ubique enim idem celebratur Missæ sacrificium, et eadem sacramenta administrantur, uti e liturgicis libris constet, qui, quamvis varios ritus continent, plenissime semper consentiunt in iis quæ per Christum fuerunt præscripta.

II. Objectiones. 1° Nulla est inter catholicos fidei unitas; nam eorum theologi in diversas partes scinduntur, et prorsus oppositas tuentur sententias.

R. Eorum theologi in duas partes scinduntur; *distinguo :* ubi agitur de re sufficienter ab Ecclesia proposita, *nego,* nam qui ab Ecclesiæ doctrina pertinaciter recedunt habentur ut hæretici : — ubi agitur de doctrina ab Ecclesia non sufficienter proposita, *concedo*, sed ex hac theologorum divisione non læditur unitas fidei. quippe quæ unice postulat ut omnes fideles amplectantur fidem ab Ecclesia sufficienter propositam, et nullum punctum sufficienter propositum pertinaciter negent.

Instant adversarii dicendo : Theologi et Patres fuerunt inter se discordes in re ab Ecclesia sufficienter definita; v. g. Cyprianus et Firmilianus in causa rebaptizantium; et Irenæus et Justinus in quæstione de regno millenario Christi discesserunt ab Ecclesiæ doctrina.

R. Patres illi falsam tenuerunt sententiam, quando veritas nondum clare ab Ecclesia erat decisa, parati semper opiniones suas judicio Ecclesiæ subjicere; et re quidem vera, ubi Ecclesia solemniter est locuta, vel invaluit unanimis Ecclesiæ docentis consensus, propriam sententiam reliquerunt.

Instant rursus : Non potest dari unitas fidei in Ecclesia Rom. Cath., quia catholici dissentiunt circa unitatis principium :

etenim non consentiunt in recensendis conciliis generalibus, quæ doctrinæ fidei sunt organa; ut patet nempe ex conciliis Constantiensi, Basileensi et Lateranensi V, quæ a nonnullis ut œcumenica habentur et ab aliis repudiantur.

R. Quod attinet concilia, omnes catholici in eo cenveniunt, ut ea omnia concilia ut legitima habeant, quæ ab Ecclesia docente ut talia habentur et proponuntur; ac proinde circa fidei organa, seu unitatis principium non dissentiunt. Inde quoad concilia Constantiense et Basileense, omnes catholici admittunt plenam habere auctoritatem ea omnia quæ in his conciliis adversus Wicclef, Hus et alios hæreticos definita sunt et a Martino V ac postea ab Eugenio IV confirmata sunt. Ad reliqua vero quod attinet, quæ non perhibentur a S. Pontifice confirmata, ad crisim devolvuntur, cum hic non detur sufficiens Ecclesiæ docentis propositio. De œcumenicitate concilii Lateranensis V ob exiguum præsentium Episcoporum numerum, aliquando ab aliquibus dubitatum est, sed, invalescente unanimi Ecclesiæ docentis consensu, hoc concilium habetur nunc ab omnibus uti vere œcumenicum.

Ad respondendum igitur omnibus hisce objectionibus, quibus adversarii conantur ostendere unitatem fidei in Ecclesia R. C. non inesse, generatim hoc semper advertendum est : fidei unitas tunc solum vere læditur, ubi *a)* negatur veritas *revelata* ab Ecclesia omnibus sufficienter proposita; *b)* ubi negatur *certo cognita* hac Ecclesiæ propositione et definitione; *c)* ubi negatur cum *contumacia*, ut vel diserte vel ipso facto negetur Ecclesiæ visibilis judicandi auctoritas; *d)* ubi negatur ipsa sententia, ipsa veritas, non vero accidens. Si una ex his conditionibus desit, non proprie et vere læditur unitas fidei.

Obj. 2° Tempore schismatis occidentalis, aiunt adversarii, quod duravit ab anno 1372 ad annum 1414, Ecclesia Romano-Cath. divisa fuit in duas partes, et mox in tres, totidem æmulis Pontificibus adhærentes, scilicet Urbano VI, et Clementi VII

eorumque successoribus; ergo tunc defuit in Ecclesia R. C. unitas regiminis.

R. Cum unitas regiminis in eo consistat, quod omnes fideles agnoscant unum supremum Pontificatum a Christo institutum, ipsa vere et proprie læderetur, si fideles duos aut plures summos pontifices agnoscerent, et quidem admitterent eos *simul omnes* esse legitimos pontifices. Verum hæc unitas non læditur, ubi fideles admittentes nonnisi unum legitimum pontificem in Ecclesia esse posse, sed dubitantes quisnam e duobus aut pluribus sit vere in Pontificem electus, partim huic, partim illi adhæreant, simul semper quærendo ut finis imponatur dissidio. Et re quidem vera, in primo casu datur *schisma formale* h. e. voluntarie et scienter non agnoscitur unus legitimus Pontifex supremus; in secundo autem casu datur tantum *schisma materiale* h. e. ex mera ignorantia non agnoscitur unus legitimus S. Pontifex. Jamvero in prædicta divisione occidentali non exstitit schisma formale, sed materiale tantum; quod manifeste probatur ex summa cura quam adhibuerunt ut verum detegerent Pontificem, et ex summo gaudio quo omnes totius orbis fideles Martinum V in Constantiensi concilio debite electum uti unicum Ecclesiæ S. Pontificem agnoverunt.

B) *De Sanctitate*

I. Demonstratio. 1° Ecclesiæ inest imprimis sanctitas *realis ob dedicationem divino servitio*, nam unice pro fine habet, uti ex doctrina et legibus ejus patet, salutem animarum. — Ipsi etiam inest sanctitas *realis ob media personalis sanctitatis quæ ministrat*, nam doctrina fidei, quam proponit, tam sancta est, ut hactenus adversarii nequidem unum punctum fidei et morum proferre potuerint, quod vel rectæ rationi, vel integritati morum, vel verbo Dei oppositum sit; e contra omnes confiteri coguntur totam catholicam doctrinam directe procurare tum animæ sanctitatem, tum familiarum et nationum felicitatem.

Insuper ministrat septem sacramenta, quæ maxime efficacia sunt ad homines, in quocumque statu constitutos, ad veram sanctitatem et æternam felicitatem perducendos; et sacrificium præstantissimum offert, per quod fideles facillime et dignissime possunt Deum digne adorare, ipsi gratias agere, nova bona postulare et satisfactionem pro peccato præstare. Accedit ad hoc leges sanctissimas ab Ecclesia catholica præscribi, et in ea cultum ex ecclesiastica lege impositum peragi, qui maxime naturæ nostræ consentaneus est, et totus ad internam devotionem ordinatur. — Tandem Ecclesiæ R. C. inest *sanctitas realis ob miracula, quæ in ea fiunt.* Etenim miracula constanter ab initio ad nostros usque dies in Ecclesia emicuisse, tot et tam gravia probant testimonia, ut, si id pro libitu negare liceret, rueret fides omnium librorum, historiarum et scriptorum. Neque miracula Ecclesiæ R. C. incerta sunt et dubia, sed examine probata severissimo, uti videre est in opere Benedicti XIV : « De Beatificatione et Canonizatione Sanctorum. » Ad miracula quoque possunt referri : prodigia quæ Ecclesia Rom. Cath. in ordine morali operatur, ejus mira conservatio inter continuas et omnigenas persecutiones, ejus ad propagandam inter barbaros fidem et ad peccatores convertendos efficacia, ejus in pariendis Christo filiis perpetua et inexhausta fæcunditas.

2° Ecclesiæ R. C. quoque inest *sanctitas personalis ob absolute magnum numerum fidelium, qui sanctam ducunt vitam et gratia sunt ornati.* Id enim probant heroismus martyrum, virtutes omnium per singulas ætates virginum, eremitarum, claustralium, episcoporum, S. Pontificum ceterorumque e clero et e plebe fideli; virtutes quas in gradu heroico excoluerunt tot sancti, qui, quovis sæculo post longum et severissimum institutum examen, ad solemnem canonizationem evecti sunt (Vide Acta Sanctorum Bollandiana.) Ad hoc factum virtutum in Ecclesia splendentium referendæ etiam sunt tot sacræ institutiones ad ipsas virtutes sive excolendas sive exercendas; tot virorum et

mulierum cœnobia; piæ sodalitates nosocomiorum; orphanotrophiorum erectiones, scholarum piarum ad informandam juventutem institutiones, et aliæ innumeræ res piæ et sanctæ : quæ institutiones sunt fructus maximarum virtutum, sunt signa manifesta et indubia studii et professionis virtutum, et sunt fontes omnis sanctitatis et perfectionis. Nostra ætate videmus etiam mulieres ex omni sociali conditione omnigenis fungi charitatis officiis, perenni miraculo charitatis et castitatis. Quod vero hæc omnia maxime cumulat, illud est, quod hæ omnes institutiones sine ulla spe terreni emolumenti sunt susceptæ, et ex mera procedunt charitate.

II. Objectio. Ecclesia R. C. sancta dici non potest, siquidem ingentem malorum hominum multitudinem in sinu suo complectatur, non tantum in laicali, sed et in clericali ordine.

R. Non obstat sanctitati Ecclesiæ R. C., quod multi fideles scelestam ducunt vitam ; si hæc multorum corruptio non oriatur aut ex pestifera Ecclesiæ doctrina, aut ex defectu mediorum sanctitatis, quæ Ecclesia ministrat; et si ab altera parte multi fideles sancte vivant : nam verum non est, Ecclesiam ex Christi voluntate absoluta et efficaci nonnisi sanctis posse constitui. Atqui hæc multorum corruptio non oritur, uti liquet, ex Ecclesiæ doctrina, aut ex defectu mediorum ab Ecclesia ministratorum; et ab altera parte multi fideles, uti supra ostendimus, sancte vivunt. Ergo...

C) *De Catholicitate*

I. Demonstratio. Imprimis Ecclesia R. C. certe est *catholica jure,* uti patet tum ex verbis, tum ex operibus ejus. In doctrina enim sua se proclamat missam esse ad omnes gentes; quod idem ostendit opere, instituendo nempe Romæ *Congregationem de propaganda fide,* et omni modo approbando et fovendo ordines religiosos, seminaria et collegia ad missiones destinata.

Est etiam Ecclesia R. C. vere *catholica facto*, ita ut simultanee præcipuas mundi partes cognitas occupet, magnumque ibi adhærentium numerum obtineat; et relative amplior sit quovis cœtu schismatico aut hæretico. Sane, uti constat e catalogo Diœcesium et Vicariatuum apostolicorum, quæ actu R. C. Ecclesiæ nunc insunt, in quinque mundi partibus, et in singulis earum præcipuis nationibus dantur fideles catholici et episcopi seu vicarii apostolici catholici, etiam medios inter hereticos, schismaticos et infideles; et quidem ubique, uti e recensionibus cultuum constat, datur magnus numerus fidelium. Ita juxta computationem editam paucis ab hinc annis in periodico : « Civilta cattolica » : numerantur in mundo 208,891,000 *catholici*; 70,000,000 *orientales schismatici* (1); et 66,000,000 *Protestantes*. — Ecclesiam R. C. relative ampliorem esse quovis cœtu schismatico aut hæretico satis superque liquet ex computatione data, e qua patet catholicos longe numero superare omnes hæreticos et schismaticos simul sumptos; quanto igitur magis numero superat singulas sectas hæreticas et schismaticas a se invicem independentes, quæ tam multiplices sunt et in dies magis magisque multiplicantur?

Ad Ecclesiæ R. C. catholicitatem probandam accedit et nomen *catholicæ*, quod Ecclesiæ Romanæ omnes etiam sectarii, quamvis inviti concedunt; quod jam suo tempore observavit S. Augustinus. Lib. *de vera religione* cap. VII : « Velint enim, ait, » nolintve ipsi quoque hæretici et schismatum alumni, quando » non cum suis, sed extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud, » quam catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc » eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur. »

II. Objectio. Si catholicitas est veræ Ecclesiæ nota, dicendum est Ecclesiam romanam non esse veram Ecclesiam, quia nempe

(1) Anno 1875 erant in Russia 56,452,405 orthodoxi, inter quos numerantur 10,000,000 vel etiam 15,000,000 rascolnici (vieux croyants)

sæc. XI Ecclesia græca seu orientali ab Ecclesiæ romanæ communione sejuncta, Ecclesia romana ad solam Europam restricta erat, et proinde haud amplius catholica dici poterat.

R. Ecclesia Romana, licet post lugendum Græcorum schisma in sola Europa dominari videretur, ubique tamen gentium filios sibi obsequentes habuit. In Asia nempe inter Græcos et Islamitas, in Russia, in plagis Indicis et in Africa plures semper fuerunt Ecclesiæ romanæ fideles, uti ex historiæ monumentis constat. Proinde in hac epocha Ecclesia R. C. nota catholicitatis haud fuit orbata.

D) *De Apostolicitate*

I. Demonstratio. Ecclesiam R. C. esse *apostolicam*, ita ut ipsa sit numero eadem illa societas quæ ab Apostolis est fundata et ab eorum tempore usque nunc sine essentiali mutatione et sine interruptione existit, et ita quidem ut ejus pastores per non interruptam seriem legitimorum pastorum cum Apostolis jungantur, sequentia demonstrant argumenta.

Quod enim Ecclesia R. C. numero eadem est illa societas ab Apostolis fundata et usque nunc sine essentiali mutatione aut sine interruptione existens, historiæ testimoniis certissime constat. Si ascendimus a nostris diebus ad primum christianæ æræ sæculum, constanter invenimus Ecclesiam Romano-catholicam, semper apparentem uti civitatem supra montem positam; nulla autem in ea datur interruptio. Pariter in ipsa ex iis omnibus quæ a Christo absoluto modo sunt instituta, nihil unquam immutatum invenitur; sed ubique e contra offenditur hoc principium : « *illud est catholicum, quod semper, quod* » *ubique, quod ab omnibus creditum est;* » et hoc aliud : « *nihil innovetur nisi quod traditum est* » quæ duo principia, primum Vincentii Lirinensis et alterum Stephani Papæ omnem immutationem arcent. Præterea factum istud immutabilitatis plenissime etiam exinde probatur, quod adversarii nostri frustra

hucusque contenderunt demonstrare Ecclesiam R. C. a Christi institutis aut in fide, aut in regimine, aut in cultu unquam defecisse. — Ergo legitime concludimus Ecclesiam R. C. quæ nunc existit, esse numero eamdem illam Ecclesiam ac illa quæ ab Apostolis est fundata.

Præterea Ecclesia R. C. apostolica est a parte *pastorum* suorum. Ut nempe Ecclesiæ pastores per non interruptam seriem legitimæ successionis cum Apostolis jungantur, non requiritur ut singuli Episcopi reducantur ad aliquem apostolum, sedis institutorem, quod et fieri non potest, sed sufficit ut cathedra S. Pontificis sit apostolica, seu ut a S. Pontifice regnante ad S. Petrum detur successio non interrupta legitimorum Pontificum. Ubi enim demonstrata est apostolicitas cathedræ Pontificiæ seu muneris pontificii, tunc necessario quoque apostolicæ sunt cæteræ cathedræ, utpote e cathedra pontificia derivantes; et ita S. Iræneo, S. Optato et S. Augustino ad probandam apostolicitatem ecclesiæ suæ diœcesanæ satis visum est probare apostolicitatem cathedræ S. Pontificis, cui ipsi cum ecclesia sua erant submissi. — Jamvero Leonem XIII, S. Pontificem actualiter regnantem, non interrupta legitimorum S. Pontificum serie cum B. Petro conjungi, historiæ testimonio compertum est, et indubiis probatur argumentis; ergo...

II. Objectiones. 1° Non potest demonstrari quod habetur legitima Pontificum series a S. Petro ad nostram usque ætatem; cum valde incertum sit, quinam post Petrum successerint.

R. Quamvis in recensendis primis Petri successoribus reperiatur aliqua auctorum diversitas, omnes tamen concedunt successionem non fuisse interruptam et legitimam fuisse. Parum autem refert scire quinam et quo ordine successerint, modo certo constet successionem legitimam factam esse.

Obj. 2° Series Pontificum interrupta fuit tempore schismatis occidentalis, ab anno 1378 ad annum 1417, quo tempore duo et

mox tres Pontifices inter se decertarunt; ergo cathedra romana non potest dici apostolica.

R. Tempore hujus schismatis exstitit Papa legitime electus, quamvis ab omnibus non agnitus; vel non. Si prius, ille Papa legitimus successionem S. Pontificum continuavit; si posterius, sedes apostolica vacavit, ut vacat, Papa vita functo, ac novo nondum creato; unice inter ambos casus datur accidentalis differentia durationis. — Vere autem interrumperetur series legitimorum Pontificum, si tota Ecclesia schismate aut hæresi deficeret, et sic potestatem amitteret legitimum deinceps eligendi Pontificem; jamvero in occidentali schismate Ecclesia tota certe non deficit schismate, cum hoc schismo fuerit tantum materiale, non vero formale.

Obj. 3° Series legitimorum Pontificum non datur, quia nonnulli Pontifices violenter, aut fraudibus, aut simoniace pontificatum adepti sunt; ac proinde legitimi non fuerunt Pontifices.

R. Quamvis nonnullorum Pontificum electio ob aliquod vitium fuisset nulla, subsequens Ecclesiæ ratihabitio atque acceptatio omnes defectus juris supplet, et non legitime electos facit legitimos Pontifices.

ARTICULUS II

Veræ notæ Christi Ecclesiæ non insunt sectis acatholicis

Duo sunt cœtus acatholici, de quibus hic quæstio institui potest : cœtus nempe Græcorum, qui schismatici dicuntur; et cœtus protestantium. De singulis autem agemus.

§ I.

Illæ notæ non insunt cœtui Protestantium.

—

I. Deest unitas. Inprimis deest unitas *in fide,* nam nulla Protestantium societas constans in sua doctrina fuit, neque uno

eodemque tempore eamdem ubique fidem habuit; idque tum ex operibus Lutheri, Melanchthonis, aliorumque Novatorum, tum ex fidei symbolis, aliisque documentis publicis tam apertum est, ut ipsi Protestantes id inficiari non possint. Ideo ad articulos suos fundamentales confugiunt, quos qui tenent, omnes ad Christi Ecclesiam pertinere dicuntur. Verum hos fundamentales articulos determinare non potuerunt; imo per summam contradictionem volunt, omnes illas christianorum societates veram Christi Ecclesiam constituere, quæ in fundamentalibus conveniunt : ut fundamentalia autem ea esse habenda, in quibus omnes christianæ societates conveniunt. — Unitas *regiminis* et unitas *numerica societatis* etiam deest. Omnes enim in partes secti sunt prope infinitas, et quamvis plures Ecclesiæ nomen aliquod commune sibi imponant, nulla mutua dependentia uniuntur. — Deest quoque unitas *cultus*, quia alii hæc, alii vero ista admittunt sacramenta. — Notetur unitatem in Protestantium cœtu necessario deesse, quia nempe unitatis principium, supremum nempe Pontificatum, rejiciunt et omnem denegant Ecclesiæ docenti infallibilitatem et auctoritatem; abjecta igitur omni Ecclesiæ potestate, spiritum suum privatum sequuntur, qui de se varietatem generat et interminabiles controversias.

II. Deest sanctitas. Certe ipsis deest *sanctitas realis* in administratione mediorum sanctitatis personalis consistens. Etenim quoad doctrinam, nova Protestantium dogmata ad nihil aliud apta fuerunt et sunt, quam ad morum licentiam inducendam, omnesque pietatis sensus suffocandos. Ejusmodi est impia de absoluta prædestinatione doctrina, de perdito per peccatum Adæ libero arbitrio, de inutilitate bonorum operum, de justificatione per solam fidem, etc. — Præterea sustulerunt Protestantes multa virtutum admunicula; sustulerunt Missæ sacrificium, sacramentum Pœnitentiæ, pœnitentiæ opera, jejunia, carnis macerationes; quæ omnia ad morum licentiam refrænandam, et virtutem implantandam aptissima sunt.

Sanctus quoque non est cœtus Protestantium ob miracula, quæ in eo fiunt. Nam miracula a se postulari non debere, ipsimet aperte fassi sunt; « *improbe faciunt*, ait Calvinus *Præfat. Instit., quod miracula a nobis poscunt;* » et Lutherus *(De servo arbitrio)* respondens Erasmo dicenti : « *nullus illorum* (Lutheranorum) *adhuc existit, qui vel equum claudum sanare potuerit,* » hæc scribit : « *A nobis, qui negamus liberum arbitrium miracula exigi non debent.* »

Sanctus tandem etiam non est cœtus Protestantium sanctitate personali in multis membris, cum impossibile sit, ut illi qui doctrinam perversam sequuntur, qualis est ista supra descripta, sancte vivant. Ex principiis enim suis deduxit Lutherus hanc vivendi regulam : « Pecca audacter, sed crede fortiter; » et sane qui hanc regulam sequuntur virtutes non excolent.

III. Deest catholicitas. Certe deest hæc *catholicitas facti*, quæ veræ Ecclesiæ Christi inesse debet. Etenim nulla est secta ex tot independentibus (singulæ enim seorsim considerandæ sunt, cum sint diversæ) universalis; sed unaquæque certo regno, aut certæ provinciæ est alligata. Imo omnes quoque Protestantium cœtus non ante multos annos non excedebant numerum 66,000,000 membrorum; et nunc propter defectionem sat communem ad rationalismum certe quotidie imminuuntur; atvero orientales divisi circiter 70,000,000 numerari solent; et Romana Ecclesia adhuc longe majorem membrorum numerum computat. Ergo Protestantium sectæ non occupant moraliter omnes totius mundi partes cognitas et absolute magnum membrorum numerum ubique non obtinent; neque insuper ampliores sunt quibusvis aliis christianis cœtibus; ergo catholicæ dici non possunt.

IV. Deest apostolicitas. Cœtum Protestantium carere tum apostolicitate societatis tum apostolicitate regiminis, ita demonstramus. In primis cœtus Protestantium non est numero eadem illa societas quæ ab Apostolis est fundata, cum essentialiter ab ea differat ob defectionem suam ab unitate fidei, regiminis et

cultus. Non amplius docent Protestantes quod docuerunt Apostoli; non amplius habent regimen quod instituerunt Apostoli; non servaverunt cultum quem habuerunt Apostoli; ergo Protestantium cœtus non est numerice idem ac ille ab Apostolis fundatus, sed omnino ab eo est diversus. — Etiam non habent Protestantes apostolicitatem regiminis; nam eorum coryphæi et ministri legitima pastorum serie cum Apostolis non junguntur; ipsi enim sine missione legitima prædicarunt et ministrarunt, spernentes auctoritatem supremam Romanorum Pontificum, e quibus solis omnis vera potestas veraque missio derivatur.

§ II.

NOTÆ VERÆ CHRISTI ECCLESIÆ NON INSUNT ECCLESIÆ GRÆCÆ SCHISMATICÆ.

Notandum I. Ecclesiæ orientales schismaticæ (quoad quædam puncta etiam hæreticæ) multo magis quam protestantes Ecclesiæ Christi similitudinem referunt tum in fidei doctrina tum etiam in hierarchia. Hinc factum est, ut frustra Protestantes cum ipsis communicare conati sint. In primis Melanchthon, cum ad Patriarcham Constantinopolitanum misisset confessionem Augustanam, ne responsione quidem dignatus est. Dein anno 1576 Tubingenses Professores a Jeremia patriarcha repulsi sunt. Tandem Calvinistæ, anno 1621, Cyrillum quemdam Lucarim suis erroribus imbutum per pecuniæ vim in sedem Constantinopolitanam intruserunt; at ille mox ab Ecclesia græca est sede dejectus, atque a successoribus suis altero Cyrillo et Parthenio cum protestantica sua confessione damnatus est. Orientales ergo non sicut Protestantes totam Christi Ecclesiam deturparunt; sed quamdam similitudinem cum illa conservarunt. Nihilominus veris Christi Ecclesiæ notis carent, ac proinde eorum cœtus non est vera Christi Ecclesia.

II. Sub nomine Ecclesiæ Græcæ Schismaticæ venit 1° Ecclesia græca Patriarchæ Constantinopolitano subjecta; et hæc complectitur Ecclesiam Constantinopolitanam, Antiochenam, Hierosolymitanam et Alexandrinam, 2° Ecclesia Ruthenica, quæ quidem cum Patriarcha Constantinopolitano est sociata, sed immediate subest collegio ecclesiastico, cui ipse imperator Russiæ præsidet. Ambæ istæ ecclesiæ veris Christi Ecclesiæ notis carent.

Deest Ecclesiæ Græcæ schismaticæ unitas. Certe deest unitas *in fide* cum duo negent indubia fidei dogmata : processionem Spiritus S. a Patre et a Filio, et primatum Petri perpetuo duraturum ex Christi institutione; deest quoque unitas *in regimine*, cum Ecclesia græca divisa sit in duas Ecclesias a se independentes, Ruthenam nempe et illam Patriarchæ Constantinopolitani.

Deest sanctitas. Nam, uti per historiam constat, magna ex parte tenebris et ignorantia involvitur; et post lugendum schisma, nullum hujus Ecclesiæ membrum ostendi potest, cujus sanctitas per miracula, vaticinia et alia charismata comprobata fuerit.

Deest catholicitas. Etenim extra orientales plagas et extra Russiam vix aliquam extensionem habet hæc Ecclesia, et in multis gentibus omnino ignota est. Præterea numero quibusvis aliis cœtibus christianis superior non est, etiam ubi ambæ ejus partes a se plane independentes, simul sumuntur, uti supra vidimus; ergo catholica dici nequit.

Deest apostolicitas. Non enim est eadem illa numero societas ab Apostolis fundata, ob defectionem nempe suam tum ab unitate fidei, tum ab unitate regiminis. Neque hujus Ecclesiæ pastores legitima pastorum serie cum Apostolis junguntur, quia se separarunt a S. Pontifice Romano, a quo solo legitima accipi potest missio et potestas ecclesiastica.

Conclusio

Constat igitur soli Romano-catholicæ Ecclesiæ (dicitur *romana* ob cathedram S. Pontificis Romæ existentem; dicitur *catholica* ob manifestam suam per universum orbem dispersionem) inesse veras Christi Ecclesiæ notas; et proinde eam solam esse illam Ecclesiam quam Christus instituit, et perenniter existere voluit. Huic ergo Ecclesiæ Romano-Catholicæ competunt ea omnia quæ docuimus in parte III hujus Demonstrationis catholicæ, ubi nempe descripsimus Ecclesiam a Christo institutam.

Sic absolvimus Demonstrationem catholicam seu Tractatum de Ecclesia, in quo inquirendum erat *an* et *qualis* Ecclesia a Christo sit instituta, et *quænam* ex ecclesiis quæ christianas se vocant, sit vera Christi Ecclesia; seu in quo demonstrandum erat, Ecclesiam Rom. Cath. esse veram Christi Ecclesiam.

INDEX

Pag.

INTRODUCTIO.

Objectum Demonstrationis catholicæ; — divisio materiæ; — significatio vocis Ecclesiæ 1

PARS PRIMA

De societate in universum

CAPUT PRIMUM. **Definitio societatis.**

Definiuntur partes constitutivæ societatis; — ejus materia et forma; — ejus pars principalior et ejus officium 8

CAPUT SECUNDUM. **De variis societatum speciebus.**

Divisio societatum a parte membrorum; — a parte finis; — a parte mediorum; — a parte originis. 10

CAPUT TERTIUM. **De potestate societatis perfectæ in sua membra.**

De potestate legislativa; — de potestate judiciaria; — de potestate coercitiva 12

CAPUT QUARTUM. **De potestate societatis perfectæ in extraneos** 15

ART. I. De potestate ejus in illos qui abstractive tantum sunt extranei. 16

ART. II. De potestate ejus in illos qui totaliter aut partim sunt extranei. 18

PARS SECUNDA

Christus Dominus instituit Ecclesiam

CAPUT PRIMUM. **Demonstratur Christum instituisse Ecclesiam seu societatem, in qua coadunarentur sui discipuli.** 19

CAPUT SECUNDUM. **Demonstratur Ecclesiæ, a Christo institutæ, eas omnes inesse partes, quæ ad societatis essentiam pertinent** 24

PARS TERTIA

De dotibus et de constitutione Ecclesiæ a Christo institutæ

Pag.

Exponitur quænam materia in hac parte sit tractanda; et quomodo hæc sit dividenda 28

Sectio Prima. ***De Ecclesiæ Christi Dotibus*** 29

CAPUT PRIMUM. **De Ecclesiæ dotibus sub respectu ejus necessitatis.**

Art. Unic. Ecclesia Christi est necessaria ex divina institutione omnibus hominibus necessitate medii et præcepti, ita ut, qui in re aut in voto ad eam non pertinent, salvi fieri non possint 30

Corollaria.

a) *Explicatur axioma : extra Ecclesiam non est salus*; — **b**) *componitur hoc axioma cum attributis Dei*; — **c**) *componitur cum progressu in scientia*; — **d**) *componitur cum ordine morali*; — **e**) *explicatur quotuplex tolerantia sit distinguenda, et quænam sit damnanda.* 34

CAPUT SECUNDUM. **De dotibus Ecclesiæ sub respectu membrorum.**

Art. I. Ecclesia Christi est universalis 40

Art. II. Ecclesia Christi est perpetua. 46

Art. III. Ut quis Ecclesiæ Christi membrum constituatur, requiritur ut baptismum suscipiat, fidei doctrinam ab Ecclesia propositam amplectatur interne et externe, et legitimos Ecclesiæ pastores interne et externe agnoscat 51

Q. Q. An soli justi sint Eccl. membra; — an soli prædestinati sint Eccl. membra; — an hæretici sint Eccl. membra; — an schismatici sint Eccl. membra; — an excommunicati sint Eccl. membra; — an catechumeni sint Eccl. membra 52

Corollaria de natura hæresis et schismatis. 56

Art. IV. Recte distinguunt Theologi duplex elementum in Ecclesia, aliud interius, aliud vero exterius, seu animam et corpus; et inde etiam recte distinguunt duplicem Ecclesiæ aggregationem, aliam nempe animæ, aliam vero corpori Ecclesiæ 59

Art. V. Ecclesia Christi est essentialiter et perpetuo visibilis. . . . 63

Art. VI. Ecclesia Christi est una 67

Art. VII. Protestantes, ad unitatis speciem in suo cœtu servandam, frustra appellant ad distinctionem inter articulos fidei fundamentales, et non fundamentales 73

Appendix. An et quomodo infantes ante usum rationis et adulti rationis usu carentes Ecclesiæ fiunt et sunt membra 76

Pag.

CAPUT TERTIUM. **De Ecclesiæ dotibus sub respectu ejus finis.**

ART. I. Ecclesia Christi habet finem supernaturalem 78

ART. II. Ecclesia Christi habet finem distinctum a fine circumcisionis et legis mosaicæ 82

ART. III. Ecclesia Christi habet finem distinctum ab fine societatis civilis 85

ART IV. Ecclesia Christi habet finem omnium dignissimum et supremum 88

CAPUT QUARTUM. **De Ecclesiæ dotibus sub respectu mediorum, quibus est instructa.**

ART. I. Ecclesia est societas perfecta 89

ART. II. Ecclesia est societas independens a societate civili 92

ART. III. Explicatur gradus quem obtinet Ecclesia respectu exterarum societatum, seu quænam sit potestas Ecclesiæ in eas 93

ART. IV. Objectiones contra independentiam et perfectam potestatem Ecclesiæ, et subordinationem potestatis civilis potestati Ecclesiæ . 101

ART. V. Ecclesia Christi est inæqualis atque ita comparata, ut alii in ea sint præpositi, alii subditi; alii doctores, alii discipuli; atque alii sint mysteriorum dispensatores, alii sanctificandi; ita Christo Domino volente. 113

ART. VI. Definitur Ecclesiæ Christi potestas.

PRÆNOTANDUM. Divisio hujus potestatis 117

§ I. *Christus instituit in Ecclesia sua potestatem legislativam, judiciariam et coercitivam.* 118

NOTANDA. Indicantur subditi hujus potestatis; — pœnæ quas Ecclesia possit statuere; — errores circa hanc materiam exorti et pessima politica instituta ex his erroribus profluentia 121

§ II. *Christus contulit Ecclesiæ suæ magisterio potestatem doctrinam suam docendi cum ea auctoritate, quæ in omnes inducat obligationem credendi ut verbum Dei, id quod ab Ecclesia proponitur* . . 127

COROLLARIA.

Ecclesia habet etiam jus damnandi doctrinas falsas; — inspiciendi scholas; — proscribendi et prohibendi libros malos 131

§ III. *Ecclesiasticum magisterium e Christi voluntate fruitur infallibilitatis dote.* 132

§ IV. *Definitur generice et specifice objectum infallibilitatis Ecclesiæ.* 140

Q. I. An Ecclesia est infallibilis in definiendis veritatibus theoreticis et practicis, sèu in veritatibus fidei et morum, quæ explicite aut saltem implicite in Christi doctrina continentur . . . 142

Q. II. An Ecclesia est infallibilis in factis dogmaticis 143

Q. III. An Ecclesia est infallibilis in judicandis textibus dogmaticis 145

Pag.

Q. IV. An Ecclesia est infallibilis in definiendis hisce veritatibus theoreticis et practicis, quæ quidem revelatæ non sunt, sed tam intime cum fidei doctrina sunt connexæ, ut si in eis error admittatur, logice negandum sit aut aliquod fidei dogma, aut etiam tota revelatio 149

Q. V. An Ecclesia est infallibilis in discernendis et proscribendis illis sententiis, quæ securitati integritatis fidei et morum nocivæ sunt 151

Q. VI. An Ecclesia est infallibilis in disciplina generali 152

Q. VII. An Ecclesia est infallibilis in approbandis ordinibus religiosis 153

Q. VIII. An Ecclesia est infallibilis in beatificatione et canonizatione 154

Corollaria.

Quid in Ecclesiæ definitionibus ut infallibiliter definitum habendum est; — an Ecclesia propriam suam auctoritatem definire potest; — an infallibiliter proponere potest revelationes particulares; — quid potest Ecclesia circa philosophiam et cæteras scientias naturales; — an est Ecclesia infallibilis in breviario et in approbandis reliquiis SS.; — an est infallibilis in martyrologio 159

Scholion I. Definitur sensus notarum theologicarum 162

Scholion II. Inquiritur de causis infallibilitatis Ecclesiæ. 164

Sectio Secunda. ***De organica Ecclesiæ Christi constitutione.***

Prænotanda. Distributio materiæ 165

CAPUT PRIMUM. **De supremo Pontificatu.**

Art. I. De primatus seu supremi Pontificatus in beato Petro institutione. 166

§ I. *Verbis Christi Domini* Matth. XVI, 18 *promittitur Petro jurisdictionis primatus in universam Ecclesiam* 168

§ II. *Jurisdictionis primatus in universam Ecclesiam promittitur quoque Petro verbis Christi* Matt. XVI, 19. 173

§ III. *Promissum jurisdictionis primatum in universam Ecclesiam Christus Petro contulit verbis a Joanne relatis* XXI, 15-18 . . . 178

§ IV. *Agendi ratio Petri post Domini in cœlum ascensionem, quantum satis est, ostendit, haud aliter ipsum se gessisse ac illum semet gerere oportuit, qui primatum Ecclesiæ obtinuit.* 181

§ V. *Præcipuæ objectiones contra jurisdictionis primatum in Petro institutum* 184

Art. II. Primatus, Petro collatus, ex Christi institutione debet in Ecclesia in perpetuum perdurare 187

Art. III. De vi et ratione Primatus, seu de primatus proprietatibus . 188

Pag.

§ I. *Primatus S. Pontificis non tantum jus inspectionis et directionis complectitur, sed et potestatem jurisdictionis, quæ vere episcopalis est.* 190

§ II. *Sub respectu materiæ, jurisdictio primatus se extendit non tantum ad res, quæ ad fidem et mores, sed etiam ad eas, quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ pertinent* 190

§ III. *Sub respectu subditorum, jurisdictio primatus se extendit ad universam Ecclesiam, ad omnes et singulas Ecclesias, ad omnes et singulos pastores et fideles* 191

§ IV. *Sub respectu modi exercitii, jurisdictio primatus est ordinaria et immediata* 193

§ V. *Sub respectu gradus, jurisdictio primatus est plena et suprema.* 195

§ VI. *A parte originis, potestas pontificia est immediate divina, ita ut Petri successores immediate a Deo potestatem accipiant; designatio autem personæ S. Pontificis, seu electio ejus habet humanam originem* 197

§ VII. *S. Pontifex, cum e cathedra loquitur, per assistentiam divinam ipsi in B. Petro promissam, ea infallibilitate pollet, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide et moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi S. Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ irreformabiles sunt* 198

CAPUT SECUNDUM. **De Episcopatu.**

Art. I. Præter S. Pontificatum in Petro institutum, Christus Dominus instituit in Apostolis aliud munus veræ jurisdictionis, Primatui inferius, quod Episcopatus vocatur 211

Art. II. Munus jurisdictionis, in Apostolis institutum, ex Christi voluntate debet in Ecclesia in perpetuum durare 213

Art. III. De proprietatibus muneris Episcopalis 213

§ I. *Ex Christi institutione munus jurisdictionis episcopalis competit sacerdotibus primi ordinis, qui inde Episcopi vocantur* 214

§ II. *Jurisdictio Episcopalis, quamvis divinitus sit instituta, videtur tamen non immediate a Deo, sed a S. Pontifice accipi* 219

§ III. *Definiuntur jurisdictionis episcopalis materia, extensio tum quoad causas tum quoad personas, gradus, exercitii modus et dotes necnon discrimen cum potestate Apostolorum.* 220

CAPUT TERTIUM. **De conciliis œcumenicis.**

Art. I. De conditionibus ad legitimum œcumenicum concilium requisitis 228

Art. II. De potestate œcumenici concilii 231

Art. III. De œcumenici concilii necessitate 234

Scholion I. De variis subjectis infallibilitatis Ecclesiæ 236

Scholion II. De aliis jurisdictionis muneribus ab Ecclesia institutis . 237

Pag.

CAPUT QUARTUM. **De erroribus circa Ecclesiæ Christi hierarchiam jurisdictionis.**

ART. I. Errores hierarchiam jurisdictionis divinitus institutam penitus negantes. (Protestantes et Socialistæ) 238

ART. II. Errores hanc hierarchiam pervertentes (Multitudinaristæ, Cæsaristæ, Episcopalistæ, Presbyteriani, Gallicani, et Veteres-Catholici). 240

ART. III. Errores hanc hierarchiam justo latius extendentes. (Gerson, Jansenistæ) 243

PARS QUARTA

De Notis Ecclesiæ

PRÆNOTANDA DE MATERIÆ DISTRIBUTIONE 245

CAPUT PRIMUM. **Ecclesia Christi, tamquam vera, visibilis est.**

CAPUT SECUNDUM. **De Ecclesiæ notis in genere.**

Quid intelligitur per notam; — quænam notarum species hic sunt attendendæ; — quales debent esse notæ Ecclesiæ 247

CAPUT TERTIUM. **Inquiritur quænam sint veræ notæ Ecclesiæ Christi.**

ART. I. Pura Evangelii prædicatio et legitima Sacramentorum administratio non possunt esse, uti volunt Protestantes, veræ notæ Ecclesiæ 249

ART. II. Unitas, Sanctitas, Apostolicitas et Catholicitas sunt veræ et claræ notæ Ecclesiæ; eæque necessariæ omnes sunt, atque sufficientes sunt tum simul sumptæ, tum quædam ex illis seorsim sumptæ, ad demonstrandam veram Christi Ecclesiam 250

§. I. *Unitas, Sanctitas, Catholicitas et Apostolicitas ut proprietates competunt Ecclesiæ Christi.* 251

§ II. *Quatuor istæ proprietates talis sunt naturæ, ut sint veræ et claræ notæ Ecclesiæ, eæque necessariæ sunt omnes; atque sufficientes sunt tum simul sumptæ, tum quædam quoque ex illis seorsim.* 263

PARS QUINTA

De Veritate Ecclesiæ Romano-Catholicæ

PRÆNOTANDA. Distributio materiæ 268

CAPUT PRIMUM. **Ecclesia Romano-Catholica est sola vera Christi Ecclesia, quia ejus romani Pontifices sunt legitimi successores Petri in primatu.** 269

Pag.

COROLLARIA.

Romanus Pontifex, utpote Petri in primatu successor, obtinet totum primatum Petro a Christo collatum; — Romanus Pontifex, utpote Petri successor in primatu, jure divino primatum obtinet . . . 277

QUÆSITA I. Quam certum est Romanum Pontificem esse Petri in primatu successorem. 277

II. An successio in locum Petri primatu aucti adhæret romanæ sedi jure divino 278

CAPUT SECUNDUM. **Ecclesia Romano-Catholica est sola vera Christi Ecclesia, quia ipsi soli insunt notæ: unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas.**

ART. I. Ecclesiæ Romano-Catholicæ vere insunt quatuor illæ notæ. 282

ART. II. Illæ notæ non insunt cæteris cœtibus christianis. 292

§ I. *Non insunt cœtui protestantico* 292

§ II. *Non insunt Ecclesiæ schismaticæ Græcæ*. 295

D. O. M.

Errata

Pag.	*Linea.*	*Legitur.*	*Legendum.*
96	20	2°	R. 2°
129	9	Auctoritas	2° Auctoritas

665
239.5
L15
Lambrecht, Henricus-Carolus
AUTHOR
Demonstratio Christiana
TITLE